8° Z. 88. 26.

Europa

70

70-1-3

1.109

NIHIL TAM OCCVLTVM, ET OBSTRVSVM, QVOD

PERSPICAX SCOTI INGENIVM NON PENETRAVERIT, ET E TENEBRIS



ERVERIT, NIHIL DENIQVE TAM NOD OSSVM,

QVOD ILLE NON DISSOLVERIT. IOANNES PITSEVS DE REBVS ANGLICIS. Pagg 391

R. A. P. AC FRATRIS

EMMANVELIS PEREZ DE QUIROGA

ORDINIS MINORUM,

REGULARIS OBSERVANTIÆ,

PROVINTIÆ

IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS,

LECTORIS IUBILATI, EX-DIFFINITORIS,

PATRIS PROVINTIÆ,

PATRIA VALLIS-OLETANI.

DISPUTATIONES

THEOLOGICÆ.

IN TERTIUM LIBRUM SENTENTIARUM

AD MENTEM DOCTORIS SUBTILIS


IOANNIS DUNS SCOTI.

TOMUS PRIMUS.

CUM PRIVILEGIO REGIS, ET PERMISSU SUPERIORUM.

VALLIS-OLETI. Ex Typographia Regia, apud viduam IOSEPHI A RUEDA.

Anno Dñi. 1709.



ILL.^MO AC REV.^MO D. D.

FRATRI ANTONIO FOLCH DE CARDONA,

OLIM SERAPHICÆ NOSTRÆ RELIGIONIS

COMMISSARIO GENERALI,

ET NUNC MERITISSIMO

ARCHIEPISCOPO VALENTINO.

ILL.^ME PRINCEPS.

DISPUTATIONES has Theologicas editurus in lucem, non alius mihi in mentem potuit venire Patronus, cui illas Commiterem, & authoritate defendendas, & nobilitate exornandas. Sub cuius enim patrocinio securiùs, aut feliciùs videbunt lumen, quam sub illius, à quo suum habuerunt esse? Cum enim adhuc in Minoribus ageres, author mihi, & persuasor fuisti, vt in hanc operam totus incumberem. Cum ergo ex tuo imperio, & tuæ semper nutum voluntatis intuitus, opus libentissimè incæperim, & sine tuis expensis hunc tomum in publicum edere non potuissem, equitas non tàm suadet, quàm iubet, vt qui huius operis tantus author existis, sis & Patronus, vt opus tuo iussu conceptum, in tui voluptatem concinnatum, & tuis præcipuè expensis typis traditum, sub tuo nomine lucem videat, vt quod à te exijt, ad te redeat, & sub astro tan felice æternet.

Meritò quippè ingratus arguerer, si debito tanto non commoverer, vt qua possim ratione, glorias, & laudes tuas æternitati consecrarem. Iure ergo tibi debita est particula hæc debitæ gratitudinis. Munus fateor exiguum, id quod maximum habeo, & quidem quamvis non magnum, ex magno, meoque intimo voto pondus accipiet. Vtinam maius, aut speciosius habuissem, maius tamen præ manu non erat, & diutiùs solutionem differre, iam certè pudor recusabat, & valdè.

Nec si hæc mihi non suppeteret ratio, aliæ cogentes deficerent. Hæ sunt

præclara tuarum virtutum ornamenta. Quis enim non videt, quam munifica manu immortale numen eas tuo nomini indiderit virtutes, quæ verè Pontificem ornant? Quis, quæso, satis exprimere poterit illam tuam beneficientiam? Beneficientiam dicam, an effusionem? Liberalitatem appellem, an prodigalitatem?, qua sic te in pauperes effundis, in egenos impendis, in afflictos dilatas, vt egenorum Pater Divino sanè elogio nuncuperis. Quid de iustitia, & equitate tua dicere opus est?, cum omnibus notum sit, ita te ab ipso iuventutis flore rectum Prælatum existere, vt norma recti videaris. Quando enim præfectus totius Seraphicæ Familiæ existebas, ita omnium animos tibi conciliabas, vt re ipsa probares, magnas animas inde posse incipere, vbi alij non nisi post experientiam diuturnam gloriosè solent conquiescere. Quid de tua Clementia dicere valeam? Sed verè de te, Illustrissime Princeps, asserere valeo, quod de Theodosio asseruit Ambrosius: *Beneficium, inquit, se putabat accepisse, cum rogaretur ignoscere, & tunc proprior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ. Prærrogativa ignoscendi erat, iratum fuisse, & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, vt irasceretur.*

D. Ambros. in Orat. funeb. Theod.

Hæc tamen, & cætera huiusmodi, quæ intèr virtutes maximas enumerari valent, de te mirabitur nemo; sivè enim ea, quæ à Cœlo habes, concipiantur, sivè quæ à maioribus hausisti, sivè quæ tuus tibi peperit labor, aut comparabit industria, ea omnia tam illustri eminent splendore, tanta in te fulgent maiestate, vt qui maiora in Patrono ornamenta requirat, meritissime insipiens haberi queat. Cum igitur sine adulationis nota vera sint dicta, reliquum est, vt grato, patienti vè animo id accipias, vt meus hic liber primus de Dominica Incarnatione, suprà alium tibi iam consecratum, de tui nominis patrocinio glorietur. Accipe ergo Illustrissime Præsul litterarum hoc munusculum, vt gratissimæ meæ voluntatis indicium, & munus tibi tuo debitum iure. Tuus est hic liber, quia præcipuè tuo iussu, ac expensis in lucem prodit. Tuus est, quia omnibus tibi debitus titulis. Illum ergo vt proprium, & authoritate, qua summè polles, defendas, & honore, quo maximè fulges, illustres.

Ita vovet, & obsecrat.

Illustrissime, ac Reverendissime Princeps.

Servus deditissimus, & obsequentissimus Filius tuus.

Frater Emmanuel Perez de Quiroga.

APPRO-

APPROBATIO ORDINIS.

SCholasticos in via Scoti Tractatus *de Trinitate, & Incarnatione*, sic in facie conscriptos: *Tom. 3. in 1. Sent. lib. Et tom. 1. in 3. Sent. lib.* in Scholæ nostræ defensionem à R. P. Fr. Emmanuele Perez de Quiroga, Lectore bis Iubilato, & Immaculatæ Conceptionis Provinciæ, actuali Diffinitore, eiusque dignissimo Patre, subtili calamo elaboratos, attenta reflexione perlegimus, & attestamur, multiplicè in eis eruditionem Scholasticis parari, dum præcipua vtriusq; principalioris Scholæ fundamenta in defesso labore funditus aperiuntur. In primis autē id in Authore laudandū, quod singulare certamen prudentèr elegit, dum non cū omni speciosō Thomistarū exercitu, sed cū Thomistico nostri tēporis Gigante in arenā descēdit. Sic *Deut 7. ℣. 22. Paulatim & per partes devincendum indicitur.* *Et 3. Reg. 22. ℣. 31. Non pugnabitis contra minorem, & maiorem quem piam nisi contra Regem solum.* Nec dubium, quod Ill. Godoy inter Thomistas sæculi præcedentis sumpserit Principatum. Hunc singulari certamine debellat, eoque si devicto, canendum Authori subsequitur, vt si decem mille devicerit. Stylus eius, nec qualitate molestat, nec quantitate gravat; quia materiam neq; brevitatis plicatura corrugat, nec explicatura in fastidium invertit. Sic exoptaverat Hugo *lib. 5. didasc. Lectio quidem duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere Spiritum; videlicèt, qualitate, si obscurior fuerit; vel quantitate, si prolixior* Huiusmodi Scriptores expectabat Augustinus, qui à rebus arduis caliginem removerent, & in illis, quæ claritatem deposcunt, nihil inculcarent. *Sicut gratus est* (inquit *lib. 3. de Doctrina Christiana*) *qui cognoscenda enubilat; sic onerosus, qui cognita inculcat; nam delectandi gratia etiam nota dicuntur, vbi non ipsa, sed modus, quo dicuntur attenditur.* Scoti mira doctrina his in codicibus Authoris artificio lustratur, dum ingenio, doctrina, & vsu perita dexteritate disponitur. Hæc tria Cicero postulabat *lib. 2. Rethoric. Peritia dicendi in tribus consistit: Natura, Doctrina, & Vsu.* Et Chrysost. *lib. 6. Polycr. Si Artem, Vsumque disocies, Ars infœcunda est sine Vsu, & Vsus temerarius sine Arte.* Naturam, Artem, & Vsum in his Scholasticis speculationibus mirificè copulatas invenimus. Naturam in claritate, Artem in dispositione, Vsum in assiduitate; etenim huiuscemodi labores præcedentibus eiusdem Authoris voluminibus consonare perspeximus. Nec dubitamus Scholæ subtilium opus istud maximè profuturū, in quo nihil non Catholicum, quinimo totum Subtile, & Subtilitatis Magistro consonum reperimus, & publica luce dignum. Sic iudicamus, salvo, &c. In hoc Regali S. P. N. Francisci Cæsar augustano Conventu, die vigesima sexta, mensis Octobris, anno millesimo septuagesimo quarto.

Deuter. 7. ℣. 22. 3. Reg. 22. ℣. 31.

Hugo lib. 5. Didasc.

D. August. lib. 3. de Doctrin. Christian.

Cicer. lib. 2 Rethor.

Chrysost. lib. 6. Polycr.

Fr. Antonius Perez,
Lector bis Iubilatus.

Fr. Antonius Arbiol,
Lector bis Iubilatus.

LICENTIA ORDINIS.

FRATER ILDEPHONSVS DE BIEZMA, TOTIVS ORDINIS FRATRVM MINORVM S. P. N. Francisci, Minister Generalis, ac Servus &c.

PRæsentium litterarum vigore, & quatenùs ad Officij nostri authoritatē attinet, facultatē facimus opus quoddā à R. P. Fr. Emmanuele Perez de Quiroga, Provinciæ nostræ Immaculatæ Conceptionis, Lectore bis Jubilato, actuali eiusdem Diffinitore, illiusque Patre, dispositum, cui titulus inditur, & epigraphe *Tom. 3. in 1. Sentent. librum; & Tom. 1. in 3. Sentent. librum, &c.* Typis, & in lucem edendi: quandoquidem à gravibus PP. Ordinis nostri Theologis ex commissione nostra revisum, & accuratiùs examinatum, approbatum est. Dum tamen alia omnia de cætero serventur quàm ex Apostolicis, Ordinisque Constitutionibus, Sacrique Tridentini Concilij Decretis, necnon, & Regijs huiusce Regni Pragmaticis sanctionibus hac de re editis servanda præscribuntur. Datum in hoc nostro Conventu S. Francisci Curiæ Matritensis, Die vigesima septima mensis Ianuarij, Anni millesimi septingentesimi quinti.

Fr. Ildefonsus de Biezma.
Minister Generalis.

D. M. S. Rmæ.
Fr. Ioannes Ximenez.
Secretarius Generalis Ordinis.

CENSVRA R.A.P.M.Fr. ATTILANI DE DIOS, OLIM IN SVO SALMANTICENSI

Carmelitarum Cœnobio Prioris, & Studiorum Regentis, S. Inquisitionis Qualificatoris, & nunc huius Carmelitarum de Observantia Segovienſis Conventus actualis Prioris, &c.

DE mandato per Illuſtris Domini D. D. Ioannis Ignatij Alpharo & Aguilar, totius Segovianę Diœceſis, in Spirituali Foro, Generalis Centoris, & pro deffenſandis Fidei dogmatibus prædiffiniti Senatoris in Sancto, ac Venerabili Theatro Hiſpalenſi; per Excellentiſsimum Dominum Heoremque præclariſsimum D. D. Balthaſarem de Mendoza & Sandoval, olim in Reg. Hiſpaniarum diſpoſitione maturo fronte Guvernatorem, nunc autem huius Celeberrimæ Eccleſiæ dignisſimum Præſulem; orthodoxæque Fidei ſuper omne Heſperiæ Tribunal Supræmum, & Generalem Iudicē, &c. Avida mente hos Libros perlegi, quorum inſcriptio eſt, *Tom. 3. in 1. Sent. Lib. & Tom. 1. in 3. Sent. Lib.* quorum Author R.R.P.M.Fr. Emmanuel Perez de Quiroga, Lector bis Iubilatus, & huius Immaculatę Conceptionis Provinciæ Ordinis Minorū actualis Diffinitor, & Pater. Et certè perpenſa eorum eruditione, non me Iudicē exiſtimo; ſed edoctū me contemplor. Vndè ſi à me poſtulatur, vtrùm Chirographa Sapientiſ. P.M Quiroga, recto calamo elaborata videantur, reſpondere poteram, quod factus eſt Alexand. ab Alex. ad quendam inter Cauſidicos Pantonum diſcertiſsimum, & in litteris Primatum occupantem, & inquirentem ab ipſo ab Alex. quid *Opiſthographum* ſignificari apud Vlpianum *Lege chartæ, ff. de bonis poſſ. 2.* & ait: *Dixi ego ſatis liquere verbi originem è Græco deductam, & quantum aſſequi poteram Opiſthographum dici chartam, nō ſpecie libelli, ſed voluminis vtraque facie ſcientiam exhalantis.* Quia vndique vbertatem in doctrina conſpicio, exuberantiam in dicendo reperio, quolibet in verbo facundiam, in omni litteratura ſapientiam, veterum PP. ſcita caleſtesſtimonia Sacræ Paginę penſiculatè vertit. Vndè de illo dicerem: *Suſceperunt Verbum Dei cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas* Modeſtia impugnat, profunditate objicit, ſuam non invenuſtam mentem aperit ingenio poſteris, ſuamque doctrinam prætabili diſquiſitione non denegat Scholaſticis; ergo Opiſthographa ſua vtraque facie voluminum ſpecie, ſcientiam exhalant. Sed quid mirum, ſi vt alter ſuus Patronus ſubtilitate viget! Nam ingenij amænitate ornatus, & in ſtudijs doctrinarum excultus; ex litterarijs caſtris ad arenam deſcendit cum illo Athlanti, & inter noſtri temporis Theologos Primatum habenti; Ill. & Rmo. mihique Venerabili Godoy, Oxomenſi Antiſtite. Quid ergo amplius? Ait Dominus Iſaiæ: *Sume tibi Librum grandem, & ſcribe in eo.* Quid enim hæc magnitudo? Gloſ. *Grandior eſt Liber profunditate Sententiarum.* Et quid ſi grandis eſt Liber, in eo ſcribendum? Lyra ibidem: *Hoc dicitur Doctori Theologiæ, vt exponat exponenda, & impugnet impugnanda.* Ergo ſi ex Godoy notter Sapientiſsimus Magiſter impugnat (tam doctè, & Religiosè) objectione dignum, & exponit clarè involutum nebulis, vt magis, ac magis ſubtilis doctrina oſtendatur. Sicut Iſaias Magnus inter Prophetas; ſita Magnus hic Author inter Authores. Vndè volumina hæc, nedum Catholicæ Fidei conſona adinveni; ſed, & bonis moribus familiaria videntur. In lucem ergo prodeant, tantam lucē præſtantia, & typis mandentur, tàm pervtilia opera. Ecce meum dictamen. Salvo, &c. Ex hoc Conventu Carmelitarum Antiquæ Obſervantiæ Segovienſi. Die quarta decima Aprilis, Anno milleſimo ſeptingenteſimo quinto.

Alex ab Alex. lib. 2 cap. 30.

Actor. 17.

Iſaias 8. Gloſſ. hic. Lyr. ibid.

Fr. Attilanus de Dios.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOs el Licenciado Don Juan Ignacio Alfaro y Aguilar, Proviſor, y Vicario General en eſta Ciudad de Segovia, y ſu Obiſpado, y Fiſcal del Sancto Tribunal de la Inquiſicion de Sevilla, por el Excelentiſsimo Señor D. Baltaſar de Mendoza y Sandoval, Obiſpo de dicho Obiſpado, y Inquiſidor General en eſtos Reynos, &c. Por quanto por el M.R.P.Fr. Manuel Perez de Quiroga, Lector dos vezes Jubilado, Difinidor, y Padre de eſta Santa Provincia de la Concepcion, de la Orden de Nueſtro Padre San Franciſco, de la Obſervancia, ſe nos ha pedido, que por lo que à Nos, como Ordinario Eccleſiaſtico de eſte Obiſpado toca, le concedàmos nueſtra licencia, en forma, de poder imprimir dos Libros, intitulados, el vno: *In 1. Sent. Tomo 3.* el otro: *In 3. Sent. Tomo 1.* ſu Autor el dicho M.R.P.Fr. Manuel Perez de Quiroga. Atento de nueſtra remiſsion han ſido viſtos, y examinados, y no contienen coſa contra nueſtra Santa Fè Catholica, buenas, y loables coſtumbres, ſegun que aſsi conſta de la cenſura dada por el M. R. P. Fr. Atilano de Dios, Lector Jubilado, y Prior del Convento de Nueſtra Señora del Carmen, de la Obſervancia, de eſta dicha Ciudad, para que mandàmos deſpachar la preſente, firmada, y refrendada del infraſcripto Notario. En Segovia à 20. dias del mes de Abril de 1705.

Licenciado Don Juan Ignacio de Alfaro y Aguilar.

Por mandado de ſu Merced.
Frutos de Eſpinoſa Reynoſo.

CEN-

CENSVRA R. Adm. P. M. Fr. IOSEPHI A SANCTA Maria, Magistri, & Doctoris in Sacra Theologia. Et R. Adm. P. M. Fr. Ioann. Ludovici Buitrago, Lectoris Sacræ Theologiæ.

M. P. S.

SUpræme, atque Regie Senatus, Celsitudini vestræ obtemperando, optuti in opus, cuius inscriptio: *Tomus 3. in 1. Sent. lib. & Tomus 1. in 3. Sent. lib.* à R. A. P. Fr. Emmanuele Perez de Quiroga, bis rude donato Lectore, & Immaculatæ Conceptionis Provinciæ actuali Diffinitore, eiusque emeritissimo Patre, concionatū direximus, idq; nō tumultuariè, sed attenta meditatione leginus. Tanti quidē Cn. Pompeius Posidoniū Stoicæ disciplinæ virū, & Magistrum suum fecit, quod, cum scierit ægrotum iacere, *Domi visere dignatus est, summisitque invictus Imperator privatæ domui fasces, quibus penè totus se oriens summiserat.* Tantum honorem prædictus Imperator Posidonio præbuit propter ab eo disciplinam acceptam. Non minoris habet, nec habere debet noster Author propter Subtilem Scotum Magistrum suum, à quo Subtilem ebibit doctrinam: propterea que eum honorare contendit hoc in opere. Quod præstat monomachiam cum viro Theologorum facile Principe, minirum, cum Ill. Godoy Scholæ Thomisticæ Achile iniendo. *Nec grande est* (ait Hieronym. de libris Ariani Diaconi, qui doctrinam sanam non continebant loquendo) *ineptissimis nenijs respondere*: ergo grande erit, doctissimis, ac eruditissimis Ill. God. libris doctrinam sanam, & Catholicam amplectentibus, responsum tribuere, eosque impugnare. Id ergo in defensionem sui Magistri, vtriusque Scholæ fulcra referando, in prædicto opere non minus doctrinam sanam, & Catholicam continente (vtrùmque enim est probabile) agit luculentèr prædictus Author. *Nihil ita contrarium, nihil ita discrepatissimum in scribendo quam acceleratio, & celeritas*: huius operis labor non celeritèr, non ex tempore: sed meditatione, ac cogitatione agitatus, nobis creditur: siquidem disputationes, quas tractat, ita versat, vt difusè, latèque discutiat, notabilia pro disputationis intelligentia ponenda perspicua, minutatimque verba Ill. God. quæ in disputatione, de qua est controversia, affert, & quæ alibi habet (in quo dignoscitur eiusdem libros sæpè legisse) evoluendo: tum ad eum impugnandum, tum ad hominem illi arguendum, quod religiosè, ac modestè, terminisque Scholasticis vtendo, exequitur. *Vbi controversia* (inquit acutissimus, atque perdoctus Sylbeira) *ibi res magis declaranda, ac dilucidanda est.* Pugnat fortitèr Ill. God. contra Subtilem Scotum, eiusque sequaces: obstitit non minus validè prædictus Author, telis doctrinæ Scoticæ, & Ill. God in ipsum irruendo: omnia dilucidè, ac egregiè declarando, doctrinamque sui Magistri à contrarij iaculis vindicando. *Viri boni est bona sua non celare, eaque viva voce sui seculi hominibus, & scriptis posteritate communicare.* Hac non caret prærrogativa R. A. P. Quiroga, tum, quia cum actu legeret, viva voce, & scriptis hanc discipulis communicabat doctrinam: tum, quia senior factus eandem reliquit posteris auctam, quæ domesticis valdè est profectura; extraneis verò vtilis satis, vt argumenta ex ea in contrariam eruant doctrinam exercicij causa. Est gramen tutelæ, & salutis symbolum, ac laurea Fabij decoratur caput, *Gramineam Fabio Patres tribuere corollam*; quia Romam à Carthaginensibus inimicis liberando, ei Fabius salus fuit, & tutela. Tutela, & salus Scoticæ Scholæ est prædictus M. Quiroga, tutela, quia eam pro viribus defendit; Salus, quia per eum securiùs vivet: Coronetur itaque simili graminea corolla. Si namque Fabius cum Annibalde viro fortissimo dimicat, Noster Author cum viro fortissimo præliat. Nihil Fidei contrarium, nec moribus disonum, hoc in opere habetur, atque ideò (salvo meliori, &c.) prælis mandari dignum censemus. Ita in hoc Carmelitarum de Observantia Cœnobio, & in hoc D. Mariæ de Victoria Segovienſis Conventu. Die sexta Iunij, Anni Domini millesimi septingentesimi quinti.

Strab. lib. 11.

Hieron. in Epistol. ad Alip. & Aug. st.

Bernard. lib de consc. cient.

Sylbeir. in Apocalips. q. 54. ca. 1. n. 435. Beyerlinck. verb Scriptio.

Alciat. Emb. 26.

Fr. Iosephus à Sancta Maria.
Mag. & Doct. in Sacra Theologia.

Fr. Ioannes Ludovicus Buitrago.
Lector Sacræ Theologiæ.

EL

EL REY.

POr quanto por parte de vos Fr. Manuel Perez de Quiroga, Lector dos vezes Jubilado, Difinidor, y Padre de la Provincia de la Concepciõ, Ordẽ de S. Francisco, y Conventual en el Convento de la Ciudad de Segovia, se nos ha representado aviades compuesto dos Libros, intitulados, el vno: *Tomo 3. in 1. Sent.* y el otro: *Tomo 1. in 3. Sent.* de los quales, con la licencia del Ordinario, y de vuestro Superior, haziades presentacion; y porque deseavades sacarlos à luz, se nos suplicò fuessemos servido concederos licencia para poderlos imprimir, y Privilegio por diez años, con las calidades, y prevenciones necessarias. Y visto por los del nuestro Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias que disponen las Pragmaticas vltimamente hechas sobre la impresion de los Libros, se acordo dar esta nuestra Cedula: Por la qual os concedemos licencia, y facultad para que por tiempo de diez años, que han de correr, y contarse desde el dia de la fecha de esta nuestra Cedula, vos, o la persona que vuestro poder tuviere, y no otra alguna, podais imprimir, y vender los dichos Libros, de que va hecha mencion, por los originales que en el nuestro Consejo se vieron, que vàn rubricados, y firmados de Don Thomàs de Zuaço y Aretti, Escrivano de Camara, de los que residen en el Consejo, con que antes que se vendan los traygais ante los de èl, juntamente con los dichos originales, para que se vea si la dicha impresion esta conforme à ellos; trayendo assimesmo fee en publica forma, como por el Corrector por Nos nombrado se viò, y corrigio la dicha impresion por los originales, para que se tasse el precio à que se han de vender. Y mandamos al Impressor que imprimiere los dichos Libros, no imprima el principio, y primer pliego de cada vno, ni entregue mas que dos solos Libros con sus originales al Autor, ò persona à cuya costa se imprimiere, para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estèn corregidos, y tassados por los de el nuestro Consejo; y estàndolo assi, y no de otra manera, pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual seguidamente se ponga esta licencia, y la aprobacion, tassa, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en las Pragmaticas, y Leyes de estos Reynos. Y mandamos, que durante el dicho tiempo de los dichos diez años, persona alguna, sin vuestra licencia, no los pueda imprimir, ni vender, pena, que el que los imprimiere aya perdido, y pierda todos, y qualesquier Libros, moldes, y aparejos que tuvieren del dicho Libro, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis, y se dè la tercera parte de ello para la nuestra Camara, la otra tercera parte para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el denunciador. Y mandamos à los del nuestro Consejo, Presidente, y Oidores de las nuestras Audiencias, Alcaldes, y Alguaziles de la nuestra Casa, Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Assistente, Governadores, Alcaldes Mayores, y Ordinarios, y otros Juezes, y Justicias qualesquier de las Ciudades, Villas, y Lugares de estos nuestros Reynos, y Señorios, y a cada vno, y qualquier de ellos en su jurisdiccion, vean, y guarden, cumplan, y executen, y hagan guardar, cumplir, y executar esta nuestra Cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consientan ir, ni passar en manera alguna, pena de la nuestra merced, y de cada cinquenta mil maravedis para la nuestra Camara. Dada en Madrid à veinte dias del mes de Junio de mil setecientos y cinco años. YO EL REY. Por mandado del Rey nuestro Señor. Don Lorenço de Vivanco Angulo.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 28. columna 2. num. 36. vtente, lege vtentes, Pag. 35. col. 2. n. 70. pro 69. lege 57. Pag. 38. col. 1. n. 82. soluitis, lege solutis. Pag. 50. col. 2. n. 21. virtute, lege virtutem. Pag. 50. col. 2. n. 24. propia, lege propiæ. Ibidem no, lege non. Pag. 50. col. 2. n. 25. vniantur, lege vniatur. Pag. 52. col. 1. n. 31. esse, lege esset. Pag. 55. col. 1. n. 42. no, lege non. Pag. 56. col. 2. n. 47. quam, lege qua. Pag. 61. col. 1. n. 67. pro numero 36. & 37. lege 24. & 25. Pag. 68. col. 2. n. 107. infinita, lege finita. Pag. 69. col. 1. n. 3. deducendis, lege deducendi Pag. 69. col. 2. n. 8. rationem, lege relationem. Pag. 71. col. 2. n. 19. quando persona, est intrinseca, & propia naturæ superfluit. Pag. 74. col. 1. n. 30. no, lege non. Pag. 88. col. 2. n. 46. habet, lege habere. Ibid. sub n. 74. domum, lege dominium. Pag. 93. col. 2. n. 15. sic, lege sit. Pag. 118. col. 1. n. 3. principio, lege principium. Pag. 120. col. 1. n. 10. quolibet, lege quodlibet.

Este Libro intitulado: *Quiroga de Incarnatione, Tomo Primero*, con estas erratas corresponde con su original. Madrid, y Diziembre à 17. de 1709.

Licenciado Don Benito del Rio y Cordido.
Corrector General por su Magestad.

TASSA.

DOn Francisco de Salinas, Secretario de Camara del Rey nuestro Señor, de los que residen en el Consejo, certifico: Que aviendose visto por los Señores de èl vn Libro intitulado: *In 1. Sent. Tomo 3.* compuesto por el P. Fr. Manuel Perez de Quiroga, Religioso del Orden de San Francisco, que con licencia de dichos Señores ha sido impresso, tassaron à quatro maravedis cada pliego, y el dicho Libro tiene, sin principios, ni tablas, ochenta y cinco pliegos, y medio, que montan trecientos y quarenta y dos maravedis, y à este respecto, y no mas mandaron se venda; y que esta certificacion se ponga à continuacion de dicho Libro. Y para que conste lo firmè, en Madrid a veinte de Diziembre de mil setecientos y nueve años.

Don Francisco de Salinas.

IN

INDEX DISPVTATIONVM, ET PARAGRAPHORUM.

Quæ in hoc Primo Tomo in Tertium Librum Sententiarum continentur.

Littera P. *significat Paginam.*

TRACTATUS PRIMUS.

De neceſsitate,& motivo Incarnationis.

DISPUTATIO PRIMA.

An peccatum mortale in ratione offenſæ ſit gravitatis ſimplicitèr infinitæ?

§. I.

Referuntur ſententiæ,& vera eligitur.*Pag.*1.

§. II.

Probatur primo concluſio,rationem Ill. Godoy evertendo.*Pag.*2.

§. III.

Probatur ſecundo concluſio paritate actuum ſupernaturalium.*Pag.*6.

§. IV.

Triplici ratione probatur Scoti concluſio.*Pag.*7.

§. V.

Specialibus rationibus probatur noſtra concluſio.*Pag.*11.

§. VI.

Occurritur argumentis Ill.God.*Pag.*15.

§. VII.

Solvitur argumentum ſpeciale.*Pag.*19.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.*Pag.*21.

DISPUTATIO II.

Vtrum purus homo de condigno ſatisfacere poſsit pro ſuo,vel alieno peccato mortali?

§. Primus.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ. *Pag.*22.

§. II.

Statuitur prima concluſio,& duplici argumento ſuadetur.*Pag.*25.

§. III.

Quid ſit de peccato alieno dicendum.*Pag.*26.

§. IV.

Ratione fundamentali probatur noſtra concluſio.*Pag.*28.

§. V.

Rationibus ſpecialibus probatur noſtra concluſio.*Pag.*29.

§. VI.

Argumento Ill. God. ex Patribus deducto occurritur.*Pag.*31.

§. VII.

Solvitur argumentum Ill.God.à ratione.*Pag.*32.

§. VIII.

Argumentum ex ſuperioritate ordinis ſolvitur. *Pag.*35.

§. IX.

Difficile argumentum ſolvitur.*Pag.*38.

§. X.

Solvuntur alia argumenta.*Pag.*40.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.*Pag.*42.

DISPUTATIO III.

An ſatisfactio Chriſti ſit valoris ſimplicitèr infiniti?

§. Primus.

Referuntur ſententiæ, vera eligitur, & probatur. *Pag.*45.

§. II.

Alia Scoti ratione probatur concluſio, & ſolutio Ill.Godoy reijcitur.*Pag.*47.

§. III.

Aliæ probationes pro noſtra concluſione aſsignantur.*Pag.*49.

§. IV.

Rationibus ſpecialibus probatur noſtra concluſio.*Pag.*54.

§. V.

Primum argumentum Ill. God. ex Authoritate deductum ſolvitur.*Pag.*58.

§. VI.

Secundo argumento Ill.God.occurritur. *Pag.*59.

§. VII.

Occurritur tertio argumento Ill.God.*Pag.*66.

DIS-

DISPUTATIO IV.
An Christi satisfactio fuerit de se sufficiens pro peccatis omnium hominum?
§. Primus.
Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ. *Pag.68.*
§. II.
Satisfactionem Christi fuisse ex se, secluſſa extrinſica acceptatione, in actu primo condignam, Authoritate Scripturæ, & Scoti, rationeque probatur. *Pag.70.*
§. III.
Argumenta ex Scoto deducta, & alia, quæ contra conclusionem militant, solvuntur. *Pag 71.*
§. IV.
Fuisse superabundantem satisfactionem Christi probatur, & contra Ill. Godoy ex eius doctrina superabundantem non fuisse ostenditur. *P.73.*
§. V.
Ratio à priori examinatur, & ab Ill. Godoy adducta refellitur. *Pag.76.*
DISPUTATIO V.
Vtrum satisfactio Christi fuerit ex toto rigore iustitiæ?
§. Primus.
Supponuntur necessaria, sententiæ referuntur, & vera eligitur. *Pag.80.*
§. II.
Probatur conclusio ex prima conditione. *Pag.81.*
§. III.
Ex secunda conditione probatur conclusio. *P.82.*
§. IV.
Probatur conclusio ex tertia, & quarta conditione. *Pag.85.*
§. V.
Solvitur fundamentum Ill. God *Pag.89.*
DISPUTATIO VI.
An Christi satisfactio fuerit ex virtute iustitiæ?
§. Primus.
Necessaria supponuntur, & sententiæ declarantur. *Pag.91.*
§. II.
Prima conclusio statuitur, & probatur. *Pag.93.*
§. III.
Duplex alia conclusio statuitur, & probatur. *P.94.*
DISPUTATIO VII.
An Deus satisfactionem Christi acceptaverit ex iustitia stricta, & speciali?
§. Primus.
Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio. *Pag.95.*
§. II.
Argumentis in contrarium occurritur. *Pag.102.*
§. III.
Secunda conclusio statuitur, & probatur. *Pag.110.*
§. IV.
Argumentis Ill. God occurritur. *Pag.113.*
DISPUTATIO VIII.
An Verbum carnem assumeret in vi præsentis decreti, Adamo non peccante?
§. Primus.
Necessaria ad quæstionem supponuntur. *Pag.118.*
§. II.
Referuntur sententiæ, vera eligitur, & Scoti ratione probatur. *Pag.120.*
§. III.
Alijs rationibus probatur conclusio. *Pag.123.*
§. IV.
Argumentum Ill. Godoy ex Patribus deductum, solvitur. *Pag.127.*
§. V.
Occurritur duplici replicæ Ill. God. *Pag.128.*
§. VI.
Duplex alia replica Ill. God. declaratur, & solvitur. *Pag.133.*
§. VII.
Alia solutio ad argumentum principale. *P.138.*
§. VIII.
Solvitur argumentum Ill. God. ratione D. Thomæ deductum. *Pag.139.*
§. IX.
Occasione vltimæ replicæ explicatur ordo inter Divina decreta servatus, & triplex alia statuitur conclusio. *Pag.144.*
§. X.
Argumenta Ill. God. contra tertiam, & quartam conclusionem solvuntur *Pag.155.*
§. XI.
Argumento Vasquij contra principalem conclusionem occurritur. *Pag 159.*
§. XII.
Alia argumenta solvuntur. *Pag.162.*
§. XIII.
Occurritur triplici argumento speciali. *Pag.165.*
§. XIV.
Corollaria præcedentis doctrinæ, & vna difficultas resolvitur. *Pag.167.*
§. XV.
Alia difficultas resolvitur. *Pag.171.*

TRACTATUS SECUNDUS.
De modo vnionis Verbi Incarnati.
DISPUTATIO IX.
Vtrum vnio humanitatis ad Verbum facta fuerit in persona, vel in natura?
DISPUTATIO X.
An Christus verè sit, & dicatur persona composita propria compositione?

Qui-

§. Primus.
Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ, vera eligitur,& probatur.*Pag.*174.
§. II.
Argumentis Ill.God.occurritur.*Pag.*179.
§. III.
Compositio personæ Christi , & extrema illius explicantur.*Pag.*185.
§. IV.
Modus istius mirabilis compositionis exponitur. *Pag.*186.
§. V.
Argumenta Ill.God.diluuntur.*Pag.*189.
DISPUTATIO XI.
An vnio humanitatis ad Verbum sit realitèr distincta ab extremis? Quid sit,& Quotuplex?
§. Primus.
Resolvitur prima pars istius disputationis.*P.*193.
§. II.
Triplex alia ratio pro nostra sententia.*Pag.*197.
§. III.
Triplici argumento Gonet occurritur.*Pag.*199.
§. IV.
Cætera argumenta diluuntur, & explicatur : an actio productiva sit realitèr distincta ab vnitiva?*Pag.*203.
§. V.
Resolvitur secunda pars præsentis disputationis. *Pag.*206.
§. VI.
Occurritur argumentis Ill.God.*Pag.*209.
§. VII.
Tertia pars disputationis resolvitur.*Pag.*212.
§. Vltimus.
Argumenta Ill.God.solvuntur.*Pag.*216.
DISPUTATIO XII.
Quid sit terminus formalis ad quem Incarnationis, provt actio est?
§. Primus.
Apperitur difficultas,& relatis sententijs vera eligitur.*Pag.*226.
§. II.
Argumento Ill.God.occurritur.*Pag.*230.
DISPUTATIO XIII.
An Patres antiqui Incarnationis substantiam ex congruo meruerint?
§. Primus.
Quibusdam præsuppositis , referuntur sententiæ, vera eligitur,& ratione Scoti probatur.*P.*233.
§. II.
Solutio Ill. Godoy proponitur , & impugnatur. *Pag.*236.
§. III.
Probationes ab inconvenienti declarantur. *Pag.*241.
§. IV.
Argumento Ill.God.occurritur.*Pag.*244.
§. Vltimus.
Resolvuntur aliquæ difficultates.*Pag.*247.

TRACTATUS TERTIUS.
De Verbo assumente.

DISPUTATIO XIV.
An Verbum per Incarnationem fuerit mutatum intrinsicè?
§. Vnicus.
Ratio dubitandi proponitur , illiusque solutio traditur,& quæ contra illam militant, solvuntur.*Pag.*260.
DISPUTATIO XV.
Sub quâ ratione conveniat personæ Divinæ assumere naturam creatam, & an illam assumere potuerit secundum prædicata absoluta?
§. Primus.
Prima pars Disputationis resolvitur.*Pag.*263.
§. II.
Resolvitur secunda pars dubij.*Pag.*265.
§. III.
Solvitur argumentum ex Concilijs , & Patribus deductum.*Pag.*266.
§. IV.
Occurritur argumento difficili.*Pag.*268.
§. V.
Alia argumenta solvuntur.*Pag.*271.
§. Vltimus.
Ex dictis quædam difficultas resolutoriè enodatur.*Pag.*273.
DISPUTATIO XVI.
An omnes personæ Divinæ possint simul vnam terminare naturam , & vna persona plures?
§. Primus.
Quæ certa,& necessaria sunt,permittuntur.*P.*273.
§. II.
Prima pars Disputationis resolvitur.*Pag.*275.
§. III.
Ratione Scoti probatur conclusio.*Pag.*277.
§. IV.
Responsio Ill. Godoy proponitur , & reijcitur. *Pag.*280.
§. V.
Alijs rationibus probatur Scoti conclusio. *Pag.*284.
§. VI.
Paritate contra Ill. Godoy , & alios adversarios probatur conclusio.*Pag.*287.

DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL

§. VII.
Solutiones Ill. Godoy examinantur, & reijciuntur. *Pag.* 289.
§. VIII.
Solvitur argumentum Ill. God. *Pag.* 292.
§. IX.
Solvuntur argumenta Ieſuitarum. *Pag.* 295.
§. X.
Solvuntur argumenta à paritate. *Pag.* 296.
§. XI.
Solvuntur argumenta ſpecialia. *Pag.* 298.
§. XII.
Secunda pars Diſputationis reſolvitur. *Pag.* 302.
§. XIII.
Statuitur concluſio, & mens Scoti explicatur. *Pag.* 303.
§. XIV.
Occaſione vltimi argumenti examinatur, an caſu, in quo plures perſonæ aſſumerent vnam humanitatem, eſſent plures homines, vel vnum? *Pag.* 306.

DISPUTATIO XVII.

Vtrum perſona creata poſsit de potentia abſoluta alienam terminare naturam?

§. Primus.
Quibuſdam ſuppoſitis eligitur vera ſententia. *Pag.* 308.
§. II.
Statuitur concluſio, & probatur, evertendo primum fundamentum Ill. God. *Pag.* 310.
§. III.
Probatur ſecundo concluſio, evertendo idem fundamentum Ill. God. *Pag.* 312.
§. IV.
Probatur quarto concluſio, evertendo ſecundum fundamentum Ill. God. *Pag.* 324.
§. V.
Primum argumentum Ill. God. diluitur. *Pag.* 326.
§. VI.
Secundum argumentum Ill. God. diluitur. *P.* 337.

TRAC-



TRACTATVS PRIMVS.

DE NECESSITATE, ET MOTIVO INCARNATIONIS.

INCARNATIO in vſu Theologorum eſt vnio naturæ Divinæ, & humanæ in vnitate Perſonæ Divinæ, & de facto fuit in Perſonalitate Uerbi. De ea agunt Scholaſtici cum Magiſtro *in 3. Sentent. à diſtinct. 1. vſque ad 22.* Ibi Subtilis Doctor. D. Thomas ibidem, *& 3. part. à quæſt. 1. vſque ad* 24. cum quo Ill. Godoy per tres tomos graviores exagitat diſputationes; noſque pro promiſsi adimpletione per tres etiàm tomos diſputationes, quas ipſe proponit, ordine ab ipſo ſervato, proponemus.

DISPVTATIO PRIMA.

An peccatum mortale in ratione offenſæ ſit gravitatis ſimplicitèr infinitæ?

§. I.

Referuntur ſententiæ, & vera eligitur.

Num. 1

HOc eſt dubium, quod in Tractatus limine primum ſtatuit Ill. Godoy, ea ratione ductus, quià cętera, quę de neceſsitate Incarnationis diſcutienda ſunt, ex illius reſolutione dependent; ideòque eius veſtigia ſequendo, primum etiã illud ſtatuo, vt à primo incipiam opiniones Ill. Godoy impugnare. In hoc ergò duæ extremę oppoſitæ verſantur ſententiæ. Prima eſt affirmativa, pro qua cit. Ill. Godoy D. Thomam, ipſamque amplectitur cum ab ipſo *num. 2.* citatis. Secunda eſt negativa, pro qua ſtat Scotus *in 2. diſt. 37. q. 1. §. ex iſta, & in 3. diſt. 19. ad 2. & diſtinct. 30. §. Contra*, quem præter ſuos ſecuntur frequentiùs Authores Societatis, & nonnulli ex Thomiſtis, vt fatetur Ill. Godoy *n. 1.*

1. Sẽtentia. Scotus.

Concluſio: *peccatum mortale in ratione offenſæ non eſt gravitatis ſimplicitèr infinitæ.* Hæc eſt noſtra concluſio, quæ, re attentè inſpecta, videtur eſſe D. Tho-

2 Concluſio.

1. Sẽtentia. Ill. Godoy.

Conclusio videtur esse etiam D. Thomæ.

mæ. Primo: nam numquam Doctor Angelicus dixit: peccatum esse simpliciter infinitum, & credibile non videtur, id sentire, quin aliquando illud expresè declararet. Secundo: quia D. Thomas infinitatem peccati deduxit ex eo, *quod quanto maior est, in quem peccatur, tanto est maior culpa*, vt patet ex ipso 3. *Sent. dist.* 20. *q.* 1. *art.* 2. *circa principium corporis*; quam rationem admittit Scotus, ex ipsaque infinitatem simpliciter negavit semper, & semper infinitatem quamdam, seu secundum quid fuit in peccato confessus. Ob hoc ergo litigium est inter ipsos Thomistas de mente D. Thomę, quod ipsis, non nobis, incumbit disputare. Nostra tamen conclusio sequentibus rationibus probatur.

§. II.

Probatur primo conclusio, rationem Ill. Godoy evertendo.

3 *Probatur 1. conclusio.*

PRima ratio nostræ conclusionis sumittur paritate peccati venialis, destruendo rationem, quam pro sua conclusione adducit Ill. Godoy, & ponitur, vt ab ipso formatur: si ratio facta pro conclusione huius Doctoris aliquid probat, convincit, peccatum veniale esse in ratione offensæ gravitatis infinitæ simpliciter; consequens est falsum: ergo ratio facta est inefficax. Maior probatur: etenim si verum est, peccatum mortale in ratione offensæ Deum, vt subiectum, respicere, etiam veniale peccatum in ratione offensæ Deum respiciet, vt subiectum morale; sed hac ratione probat, peccatum mortale esse in ratione offensæ simpliciter infinitum, quia Deum respicit, non vt obiectum, sed vt subiectum morale, ideoque ab illo, vt a forma, gravitatem, & infinitatem accipit: ergo si ratio facta aliquid probat, convincit, idem esse de peccato veniali dicendum, nempè, quod sit gravitatis simpliciter infinitę. Ex quo vlteriùs sequitur: non posse purum hominem de condigno, & ad æqualitatem satisfacere pro illo.

4 *Respondet Ill. Godoy.*

Huic rationi, omissis aliorum solutionibus, respondet Ill. Godoy *num.* 70. negando maiorem, ad illius probationem dicit, quod licèt peccatum veniale in ratione offensæ subiecteture in Deo, non tamen recipit ab illo infinitatem simpliciter, quia cum sit levis offensa, est incapax recipiendi infinitatem; forma autem subiecto incapaci vnita non præstat illi effectum, quem de se præstare potest, sicut subsistentia Verbi vnita naturæ irrationali non præberet illi sanctitatis effectum, nec redderet personatam, quia natura irrationalis illorum effectuum est incapax. Retorsionē etiā facit, quam ommito, quia nostrę doctrinæ non officit, & solum, si vrget, contra Authores vrget suæ Scholę.

5 *Impugnatur 1.*

Video Ill. Godoy solutionem, & replicas, quas contra ipsam facit. Video attentè responsiones, & (ni fallor) video, non respondere; ideoque replicis ab ipso contra ipsum factis, ipsum impugno primo: peccans venialiter non facit, quod Maiestas Dei offensa non influat in offensam venialem, nec illam informet; sed quod non informet, nec influat infinitè: ergo non impedit, sed limitat influxum personæ offensæ infinitæ. Antecedens patet: nam offensa venialis, quia contra Deum est, excedit omnes offensas illatas creaturis reduplicativè, vt creaturis illatas: ergo moralitatem aliquam accipit à Deo offenso, & aliàs non accipit infinitatē ab illo: ergo, &c. Consequentia probatur: nam impedire influxū personæ est, facere, quod persona nō influat; limitare autē est, facere quod non influat secundū totū, quod potest; sed peccans venialiter nō facit quod Deus offensus non influat in offensā venialē, quando quidē influit in illam, sed quod non influat secundum totum, quod potest, sed limitatè, & finitè: ergo non impedit, sed limitat influxum Maiestatis Dei offensæ.

6 *Respondet Ill. Godoy.*

Ad hanc impugnationem respondet Ill. Godoy *num.* 79. concesso antecedenti, distinguendo primam partem consequentis: non impedit omnem influxum personę concedit consequentiam; non impedit adæquatum influxum negat consequentiam. Ex quo tantum sequitur: limitare influxum personæ, ponendo substractum incapax adæquati effectus illius, quod libentèr fatetur; non tamen sequitur, limitare influxum personæ ob solam limitationem principij, & conatus, & hanc limitationem influxus personæ negat; & quidem, si humanitas Chris-

ti eliceret actum necessarium, non impediret omnem influxum personę Verbi elicientis, quando quidem talis actus adorabilis, infinitèque æstimabilis ab illa constitueretur, sed aliquem impediret, nempè, influxum valoris meritorij, & satisfactorij, quem actui necessario non præstaret ob illius incapacitatem, & si humanitas eliceret actum liberum vndequaque naturalem, non impediret omnem influxum personæ, redderetur namque ab illa meritorius omnis præmij possibilis naturalis; impediret tamen aliquem influxum personæ, nempè, valoris meritorij præmij supernaturalis; nam talis actus meritorius præmij supernaturalis non esset, vt constabit ex dicendis, *tract. de Gratia Christi*, & tamen ob hoc non dicitur, quod humanitas limitet influxum personæ, ob limitationem principij, & conatus, sed tantum potest dici, quod limitet influxum personæ, ponendo subtractum incapax adæquati effectus illius.

7 *Responsio non placet.*

Hæc itaque solutio (relictis paritatibus, ad quas simul cum adducta *num.* 4. dicemus infra) non placet, ex ipsaque contra ipsam infero: ergo levitas peccati venialis impedit adæquatum influxum personæ offensæ. Consequentia est ipsa solutio. Infero ampliùs: ergo hæc propositio: *offensa crescit ad æqualitatem personæ offensæ*, est absolutè falsa, & consequentèr in falso absolutè principio nititur opinio Ill. Godoy. Probatur consequentia: vt hæc propositio: *offensa crescit ad æqualitatem personæ offensæ*, sit absolutè vera, nulla offensa debet impedire adæquatum influxum personæ offensæ; sed iuxta concessa levitas peccati venialis impedit adæquatum influxum personę offensæ: ergo hæc propositio: *offensa crescit ad æqualitatem personæ offensæ*, est absolute falsa. Minor, & consequentia tenent. Maior probatur: hoc ipso, quod offensa aliqua impediat adæquatum influxum personæ offensæ, hæc propositio: *offensa crescit ad æqualitatem personæ offensæ*, falsificatur in illa offensa impediente prædictum influxum: ergo vt dicta propositio sit absolutè vera, nulla offensa debet impedire adæquatum influxum personæ offensæ. Probatur antecedens: hoc ipso, quod aliqua offensa impediat adæquatum influxum personæ offensæ, illa offensa non crescit adæquatè ad æqualitatē personæ offensæ: ergo, &c

8 *Impugnatur 2.*

Impugnatur secundo principalis solutio: quia namque iuxta Ill. Godoy persona Verbi valorat operationes Christi, vt subiectum, & forma moralis, vel non valorat actum, vel illum infinitè valorat: ergo si persona offensa gravificat offensam, vt subiectum, & forma moralis, vel non gravificat offensam, vel illam infinitè gravificat; atqui hoc est falsum, vt constat de veniali: ergo falsa est solutio. Prima consequentia patet à paritate rationis. Antecedens probatur: nam actus necessarij, & actus semiplenè liberi, si ab humanitate elicerentur, meritorij, aut satisfactorij non essent, nec valorem aliquem meritorium, aut satisfactorium à persona Verbi acciperent; actus autem deliberati accipiunt valorem simplicitèr infinitum: ergo verum est antecedens, quod, nempe, si persona Verbi valorat operationes Christi, vt subiectum, & forma moralis, vel non valorat actum, vel illum infinitè valorat.

9 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 80. distinguendo antecedens: præcisè, quia per modum formæ valorat negat antecedens; ob hoc, & quia aliàs actus quilibet liber ab humanitate elicitus est capax alicuius infinitatis concedit antecedens, & negat consequentiam; nam peccatum veniale, eo, quod levis culpa, & levis offensa est, nullius infinitatis in ratione offensæ, est capax, ideoque illam non recipit à persona offensa infinita; actus autem humanitatis Divino Verbo coniunctæ, etsi non sint capaces infinitatis meritorię, aut satisfactoriæ, sunt capaces æstimabilitatis, ideòque infinitè æstimabiles redderentur; actus liberi vndequaque naturales, tamet si non sint capaces infinitatis meritoriæ absolutè, sunt capaces infinitatis meritoriæ intra ordinem naturalem, & hanc à Verbo reciperent: sicut autem actus isti non valorantur à Verbo infinitè absolutè, quia huius infinitudinis capaces non sunt, ita culpa venialis nullam infinitudinem accipit à persona offensa infinita, quia nullius infinitatis est capax.

10 *Reijcitur 1*

Displicet etiam hæc solutio, ex ipsaque ipsam reijcio primo: iuxta hanc responsionem persona Verbi non valorat infinitè operationes Christi, præcisè, quia per modum formę valorat: ergo quod se habet, vt subiectum, & forma moralis, non transfundit in actum totum, quod ex se potest, præcisè, quia per modum formæ se habet: ergo falsa est distinctio ab hoc Doctore tradita *num.* 87. subiecti ab obiecto. Antecedens cum prima consequentia tenet. Vt autem secunda demonstretur, distinctionem subiecti ab obiecto traditā ab Ill. God. videamus.

11 *Doctrina Ill. Godoy.*

Ipse enim *num.* 87. assignando discrimen, hæc ait: *In hoc autem subiectum ab obiecto distinguitur, quod illud, totum, quod ex se potest, transfundit in actum; secùs autem obiectum, sed influit per commensurationem ad conatum actus, & influxum principij, ab illisque limitatur.* Quod si rationem petas, cur subiectum non limitatur in influxu principij, nec ex conatu finito operantis, & obiectum limitetur, illam dare promittit *disp.* 3. & promissum ad implens, illam assignat dicta disputatione *num.* 36. his verbis: *Ratio autem, cur obiectum in genere moris non comparatur ad actum, vt forma, ipsum in aliquo esse constituens, non est, quia physicè non sit forma, sed quia omninò extrinsicè comparatur ad ipsum, quod autem sic se habet, non gerit in prudenti æstimatione munus formæ se ipso informantis, & denominantis, sed munus termini, à quo specificatio desumitur; subiectum autem actus satisfacientis non se habet omninò extrinsicè ad illum, etsi in ratione formæ non se habeat intrinsicè physicè; ideoque in prudentum iudicio concipitur, vt forma, se ipso valorans, & informans actum, quod non aliundè, quam ex communi prudentū conceptione potest probari.*

12 *Consequentia probatur 1.*

Ex quibus probatur primo consequētia: distinctio statuta inter obiectum, & subiectum est: quod obiectum, cum omninò extrinsicè comparetur ad actum, non gerit in prudenti æstimatione munus formæ, se ipso informantis, & denominantis; subiectum verò, cum non se habeat omnino extrinsicè ad actum, concipitur in prudentum iudicio, vt forma, se ipso informans, & valorans actum; atqui falsa est distinctio data inter obiectum, & subiectum, si quod se habet, vt subiectum, & forma moralis, non transfundit in actum, totum, quod ex se potest, præcisè, quia per modum formæ se habet: ergo cum hoc ab Ill. Godoy concedatur, falsa est illius distinctio. Probatur minor: si quod se habet, vt subiectum, & forma moralis, non transfundit in actum, totum, quod ex se potest, præcisè, quia per modum formæ se habet; vt subiectum se habet per modū formæ præcisè, habet vnde impediatur influxus adæquatus illius; sed hoc est, quod habet obiectū, quia non gerit munus formæ: ergo, &c.

13 *Secundo.*

Secundo probatur eadem consequentia vrgentiùs: ideò obiectum non transfundit in actum, totum, quod ex se potest, quia comparativè ad actum non gerit in prudenti æstimatione munus formæ: ergo si quod se habet, vt subiectum, & forma moralis, non transfundit in actum totum, quod ex se potest, præcisè, quia gerit munus formæ, falsa est distinctio tradita inter obiectum, & subiectum. Ex quo secundo displicet allata solutio: quod se habet, vt obiectum, comparativè ad actum, non transfundit in actum totum, quod ex se potest, præcisè, quia se habet, vt obiectum: ergo quod se habet vt subiectum comparativè ad actum, trāsfundit in actum totum, quod ex se potest, præcisè, quia se habet vt subiectum: ergo quia persona Verbi valorat operationes Christi, præcisè, vt subiectum, vel non valorat actum; vel illum infinitè valorat: ergo ruit solutio tradita.

Reijcitur 2

14 *Impugnatur 3. principalis solutio.*

Impugnatur tertio principalis solutio: quia nāque operationes Christi moralitèr informantur à persona Verbi infinita, quævis minima operatio cuiusvis, etsi minimæ honestatis moralis, sumptæ ex obiecto, est valoris personalis simpliciter infiniti: ergo si peccatum in ratione offensæ informatur à persona offensa infinita, estò ex obiecto sit minimæ inhonestatis moralis, habebit gravitatem personalem infinitam à persona offensa sumptam; at hoc est falsum, nam peccatum veniale non est gravitatis personalis simpliciter infinitę: ergo ideò est, quia peccatum in ratione offensæ non informatur à persona offensa moraliter.

15 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num.* 80. negando paritatem. Disparitas est: nam

quæ-

quælibet operatio Christi, etsi minimæ honestatis, est bona bonitate morali simpliciter tali; ideoque capax infinitatis personalis; at veniale est malum malitia morali, quæ est talis secundumquid, & secundumquid offensa, & ideò infinitatis incapax.

16 *Displicet 1. responsio.* Displicet etiam primo hæc responsio: nam quælibet operatio Christi, etsi minimæ honestatis, est bona bonitate morali simpliciter iuxtà Ill. Godoy: ergo quælibet offensa Dei, etsi minimæ inhonestatis, erit mala malitia morali simpliciter. Probatur consequentia: quælibet ratio probans: levitatem honestatis non impedire bonitatem moralem simpliciter; probat etiam: levitatem malitiæ non impedire malitiam moralem simpliciter; sed per te quælibet operatio Christi, etsi minimæ honestatis, est bona bonitate morali simpliciter: ergo, &c. Hanc replicam potuit in se facere Ill. Godoy, vt assignaret rationem. Assignet, & tunc contra eam insurgam.

17 *Secundo ad hominem contra Ill. Godoy.* Displicet secundo: malitia enim moralis secundum quid peccati venialis non tollit ab ipso malitiam propriè, etsi analogicè cum peccato mortali, vt habet Ill. Godoy *num. 67.* ergo nec tollet ab ipso capacitatem infinitatis. Probatur consequentia: ita peccatum veniale est malum secundum quid, sicut accidens est ens secũdum quid; sed hoc non tollit ab accidente capacitatem infinitatis, si infinitas esset possibilis enti simpliciter: ergo cum infinitas moralis sit possibilis malo simpliciter, esse malum secundumquid non tollit à peccato veniali capacitatem infinitatis. Maior est Ill. Godoy *num. 67.* Minor apud omnes in Physica evidens. Consequentia est legitima.

18 *Impug. 4. solutio principalis* Impugnatur quarto solutio principalis: ideo peccans venialiter impedit influxum personæ, ne peccato veniali influxum communicet, quia ponit subtractum incapax recipiendi infinitatem; sed hoc idem contingit in peccante mortaliter: ergo impedit, ne maiestas Dei offensa peccato mortali infinitatem in ratione offensæ communicet. Probatur minor: quia malitia peccati venialis est levis, est incapax subtractum gravitatis in ratione offensæ; sed malitia peccati mortalis est finita: ergo est incapax subtractũ infinitatis in ratione offensæ. Probatur consequentia: non enim minus distant finitudo, & infinitas, quam gravitas, & levitas moralis: ergo si levitas malitiæ reddit incapacem actum gravitatis in ratione offensæ, limitatio malitiæ reddet actum incapacem infinitatis moralis in ratione offensę.

19 *Respondet Ill. Godoy.* Distinguit Ill. Godoy *num.* 81. vltimam probationẽ: distantia entitativa concedit antecedens: distantia habitudinis negat antecedens, & consequentiam: nam licèt finitum, & infinitum plus distent in esse entis, quam grave, & leve, vel quam gravitas, & levitas moralis, non tamen æquè distant distantia habitudinis; ex eo namque, quod actus finitus sit in malitia, solum arguitur incapacitas effectivè causandi infinitam gravitatem, non autem incapacitas illam recipiendi ab alio; levis autem malitia non solum non potest gravitatem offensæ causare, sed nec potest ad gravitatem offensæ aliundè capiendæ assurgere; quod verò finitudo malitiæ non obstet infinitudini gravitatis, aliundè sumendæ, patet exemplo meritorum Christi, quorum bonitas finita, etsi obstet infinitati valoris ex ipsa bonitate causandi, non tamẽ obstat infinitati valoris à personaVerbi sumendi.

20 *Displicet solutio.* Etiam displicet hæc solutio, & omisso exemplo meritorum Christi, quod vim contra nos non habet, reijcitur: non minus distat leve obsequium ab infinitate valoris, quam levis offensa ab infinitate gravitatis; sed opus, quod de se est leve obsequium, non est incapax infiniti valoris: ergo opus, quod de se est levis offensa, non erit incapax infinitæ gravitatis, si aliũdè sit capax vniri personæ infinitæ, vt formæ; & consequentèr, si peccatum veniale in Deo, vt subiecto, recipitur, & ab illo moraliter informatur, constituitur gravitatis simpliciter infinitæ. Maior cum consequentia tenet.

Prob. min. Minor autẽ probatur: actus charitatis elicitus ab humanitate Christi leve obsequium est de se, cum sit eiusdem speciei cum actu Charitatis elicito à pura creatura, quem esse leve obsequium, & ideò inæqualem satisfactionem esse pro offensa mortali, *disp. seq.* asserit Ill. Godoy; & tamen est ca-

pax recipiendi à persona Verbi infinita, à qua informatur moraliter, valorem infinitũ simpliciter, illumque de facto recipit, vt ipse tenet *disp.* 3: ergo opus, quod de se est leve obsequiũ, capax est valoris infiniti, non à se effectivè causandi, sed aliundè recipiẽdi, nempè, à persona Verbi infinita.

21 *Respondet.* Respondet *num.* 83. distinguendo maiorem: leve obsequium manens in ratione obsequij levis concedit maiorem: leve in ratione obsequij non manens negat maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negat cõsequentiã; nam actus Charitatis eo ipso, quod à Verbo eliciatur, & ab humanitate illi vnita, non est leve obsequium, sed obsequij levitatem amittit ob dignitatem personæ, quę maximè in obsequij æstimatione pensatur; vndè non evadit valoris infiniti simpliciter leve manens in ratione obsequij: offensa autem venialis non potest in gravem offensam transire, nisi mortalis fiat, ideoque non potest infinitatem à persona offensa recipere.

22 *Etiam displicet hæc responsio.* Non minus, ac aliæ, hæc displicet responsio: leve namquè obsequium iuxta Ill. Godoy amittit levitatem obsequij ob dignitatem personæ, ipsum valorantis per modum subiecti: ergo levis offensa amittit levitatem offensæ ob dignitatem personæ offensæ, ipsam gravificantis per modum subiecti. Fateor hanc paritatem mihi esse efficacissimam.

23 *Impug. 5. principalis solutio.* Replicis ab Ill. Godoy traditis vsque adhuc impugnavi solutionem, quam adducit ad nostram primam probationem, desumptam ex paritate peccati venialis; nunc aliter ipsam impugno quinto: non minus obest infinitati levitas materiæ, ac determinata gravitas materiæ, quæ maior, & minor esse potest; sed in peccato veniali levitas reperitur, & in mortali determinata gravitas: ergo neutrum est infinitum. Consequentia tenet. Minor conceditur ab Ill. Godoy *num.* 56. Maior probatur: non minus obest infinitati incapacitas materiæ, quam maioritas, & minoritas: ergo non minus obest infinitati levitas materiæ, ac determinata gravitas materiæ, quæ maior, & minor esse potest.

24 *Impug. 6.* Impugnatur texto dicta solutio: quęlibet entitas physica, etsi minima, est capax infinitatis moralis, si hæc est possibilis: ergo levitas materiæ in peccato veniali non obest infinitati morali. Probatur antecedens: infinitas moralis attenditur penès estimationem prudentum; sed hæc cadere potest supra quamlibet physicã entitatem, & si minimam: ergo quælibet entitas physica, etsi minima, est capax infinitatis moralis, si hęc est possibilis.

Impug. 7. Impugnatur septimo, ideo materia levis est incapax infinitatis, quia habet aliam materiam suprà se, quæ est gravis; sed materia vnius peccati mortalis habet supra se aliam graviorem: ergo etiam est incapax infinitatis: ergo nulla est solutio Ill. Godoy ad nostram primam probationem conclusionis data.

25 *Retorqueo instantias.* Deniquè retorqueo instantias, in quibus fundat Ill. Godoy suam solutionem: ideo subsistentia Verbi vnita naturæ irrationali non præberet illi effectum sanctitatis, nec illam redderet personatam, quia natura irrationalis est omninò, & totaliter incapax illorum effectuum; atqui peccatum veniale non est omnino, & totaliter incapax effectus offensæ: ergo inter hæc est notoria, & magna disparitas. Eadem formetur retorsio de operationibus Christi, si essent omnino necessariæ, quia tunc essent incapaces omnis valoris meritorij, & satisfactorij; peccatum autem veniale non est omnino incapax omnis rationis offensæ: nulla ergo est solutio Ill. God.

§. III.

Probatur secundo conclusio paritate actuum supernaturalium.

26 *Probatur 2 conclusio.* SEcunda ratio nostræ conclusionis sumitur à paritate ex actibus supernaturalibus, quæ ad hanc formam redducitur: visio clara Dei, actus charitatis, & alij, qui habent Deum pro obiecto materiali, & formali, non habent perfectionem simpliciter infinitam: ergo neque peccatum in ratione offensæ erit simpliciter infinitum. Probatur consequentia: ideò iuxta Ill. Godoy peccatum in ratione offensæ est simpliciter infinitum, quia offensa crescit ad incrementum personæ offensæ; sed etiam actus crescunt ad incrementum obiecti: ergo si, hoc non obstante, actus non sunt simpliciter

in-

infiniti, neque peccatum in ratione offensæ erit simpliciter infinitum.

27 *Respondet Ill. Godoy.* Hanc rationem, etsi aliter efformatam, adducit Ill. Godoy, ad eamque respondet *num.* 87. concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est: quia Deus ad actum charitatis comparatur, vt obiectum; persona verò iniuriata comparatur ad offensam, vt illius subiectum morale; subiectum verò in hoc ab obiecto distinguitur, quod subiectum transfundit in actum totum, quod ex se potest; secùs autem obiectum, sed influit per commensurationem ad conatum actus, & influxum principij, ab illisque limitatur. Ex hoc ad probationem concessis præmissis, negabit consequentiam.

28 Plura plures congerunt contra hanc solutionem, probare connantes: personam iniuriatam, non vt subiectum, sed vt obiectum tantum, ad offensam comparari. Aliqua adducit, & soluit Ill. Godoy *à num.* 88. *vsque ad num.* 108. ego verò alia via procedendo, omitto pro nunc, maiestatem iniuriatam se haberi, vt subiectum ad offensam. Quo omisso.

29 *Reffellitur 1. solutio.* Reffellitur primo solutio tradita: quia re vera non est ratio, cur subiectum trãsfundat in actum totum, quod ex se potest; & hoc non faciat obiectum: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: nam quæcumque ratio assignetur pro subiecto, militat etiam pro obiecto, vt dixi *num.* 12. & 13. vbi distinctionem vtriusque declaravi, & si aliam rationem discriminis inter obiectum, & subiectum declaraverit Ill. Godoy, contra ipsum insurgam *disp.* 3. vbi promittit eam assignare: ergo non est ratio, cur subiectũ transfundat in actum totum, quod ex se potest; & hoc non faciat obiectum.

30 *Reffellitur 2.* Reffellitur secundo dicta solutio: ex eo, quod Deus sit subiectum morale offensæ, non sequitur, quod offensa sit simpliciter infinita: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primo: ex eo, quod albedo poneretur in Deo, vt in subiecto, non ob hoc albedo esset simpliciter infinita: ergo ex eo, quod Deus sit subiectum morale offensæ, non sequitur, quod offensa sit simpliciter infinita. *Antecedens prob. 1.* Antecedens constat: nam forma semper est eadem intrinsicè, sivè in vno, sivè in altero subiecto recipiatur, nec potest per subiectum essentialiter variari, quia non est pars intrinseca illius, vt constat de anima rationali, quæ semper in se est spiritualis, etsi sit in subiecto corporeo. Consequentia est paritate certa.

31 *Secundo.* Probatur secundo idem antecedens: ex eo, quod Deus sit subiectum morale offensæ, non tollit, quod ad illam concurrant principia finita; quod vna sit gravior alia, & quod à cognitione finita dependeat, vt clarebit ex triplici sequenti à ratione probatione; sed omnia hæc impediunt infinitatem simpliciter in offensa, vt etiam patebit ex ibi dicendis: ergo ex eo, quod Deus sit subiectum morale offensæ, non sequitur, quod offensa sit simpliciter infinita.

§. IV.

Triplici ratione probatur Scoti conclusio.

32 *Probatur 3 conclusio.* RAtione autem probatur tertio conclusio: vnum infinitum simpliciter in aliquo genere non est maius alio; sed vnum peccatum in ratione offensæ est maius alio: ergo nullum est simpliciter infinitum. Maior est in Physica constans. Minor probatur primo: omnia peccata non sunt æqualis gravitatis in ratione offensæ, vt iuxta fidē contra Stoicos asserendũ est: ergo vnum peccatũ in ratione offensæ est maius alio. Secundo: Deus in æqualiter offenditur peccatis; alioquin çquè offenderetur Deus per blasphemiam, idolatriam, & alia enormissima peccata, ac per furtum vnius aurei, quod est absurdum. Tertio: vna offensa in Regem potest esse maior alia: ergo similiter. Antecedens patet: nam qui Regem percutteret, magis illũ offenderet, quam qui solo offenderet verbo. Consequentia à paritate ratione ipsius Ill. God. est evidens.

33 Vt Ill. Godoy respondeat ad hanc rationem, duplicem facit advertentiam *num.* 138. Primo advertit: errorem Stoicorum consistere in eo, quod docebant: omnia peccata sub omni ratione esse æqualia, sicut etiam omnes virtutes çquales esse, asserebant, eo quod virtus in illorum sententia consistit in indivisibili. Ex quo necessaria consequentia deducitur, virtutem in

ra-

ratione virtutis non ſuſcipere magis, nec minus, ſed omnes æquales eſſe; ſicut, quia veritas conſiſtit in indiviſibili, non datur vna veritas maior alia, in ratione veritatis, ſed omnes æquales ſunt. Vnde Authores, qui aſſerunt: peccata eſſe inæqualia in ratione malitiæ; æqualia tamen in ratione offenſæ, longè diſtat ab errore Stoicorum, cum in hac ſententia ſit verum abſolutè dicere: peccata ſunt inæqualia, eo, quod ſecundum ſuas eſſentias ſpecificas inæqualia ſunt, etſi in ratione offenſæ conſecuta ad rationem malitiæ adæquentur. Secundo advertit: gravitatem offenſæ non ſumi ſolum à perſona iniuriata, ſed etiam deſumi ex obiecto, ex intenſione, & ex alijs capitibus, ex quibus malitia peccatorum deſumitur.

34 *Reſpondet Ill. Godoy.* Quibus præſuppoſitis aſſerit: peccata in ratione malitiæ, & in gravitate offenſæ ſumpta ex obiecto, & alijs circunſtantijs, eſſe inæqualia, & vnum excedere aliud. Inæqualitatem gravitatis offenſæ ex obiecto, & circunſtantijs deſumptæ convincit obiectorum, & aliarum circunſtantiarum inæqualitas, & inſuper inæqualitas malitiæ; cum enim huiuſcemodi gravitas, vel ſit idem, quod malitia, vel dimanet ab illa, infinita non eſt, ſed maior, aut minor iuxta malitiæ augmentum, aut decrementum. Gravitas autem perſonalis, quæ in offenſa contra Deum commiſſa invenitur, æqualis eſt in omnibus peccatis mortalibus. Quod probat paritate Chriſti meritorum. quia namque valor perſonalis à Verbi perſona deſumitur, & hæc infinita eſt, & ſe ipſa valorat operationes Chriſti, eſt æqualis in omnibus Chriſti operibus, etſi valor illis competens ex obiecto, & alijs circunſtantijs ſit inæqualis iuxta inæqualitatem bonitatis actuum: ergo pariter: gravitas perſonalis competens offenſæ mortali ex maieſtate offenſa infinita ſe ipſa gravificante æqualis eſt in omni peccato mortali, eſtò gravitas ex alijs capitibus ſumpta ſit maior, aut minor iuxta inæqualitatem malitiæ.

35 *In forma reſpond. ad 1. prob. antecedentis.* Hæc Ill. Godoy reſponſio (omiſſa paritate meritorum Chriſti, quæ vt diximus *num.* 20. vim contra nos non habet) poteſt reddici ad formam, negando minorem, & diſtinguendo antecedens primæ probationis: omnia peccata non ſunt æqualis gravitatis in ratione offenſæ ſumptæ ex obiecto, & circunſtantijs concedo antecedens; ſumptę ex perſona offenſa nego, & ſimiliter diſtinguet conſequens.

36 *Ad 2. & 3.* Ad ſecundam probationem reſpondet *num.* 146. diſtinguendo antecedens: Deus inæqualiter offenditur peccatis extenſivè concedit antecedens; intenſivè negat antecedens, & hac diſtinctione diſtinguet antecedens tertiæ probationis.

37 *Reijcitur 1 ad hominē contra Ill. Godoy.* Contra ſolutionem argumenti inſurgo primo ad hominem contra ipſum: peccata ſunt inæqualia in ratione offenſę, ſumpta offenſa ex obiecto, & circunſtantijs: ergo nullum peccatum in ratione offenſæ eſt ſimplicitèr infinitum. Antecedens ab Ill. Godoy in ſolutione docetur. Conſequentia verò probatur: ſi peccata in ratione offenſæ eſſent ſimplicitèr infinita, inæqualia non eſſent in ratione offenſę; ſed ſunt inæqualia in ratione offenſæ, ſumpta offenſa ex obiecto, & circunſtantijs iuxta Ill. Godoy: ergo nullum peccatum in ratione offenſæ eſt ſimplicitèr infinitum. Probatur maior: illa infinitas, quam haberent peccata in ratione offenſæ, deberet auferre ab illis omnem inæqualitatem in ratione offenſæ: ergo, &c. Probatur antecedens: ſi ſubſtantia, quæ nunc finita eſt in eſſe entis, elevaretur ad eſſe ſimplicitèr infinitam in eſſe entis, nihil finitum in eſſe entis in ea remaneret: ergo ſimilitèr.

38 *Reijcitur 2.* Inſurgo ſecundo contra eamdem ſolutionem: peccata ſunt inæqualis gravitatis in ratione offenſæ, ſumpta offenſa ex obiecto, & circunſtantijs, iuxtà ſolutionem: ergo peccatum nō eſt ſimplicitèr infinitū in genere moris. Probatur conſequentia: repugnat, quod peccatum ſit ſimplicitèr infinitum in genere moris, & quod peccata ſint inæqualis gravitatis in genere moris; atqui ſemel conceſſo, quod peccata ſunt inæqualis gravitatis in ratione offenſæ, ſumpta offenſa ex obiecto, & circunſtantijs, peccata ſunt inæqualis gravitatis in genere moris: ergo peccatum non eſt ſimplicitèr infinitum in genere moris. Conſepuentia infertur ex præmiſſis; ex his autem minor eſt certa, nam

gra-

gravitas peccati in ratione offensę est quid morale. Maior probatur: repugnat, quod peccatum sit simpliciter infinitum in genere moris, & quod vnū peccatum sit maius alio in eodem genere: sed si peccata sunt inæqualis gravitatis in ratione offensæ, sumpta offensa ex obiecto, & circunstantijs, vnū peccatum est maius alio in eodē genere: ergo, &c. Probatur minor: inæqualitas gravitatis peccatorum in ratione offensæ, est maioritas, & minoritas peccatorū in genere moris: ergo, &c.

39 *Solutio ad 2. & 3. prob. impug. 1.* Reiecta iam solutione ad nostram principalem rationem, restat, solutionem ad secundam, & tertiam probationem reijcere. In ipsam tamèn contra primo: Deus inæqualitèr offenditur peccatis intensivè: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: vnum peccatū in ratione offensæ est maius alio intensivè: ergo Deus inæqualitèr offenditur peccatis intensivè. Probatur antecedens, si vnum peccatū in ratione offensæ non esset maius alio intensivè, Deus non plus offenderetur omnibus peccatis, quam vno solo peccato; sed hoc est falsum: ergo vnū peccatum in ratione offensæ est maius alio intensivè. Probatur minor: totum est maius sua parte: ergo falsum est, quod Deus non offendatur plus omnibus peccatis, quam vno solo peccato.

40 *Impug. 2.* Contra secundo: valdè diversum est, vnum peccatum in ratione offensæ esse numero distinctum ab alio, ac esse maius illo; sed vtrumque habet vnum peccatū in ratione offensæ respectu alterius: ergo vnum peccatum in ratione offensæ non est numero solum ab alio distinctum, verum etiam est maius illo. Maior patet: nam esse tantum numero distinctū ab alio, est maioritas extensiva. Minor vero probatur: Peccatum idolatriæ respectu furti vnius aurei non solum est numero distinctum ab illo, verum etiam est illo maius: ergo, &c. Probatur antecedens: maior distinctio reperitur inter peccatum idolatriæ, & furtum vnius aurei, quā inter duplex furtū vnius aurei; sed inter duplex furtū vnius aurei solū est distinctio numerica: ergo, &c.

41 *Vrgetur.* Confirmatur, & vrgetur: distincta maioritas versatur inter peccatū idolatriæ, & furtum vnius aurei, quam inter duplex furtum vnius aurei; sed inter duplex furtum vnius aurei solum versatur maioritas extensiva: ergo inter peccatum idolatriæ, & furtū vnius aurei versatur maioritas intensiva: ergo peccatum idolatriæ (intellige semper in ratione offensę) est maius intensivè peccato furti vnius aurei: ergo vnum peccatum est maius alio intensivè: ergo nulla est solutio Ill. Godoy.

42 *Dies pro Ill. Godoy.* Nec dicas pro ipso: vnum peccatū in ratione offensę esse maius alio intensivè, ratione gravitatis, sumptæ ex obiecto, & circunstantijs; non verò ratione gravitatis, sumptæ ex persona offensa. Ne (inquam) hoc dicas, quia vltrà hoc, quod hæc solutio impugnata manet *num. 37. & 38.* de nobo insurgo contra illam: vnum peccatum in ratione offensæ est maius alio intensivè ratione gravitatis sumptæ ex persona offensa: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: nam qui in publico percuteret Regem, magis, vel intensius offenderet Regiam personam, quam, qui in secreto solo offenderet Verbo: ergo percusio Regis in publico est maior offensa intensivè ratione gravitatis, sumptæ ex persona offensa, quam offensio illius per solum verbum: ergo vnum peccatum in ratione offensę est maius alio intensivè ratione gravitatis, sumptæ ex persona offensa. Secunda consequētia ex prima infertur. Prima autem ex antecedēti. Antecedens verò ex terminis constare videtur; alioquin Regia persona non esset magis offensa per percusionem in publico, quam per solum verbum in secreto, quod videtur absurdum. *Contra.*

43 *Probatur 4. conclusio.* Probatur quarto conclusio alia ratione: quando ad aliquem effectum plura concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si alia sunt finita, non est simpliciter infinitus; sed ad peccatum in ratione offensę plura concurrunt, quę finita sunt, nempè, cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ: ergo, etsi ad illud concurrat persona offensa, quæ infinita est, non erit peccatum simpliciter infinitum. Minor, & consequentia tenent. Maior vero probatur primo ratione: quando ad vnum effectū plura concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus limitatur à principijs finitis: ergo, &c. Probatur antecedens regula illa generali: *Bonum ex integra causa; malum ex quocūque* *Maior probat. 1.*

defectu, quæ in phyſicis, & præſertim in moralibus, eſt certiſsima: ergo, &c.

44 *Secundo prob. paritatibus.*

Probatur ſecundo prædicta maior paritatibus: pœna infinita, quoad durationem, & finita, quoad intenſionē, non eſt ſimplicitèr infinita in genere pœnæ, ſed ſolum ſecundumquid. Itē: corpus infinitè extenſum, quoad vnā tantum dimenſionem, v.g. longitudinem, non eſt ſimplicitèr infinitum in genere quantitatis, ſed tantum ſecundumquid. Atqui hoc ideò eſt, quia limitantur à principijs finitis: ergo quādo ad vnum effectū plura concurrunt, licèt vnum ſit infinitum, ſi alia ſunt finita, non eſt ſimplicitèr infinitus. Probatur tertio paritate peccati venialis: peccatū veniale in ratione offenſæ nō eſt ſimplicitèr infinitū, eſtò perſona offenſa ſit infinitæ dignitatis, quia limitatur ab alijs principijs, à quibus dependet: ergo quando ad vnum effectū plura concurrunt, licèt vnum ſit infinitum, ſi alia ſunt finita, non eſt ſimplicitèr infinitus.

Tertio.

45 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *num.* 147. diſtinguendo maiorem: ſi pars infinita partem finitam eminentèr contineat negat maiorem: ſi illā eminentèr non contineat concedit maiorem, & conceſſa minori, negat conſequentiā; quia gravitas ex perſona offenſa ſumpta continet eminentèr per æquivalentiā gravitatem derivatam ex alijs capitibus; cum namque peccatum ratione gravitatis, ſumptæ ex maieſtate offēſa, ſe ad omnem imaginabilem pœnam promerendam extendat, conſequens fit, vt gravitates derivatas ex alijs capitibus eminentèr per æquivalentiam contineat; ideoque eſt in ratione offenſæ infinitūſimplicitèr, provt ſimplicitèr contraponitur ad ſecūdumquid, non autem provt ſimplicitèr idem eſt, quod omnibus modis.

46 *Contra 1.*

Contra primo: quod pars infinita partes finitas cōtineat eminentèr eminentia æquivalentiæ (de hac enim loquitur Ill. Godoy in ſolutione, vt ex ipſa patet) non ob eſt, vt effectus non ſit ſimplicitèr infinitus, ſi ad illum finita concurrant: ergo ruit ſolutio. *Antecedens probatur 1.* Antecedens probatur primo: Deus, vtpote infinitus, continet eminentèr eminentia æquivalentiæ creaturam; ſed non ob hoc effectus à Deo, & creatura productus eſt ſimplicitèr infinitus: ergo quod pars infinita partes finitas contineat eminentèr eminentia æquivalentiæ, non ob eſt, vt effectus not ſit ſimplicitèr infinitus, ſi ad illum finita concurrant. Probatur ſecundo ad hominem contra Ill. Godoy: ſupernaturale continet eminentèr eminentia æquivalentiæ naturale; ſed non ob hoc effectus ab vtroque productus eſt ſupernaturalis: ergo ſimilitèr. Minor eſt Ill. Godoy *t. 1. in 1. p. diſp. 16* aſſerentis: intellectū non eſſe principiū proximum viſionis, quia viſio eſſet naturalis. Maior, & conſequentia tenent. Probatur tertio dictum antecedens: partes ingredientes conſtitutionē Chriſti ſunt ſuppoſitum Divinum, & humanitas, ex quibus ſuppoſitum Divinum continet eminentèr eminentia æquivalentiæ humanitatem; ſed non ob hoc Chriſtus eſt infinitus, immortalis, impaſsibilis, & temporalitèr ingenitus: ergo quod pars infinita contineat partes finitas eminentèr eminentia æquivalentiæ, non ob eſt, vt effectus non ſit ſimplicitèr infinitus, ſi ad illum finita concurrant.

Secundo ad hominem contra Ill. Godoy.

Tertio.

47 *Contra 2.*

Contra ſecundo: ad hoc, vt peccatum in genere moris ſit ſimplicitèr infinitum, requiritur, quod omnia principia ipſum cauſantia ſint infinita: ergo non ſufficit, quod vnum principiū ſit infinitum, etſi eminentialitèr contineat alia principia finita: ergo ruit ſolutio Ill. Godoy. *Anteced. prob. 1.* Probatur antecedens primo: vt pœna in genere pœnæ, corpus in genere quantitatis, viſio in ratione viſionis, & Chriſtus in ratione Chriſti, habeant infinitatem ſimplicitèr, requiritur, quod omnia principia ad ipſa concurrentia ſint infinita, vt ex dictis, & ex terminis claret: ergo ad hoc, vt peccatū in genere moris ſit ſimplicitèr infinitū, requiritur, quod omnia principia ipsū causātia ſint infinita

48 *Secundo.*

Probatur ſecundo idem antecedens: magis requiritur ad peccatum ſimplicitèr infinitum, quam ad peccatum ſecundumquid infinitum; ſed ad hoc requiritur ſaltim vnum principiū infinitum: ergo plus ad illud requiritur: ergo quando ad peccatum plura concurrunt, licèt vnum ſit infinitum, ſi alia ſunt finita, peccatum nō erit ſimplicitèr infinitum: ergo vera eſt maxima illa noſtræ probationis, ſcilicèt, quando ad aliquem effectum plura

concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si alia sunt finita, non est simplicitèr infinitus.

49 *Contra 3.* Contra tertio: si continentia eminentialis finiti in infinito redderet effectum simplicitèr infinitum, falsum esset dictum axioma: *Bonum ex integra causa, malũ ex quocunque defectu*; sed hoc nec Ill. Godoy potest asserere: ergo continentia eminentialis, ab ipso pro solutione adducta, vim nostræ probationis non minuit: ergo vera est maxima prædicta.

50 *Probatur 5 conclusio.* Probatur quinto conclusio: peccatum est offensa Dei cogniti; sed cognitio Dei potest esse maior, & minor, & nullo modò infinita simplicitèr: ergo offensa potest esse maior, & minor, & nullo modo simplicitèr infinita. Maior patet: nam ablata Dei cognitione non est Dei offensa. Minor est apud omnes certa. Consequentia probatur: cognitio Dei ita concurrit ad offensam, vt ablata Dei cognitione auferatur Dei offensa: ergo ita cõcurrit, vt si cognitio est maior, vel minor, & nullo modo infinita simplicitèr; offensa sit maior, & minor, & nullo modo simplicitèr infinita. Totum claret hac paritate: cognitio legis ita cõcurrit ad malitiam, vt ablata cognitione auferatur malitia, & si cognitio sit maior, vel minor; maior, vel minor sit malitia: ergo pariter de offensa.

51 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc quintam probationem Ill. Godoy *num.* 144. respondet: quod augmentum, vel decrementũ cognitionis non tollit, quod gravitas personalis, sumpta ex persona offensa, sit æqualis in omni peccato mortali, etsi inæqualis sit ex alijs capitibus, quod exemplificat in valore meriti Christi, sumpto ex persona operante; & hac ratione quasi retorsionem facit in nos *n.* 143.

Reijcitur solutio. Sed certè Ill. Godoy hac responsione ad efficatiam nostræ rationis non attendit, quia cum illa non probamus, quod augmentum, vel decrementum cognitionis augeat, vel minuat gravitatem offensæ, sumptam ex persona offensa: sed quod augeat, vel minuat ipsam offensã absolutè, quod ipse cõcedit in sua solutione, vtpotè asserens: offensã esse inæqualẽ ex alijs capitibus.

Hoc ergo stabilito evidentèr infertur: offensam non esse simplicitèr infinitam ob regulas generales tertiæ, & quartæ nostræ probationis. Videat Ill. Godoy solutionem suam esse contra ipsum efficatiorem retorsionem, quin paritas meritorum Christi (vt dictum est) nobis officiat.

§. V.

Specialibus rationibus probatur nostra conclusio.

52 *Probatur 6 conclusio.* PRobatur sexto conclusio ad hominem contra Ill. Godoy, & simùl impugnatur responsio illius ad nostram quartam probationem: adæquata causa gravitatis peccati est persona offẽsa, & cognitio, deliberatio, & conatus potẽtiæ: ergo gravitas peccati nõ est simplicitèr infinita, etsi cognitio, deliberatio, & conatus potẽtię eminentèr contineantur in persona offensa. Antecedens est certum, & ab Ill. Godoy in responsione concessum. Cõsequentia probatur: quod cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ eminentèr contineantur in persona offensa, non tollit, quod adæquata causa gravitatis peccati sit persona offensa, & cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ; sed hoc ipso gravitas peccati non est simplicitèr infinita: ergo, &c.

Prob. min. Maior patet. Probatur minor: hoc ipso, quod adæquata causa gravitatis peccati sit persona offensa, & cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ, cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ est vna causa gravitatis peccati; sed hoc ipso, quod cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ sit vna causa gravitatis peccati, gravitas peccati non est simplicitèr infinita: ergo hoc ipso, &c. Probatur minor: hoc ipso, quod vna causa sit finita, nequit effectus evadere infinitus; sed hoc ipso, quod cognitio, deliberatio, & conatus potentiæ sit vna causa gravitatis peccati, vna causa gravitatis peccati est finita: ergo, &c. Consequẽtia patet minor certa; nàm cognitio, deliberatio, & conatus potẽtiæ est quid finitũ.

Prob. mai. Maior autem, in qua poterat esse difficultas, docetur ab Ill. Godoy *tom. seq. disp. 26. num.* 33. vbi hac ratione probat, implicare lumen gloriæ infinitè intensum: adæquata causa, ad quã radicalitèr consequitur lumẽ gloriæ, non est gratia habitualis, sed conflatũ ex illa, & intellectuali natura; & consequentèr vt lumen evaderet infinitũ

vtriusque partis causæ radicantis lumen infinitas esset necessaria; nam infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur; sed implicat natura intellectualis infinita: ergo & lumen gloriæ infinitum. Docetur etiam ab ipso *cit.* qui pro implicantia visionis infinitę intensionis assignat hanc rationem: *Cum adæquata eius* (nempè visionis) *causa sit intellectus, & lumen; intellectus autem infinitæ perfectionis repugnet.* Hæc Ill. Godoy, & certè nihil clarius pro veritate nostræ quartæ probationis, & pro falsitate responsionis illius.

§3 *Probatur 7 conclusio ad hominem contra Ill. Godoy.*

Imò ex hac doctrina Ill. Godoy, quæ nobis maximè placet, probatur septimo conclusio ad hominem contra ipsum: infinitas effectus ex limitatione cuiusvis causæ, à qua dependet, impeditur; sed gravitas peccati est effectus: ergo eius infinitas ex limitatione cuiusvis causæ, à qua dependeat, impeditur. Atqui dependet à causa limitata, scilicèt, cognitione, deliberatione, & conatu potentiæ: ergo ex limitatione huius causæ, à qua dependet, impeditur infinitas gravitatis peccati: ergo gravitas peccati non est simpliciter infinita. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior autem est expressa Ill. Godoy *cit.* Et ex hoc inconsequentiam illius ostendemus *tomo sequenti disp. 26.*

§4 *Probatur 8 conclusio ad hom. etiam contra Ill. Godoy.*

Probatur octavo ad hominem etiã contra Ill. Godoy: peccatum in ratione offensæ desumptæ ex obiecto est finitum: ergo peccatum in ratione offensæ non est simpliciter infinitum, licèt habeat infinitatem in ratione offensæ desumptæ ex persona offensa. Antecedens est Ill. Godoy *numer. 139.* Consequentia probatur: peccatum finitum in ratione offensæ desumptę ex obiecto, & infinitum in ratione offensæ desumptæ ex persona offensa, non est simpliciter infinitũ in ratione offensæ; sed per te peccatum in ratione offensæ desumptæ ex obiecto, est finitum: ergo peccatum in ratione offensæ non est simpliciter infinitum, licèt in ratione offensæ desumptæ ex persona offensa habeat infinitatem. Probatur maior: gratia finita in ratione intẽsionis, & infinita extẽsivè in ratione gratiæ, non est simpliciter infinita in ratione gratiæ: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy *tom. sequent. disp. 26. §. 5.* Consequentia videtur certa.

Respondet Ill. Godoy.

Ad hoc argumentum, quod ab oppositio sibi fecit Ill. Godoy *tom. & disput. cit. num. 61.* respondet *num. 62.* negando paritatem, & ratio discriminis est: nam infinita gravitas sumpta ex maiestate offensa continet eminentèr omnem aliam gravitatem, sumptam ex alijs capitibus. Quando autem formalitas ex vno capite sumpta, sic cõtinet illas, quæ ex alijs principijs sumuntur, non obstat limitatio istarum denominationi infiniti simpliciter; infinitas autẽ extensiva gratiæ Christi non continet eminentèr intensivã perfectionem gratiæ; & ideò non sufficit ad constituendam simpliciter in ratione gratiæ infinitam, si sit finitæ intensionis. Hæc responsio eadem est cum illa, quam ex Ill. Godoy *in præsenti n. 147.* nos retulimus *n. 45.* quæ licèt impugnata maneat *n. 46. 47. 48. 49. 52. & 53.* illam præcludere conabor, alitèr paritatem efformando.

Impugnatur responsio Ill. Godoy.

Formatur itaque hoc modo argumentum: peccatum in ratione malitiæ nõ est infinitum: ergo dato, quod peccatum in ratione offensæ habeat aliquam infinitatem, non tamen est simpliciter infinitum: Antecedens est Ill. Godoy *n. 138.* Consequentia probatur: peccatum infinitum in ratione offensæ, non tamen infinitũ in ratione malitiæ, non est in ratione offensæ simpliciter infinitũ; sed per te peccatum in ratione malitiæ non est infinitum: ergo dato, quod peccatum in ratione offensæ habeat aliquam infinitatem, non tamen est simpliciter infinitum. Probatur maior: gratia infinita in ratione gratiæ; non tamen infinita in ratione intensionis, non est in ratione gratiæ simpliciter infinita: ergo pariter. Antecedens est Ill. Godoy *tom. seq. disp. 26. §. 5.* Consequentia paritate videtur notoria, & vltrà probatur: ideò gratia infinita in ratione gratiæ; non tamèn infinita in ratione intensionis, non est in ratione gratiæ simpliciter infinita, quià intensio ad rationem gratiæ pertinet; atqui malitia ad rationẽ peccati pertinet: ergo si gratia infinita in ratione gratiæ; non tamèn infinita in ratione intensionis, non est simpliciter infinita in ratione gratiæ, peccatum

infi-

infinitum in ratione offensæ, non est simpliciter infinitum. Minor, & consequentia tenent. Maior autem est Ill. Godoy *tom. & disp. cit. n.* 57.

Confirmatur 1. ad hom. contra Ill. Godoy.

Confirmatur primo, & vrgetur ad hominem contra Ill. Godoy: ratio, qua probat Ill. Godoy, quod gratia Christi, estò sit phisicè infinita in ratione gratiæ, non tamen est simpliciter infinita, probat evidenter, quod estò peccatum in ratione offensę sit infinitum; non tamen est simpliciter infinitum: ergo vel concedere tenetur: gratiam Christi in ratione gratiæ esse phisicè simpliciter infinitam, vel negare tenetur: peccatum in ratione offensæ esse simpliciter infinitum, quorum vtrumque est contra ipsum. Probatur antecedens: Ratio, qua ipse probat, quod gratia Christi, estò sit phisicè infinita in ratione gratiæ; non tamen est simpliciter infinita, est hæc: *Linea infinitæ longitudinis; non tamen infinitæ extensionis, non esset infinita in ratione quantitatis simpliciter: & similiter superficies extensionis infinitæ, & profunditatis, aut longitudinis finitæ, simpliciter infinita nō esset in ratione quantitatis, eo, quod nulla illarum omnem dimensionem ad genus quantitatis pertinentem contineret*; sed hæc ratio evidenter probat, quod estò peccatū in ratione offensæ sit infinitum; non tamen est simpliciter infinitum: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est ipsius *cit.* Minor verò (suppositā maiori syllogismi) probatur; formando de peccato minorē, quam de gratia format Ill. Godoy *tom. disp. & n. cit.* sed peccatum, estò sit in ratione offensę infinitum; in ratione tamen malitiæ infinitum non est, & malitia ad rationem peccati pertinet: ergo non est in ratione offensę simpliciter infinitum: ergo ratio Ill. Godoy vtrumque probat.

Confirmat. 2. etiam ad hominem.

Confirmatur secundo ad hominē etiam contra ipsum: gratia extensivè infinita, & intensivè finita non est simpliciter infinita in ratione gratiæ: ergo gratia intensivè infinita, & extensivè finita non est in ratione gratiæ simpliciter infinita. Hæc consequentia est notoria; nàm ideò iuxta Ill. Godoy *tom. & disp. cit. n.* 58. gratia extensivè infinita, & intensivè finita nō est in ratione gratiæ simpliciter infinita, quia ad hoc requiritur, quod sub vtraque consideratione haberet infinitatem; sed gratia intensivè infinita & extensivè finita non habet infinitatem sub vtraque consideratione: ergo gratia intensivè infinita, & extensivè finita non est in ratione gratiæ simpliciter infinita.

Infero contra Ill. Godoy.

Infero nunc: ergo peccatum in ratione offensæ non est simpliciter infinitum. Probatur hæc consequentia: gratia infinita intensivè, & extensivè finita non est per se in ratione gratiæ simpliciter infinita; sed peccatū, estò sit in ratione offensæ intensivè infinitum; extensivè tamen finitum est: peccatū ergo in ratione offensæ non est simpliciter infinitum. Maior, & consequentia tenent. Minor probatur: Deus inæqualiter offenditur peccatis extensivè: ergo, &c. Antecedens est Ill. Godoy *in præsenti n.* 146. Consequentia probatur: si peccatum esset extensivè infinitum, Deus æqualiter offenderetur peccatis extensivè; sed inæqualiter Deus iuxta Ill. God. offenditur peccatis extensivè: ergo, &c. Probatur maior primo: ideo Deus iuxta Ill. Godoy *cit.* æqualiter offenditur peccatis intensivè, quia peccatū in ratione offensæ intensivè infinitū est: ergo si peccatum esset extensivè infinitum, Deus æqualiter offenderetur peccatis extensivè. Secundo. si peccatum esset extensivè infinitum, vnū peccatum non esset maius alio extensivè; sed non stante excessu extensivo Deus æqualiter offenderetur peccatis extensivè, vt de intensivè affirmat Ill. Godoy: ergo, &c.

55

Probatur 9 conclusio.

Probatur nono conclusio: si omnia principia causantia, peccatum in ratione offensę essent infinita, hoc peccatū esset maioris gravitatis, quam peccatum de facto commissum: ergo peccatum in ratione offensæ non est simpliciter infinitū. Antecedens constat primo: quia data hypotesi nihil esset, à quo peccatum in ratione offensæ posset limitari. Secundo: quia in tali casu nullus dubitaret, peccatū in ratione offensæ esse simpliciter infinitum. Tertio: quia iuxta doctrinā Ill. Godoy *disp. 3. n.* 53. meritum Dei (si capax esset merendi) esset maioris valoris, quam meritū Christi ex modo habendi illud; nàm Deus illud haberet à se, & per essentiam; non

Antecedens constat 1.

2.

3.

4

verò Christus. Deindè: meritum Dei (si esset) procederet à principijs omnibus infinitis: ergo erit maioris valoris, quam meritum procedens ab vno tantum principio infinito. Verum igitur est antecedens.

Consequentia probatur.

Consequentia probatur: illud est simpliciter infinitum in linea gravitatis, seù in linea offensæ, quo maius in tali linea, nec dari, nec concipi potest; sed in data hypotesi daretur peccatum maioris gravitatis, & offensæ, quam peccatū de facto commissum: ergo peccatum in ratione offensæ no est simpliciter infinitum. Quid ad hoc possit Ill. Godoy respondere, penitùs ignoro, quia est argumentum in solido fundamento firmatum, & in suâ doctrina *disp. 3. cit. n 52. & 53.* solidatum. Nec locum habet recursus de intensione, & extensione; quia argumentū procedit de maioritate intensiva; de hac loquitur Ill. Godoy in paritate de merito Dei *num. 52.* quam possùi pro quinta probatione nostræ conclusionis, & de eadem loquitur in præsenti.

56 *Probat. 10 conclusio.*

Probatur decimo conclusio: Verbum Divinum est simpliciter infinitū in esse entis: ergo peccatum non est simpliciter infinitum in esse moris. Probatur consequentia: ex eo, quod Verbum Divinum sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur aliquid negativum de Verbo, affirmativum non infinitatis simpliciter in esse moris in peccato: ergo peccatum non est simpliciter infinitum in esse moris. Probatur antecedens: ex eo, quod Verbum Divinum sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur, Verbum non esse creatum, nec factum in esse entis; sed peccatum in esse moris est creatum, & factum: ergo, &c.

Declaratur.

Declaratur hoc: vt Verbum sit infinitum simpliciter in esse entis, debet negari de illo, quod sit creatum, vel factum; quia esse creatum, vel factum in esse entis repugnat cum infinitate simpliciter in esse entis: ergo vt peccatum sit simpliciter infinitum in esse moris, debet negari de illo, quod sit creatum, vel factum in esse moris ob eandem rationem. Atqui peccatū in esse moris est creatum, & factum: ergo non est simpliciter infinitum.

57

Probatur vndecimo conclusio: infinitas est perfectio simpliciter: ergo repugnat enti morali. Atqui peccatū in ratione offensæ est ens morale: ergo peccatum mortale in ratione offensæ non est gravitatis simpliciter infinitæ. Antecedens est apud omnes certum, & claret ex diffinitione perfectionis simpliciter simplicis. Consequentia probatur: repugnat, perfectionem simpliciter simplicem repugnare enti perfectiori, & non repugnare enti imperfectiori; sed infinitas repugnat enti perfectiori ente morali: ergo repugnat enti morali. Maior constat in quacumque perfectione simpliciter simplici. Minor probatur: infinitas repugnat enti physico secundum Ill. Godoy; sed ens physicum est perfectius ente morali: ergo infinitas repugnat enti perfectiori ente morali.

Prob. 11. conclusio.

58 *Prob. 12.*

Probatur duocimo: ideo iuxta Ill. Godoy repugnat species impressa Deū quidditativè repræsentans, quia ex infinitate in repræsentando sequitur infinitas in essendo: ergo ex eo, quod peccatum sit infinitum in esse moris, sequitur esse infinitum in esse entis. Atqui hoc non concedit Ill. Godoy: ergo nec quod sit infinitum in esse moris.

59 *Prob. 13.*

Probatur tertiodecimo conclusio: ideo iuxta Ill. Godoy *num. 33.* peccatum in ratione offensæ est simpliciter infinitum, quia hæc est bona consequentia: *offensa facta digniori personæ est gravior: ergo facta infinitæ personæ est infinita*; quia gravitas offensæ crescit ad incrementum dignitatis personæ offensæ. Hæc est ratio principalis Ill. Godoy pro sua conclusione, quam pro nunc admitto, & contra ipsum infero primo: ergo offensa facta personæ infinitæ secundum essentiam erit infinita secundum essentiam. Infero secundo: ergo offenfa facta Deo vni, & trino, erit vna, & trina. Atqui hoc est plusquam falsum: ergo etiam est falsum assumptum Ill. Godoy.

60 *Prob. 14.*

Probatur 14. conclusio: nequit Deus esse offendibilis infinitè passivè, quin sit offendibilis infinitè activè; sed Deus non est offendibilis infinitè activè: ergo nec passivè: ergo peccatum in ratione offensæ non est gravitatis simpliciter infinitæ. Probatur maior: Deus nequit esse amabilis

infi-

infinitè passivè, quin sit amabilis infinitè activè: ergo similiter. Probatur consequentia: ideo nequit Deus esse amabilis infinitè passivè, quin sit amabilis infinitè activè, quia activum, & passivum sunt correlativa: ergo, &c.

61 *Prob. denique conclus.*

Denique probatur conclusio: peccatum, vel crescit arithmeticè, vel geometricè ad dignitatem personæ offensæ; sed quodcumque dicat Ill. Godoy est contra ipsum: ergo peccatum non est simpliciter infinitum in ratione offensę. Si primum, arguo sic: peccatum non crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ: ergo peccatū non crescit arithmeticè. Probatur antecedens: peccatum non crescens vsque ad infinitatem secundum essentiam, non crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ; sed peccatum non crescit vsque ad infinitatem secundum essentiam: ergo peccatum non crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ. Probatur maior: persona offensa est infinita per essentiam: ergo, &c. Probatur consequentia: crescere arithmeticè est tantum crescere, quantum est dignitas personæ offensæ; sed persona offensa est per te infinita per essentiam: ergo, &c.

Si secundum, arguo sic: peccatum geometricè crescens ad dignitatem personæ offensæ non est simpliciter infinitum: ergo peccatum non crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ. Probatur antecedens: peccatum crescens arithmeticè non potest vltrà infinitatem simpliciter crescere: ergo peccatum geometricè crescens ad dignitatem personæ offensæ non est simpliciter infinitum. Probatur consequentia: si peccatum geometricè crescens, crescceret vsque ad infinitatem simpliciter; peccatū arithmeticè crescens crescceret vltrà infinitatem simpliciter; sed per te sic nō crescit: ergo, &c. Efficatia huius probationis fundatur in differentia augmenti arithmeticè, & geometricè, ab omnibus vniformiter concessa.

§. VI.

Occurritur argumentis Ill. Godoy.

62 *Arguit. 1.*

ARguit primo Ill. Godoy contra nostram conclusionem *n.* 28. ratione ex D. Thoma deducta, quam sic conficit: causa efficiens continens moraliter infinitum effectū non potest non esse infinita in genere moris: tum; quia effectus infinitus non potest physicè contineri in causa finita physicè, & consequenter, nec poterit contineri moraliter in causa moraliter finita: tum etiam; quia effectus nequit sui causam efficientem principalem excedere in eo genere, in quo est causa; excederet autem, si effectus infinitus esset, & causa finita; sed peccatum mortale efficienter moraliter continet infinitum effectum; demeritum enim efficienter moraliter cōtinet pœnam, sicut meritum efficienter moraliter continet præmium: peccatum autem, quia contra Deum est, pœnam infinitè acerbam meretur: ergo ex parte, qua Deum offendit, est infinitum moraliter.

63 *Respondet.*

Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius imbibitam probationem distinguo minorē: peccatum quia contra Deum est, pœnam infinitè acerbam extensivè meretur ommitto minorem; intensivè nego minorē, & consequentiā. Itaque pœna, vel est damni, & hęc est finita, quia est privatio beatitudinis formalis, quæ finita est; vel est pœna sensus, & hæc est cruciatus in intensione finitus; infinitus vero in extensione, quia in æternum duratura. Excessus autem, vel gravitas peccati non debet attendi secundum quantitatē extensionis, sed intensionis, quia peccato per se correspondet pœna secundum intensionem iuxta iustitiam distributivam. Hæc est Scoti, & vera responsio, quā adducit *in 3. distinct. 19. ad 3. & in 4. distinct. 50. quæst. 6. in fine*, & addit: quod infinita pœnæ duratio non correspōdet peccato mortali ex propria natura; sed hoc illi accidit ex ordinatione Divina sic disponente. Undè posset Deus infligere pœnam aliquam, quæ si tantum duraret per momentum, puniret sufficienter peccatum.

64 *Replicat Ill. Godoy.*

Hanc solutionem non adducit Ill. Godoy; contra ipsam tamen replicare potest doctrina ab eo tradita *num.* 32. nam si peccatum non esset simpliciter infinitum, sed solùm gauderet superioritate ordinis, pœna eiusdem ordinis condignè, & adæquatè punitum maneret; sed hoc est falsum: ergo

est infinitum in genere moris simpliciter. Minor, in qua est difficultas, probatur: carentia Divinæ visionis est pœna eiusdem ordinis cum gravitate culpæ mortalis, cum in sententia nostra gravitas peccati mortalis solum extrinsicè, & obiectivè sit infinita; quia, nempe, avertit à Deo, Deũque offendit, qui bonum infinitũ est, quæ infinitas etiam pœnæ damni convenit, quæ in amissione, & carentia Dei summi boni consistit; sed hæc pœna non condignè, & adæquatè, sed inæqualiter, & citrà condignum peccatum mortale punitur, vt commune docet Theologorum axioma: ergo pœna ordinis superioris non adæquat gravitatem offensæ mortalis, & consequentèr hæc non solum exititit in superiori ordine gravitatis, sed in ordine infinito simpliciter.

65 *Respondet.* Respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego suppositum minoris; quia quando Theologi asserunt: Deum punire culpam citrà condignum, non loquuntur de pœna damni, quæ est privatio beatitudinis; sed de pœna sensus, non ex extensione illius, sed intensione, quatenus culpa, licet in æternum punita, adhuc tamen non sic intensivè punitur, quantum meretur. Vnde peccatum mortale condigne punitur pœna damni, non vero pœna sensus, de qua loquuntur Theologi, & nos asserimus, & declaramus vt æquivocatio Ill. Godoy appareat, & suppositum negatum innotescat.

66 *Arguit. 2.* Arguit secundo *num. 33.* gravitas offensæ crescit iuxtà mensuram dignitatis personæ, cui iniuria fit, vt ex Aristotele, & D. Thoma fatentur cõmunitèr Theologi, & exemplis convincitur: iniuria namque irrogata plebeio minor est illa, quæ irrogatur equiti, & hæc minor est illa, qua offenditur Princeps, quia Princeps equitem, & eques plebeium excedit in dignitate; sed persona per peccatũ mortale offensa, scilicet, Deus, est dignitatis simpliciter infinitæ: ergo offensa contra Deum commissa est gravitatis simpliciter infinitæ.

67 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: gravitas offensæ crescit arithmeticè, seù quo ad æqualitatem nego maiorem; geometricè, seù quo ad aliquam proportionem concedo maiorem; concedo minorẽ, & nego consequentiam; quia ex infinitate personæ offensæ non infertur iniuriæ infinitas simpliciter, & positiva, sed solum infinitas secundum quid, & negativa, hoc est excellentia superioris ordinis ita, vt dari nequeat maior gravitas ex circunstantia personæ offensæ: Et ratio est: quia dignitas personæ offensæ non est causa præcisa augmenti offensæ, sed alia quoque concurrunt, quæ sunt finita, vt ex nostris claret probationibus.

68 *Replicat. 1* Sed contra hanc solutionem replicat primo Ill. Godoy *num. 34.* Deus offensus præstat offensæ gravitatem ordinis superioris; sed eadem est ratio transfusionis in offensam gravitatis ordinis superioris, & gravitatis simpliciter infinitæ: ergo non solum trãsfundit in peccatum mortale gravitatem ordinis superioris, sed etiam gravitatem simpliciter infinitam. Probatur minor: ideò Deus offensus communicat offensæ irrogatæ in ipsum gravitatem ordinis superioris, quia ipse superioris ordinis est; sed Deus non solum est dignitatis ordinis superioris, sed etiam dignitatis simpliciter infinitæ: ergo eadem ratio militat, vt communicet offensæ infinitatem simpliciter, ac vt communicet superioritatem in ordine.

69 *Respond. 1* Respondeo primo negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: ideò Deus offensus communicat offensæ irrogatæ in ipsum gravitatem ordinis superioris, quia ipse superioris ordinis est, præcisè nego maiorem; ob hoc, & quia ad cõmunicationem gradus superioris ordinis sufficit concursus alicuius, qui sit in illo ordine concedo maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam; quia ad communicandam infinitatem effectui non sufficit, si plures sint causæ, quod vna sit infinita, vt ex quarta claret probatione.

70 *Replicat. 2* Replicat secundo *num. cit.* Deus per peccatum offensus non est minùs ex se potens dare infinitatem simpliciter, quam superioritatem in ordine; sed ex parte offensæ nulla est ratio assignabilis, cur vnum, & non aliud participet: ergo gravitas offensæ Divinæ non solum est superioris ordinis, sed etiam infinita simpliciter. Respõdeo *Respondeo.*

ne-

negando minorē, ob rationes nostræ conclusionis, præsertim ob quartam positam *n.* 43. vbi ostendimus: effectū non posse esse simpliciter infinitum, si ad illum principia finita concurrant, licet aliquod infinitum concurrat; & ob rationem quintam positam *n.* 50. vbi diximus: influxum Diuinæ maiestatis offensæ limitari à cognitione, qua offendens cognoscit Deum, nè in actum offensiuum infinitatem transfundat, quia cum maiestas offensa non communicet grauitatem offensæ, nisi vt cognita ab offensore, & cognitio sit finita, impeditur ab illa, ne offensæ grauitatem infinitam communicet.

71 *Dices* 1. *cum Ill. Godoy.*

Hanc responsionem fundatam in quinta probatione sibi dedit Ill. God. *n.* 35. contra quam sic arguit primo *n. cit.* limitatio cognitionis non impedit infinitatem in offensa: ergo ruit nostra solutio. Probatur antecedens: cognitio non solum est finita, sed etiā est ordinis inferioris ad personam offensam; sed inferioritas cognitionis non obest, quo minus persona offēsa, quia superioris ordinis est, tribuat illi grauitatem superioris ordinis: ergo limitatio cognitionis nequit obstare, quin persona offensa, quia infinita est, grauitatem infinitā tribuat offensæ. Probatur consequentia: ideò inferioritas cognitionis non obest, quo minus persona offensa, quia superioris ordinis est, tribuat illi grauitatem superioris ordinis, quia solum est conditio, & non ratio formalis ex parte personæ transfundentis grauitatem: ergo eadē ratione limitatio cognitionis nequit obstare, quin persona offensā, quia infinita est, grauitatem infinitā tribuat offensæ. Respondeo negando antecedens; ad probationem nego consequētiam, ad cuius probationem nego antecedens; quia ratio est, quam assignavi *n.* 50. & hoc sivè cognitio sit solum conditio, sive ratio formalis, de quo in præsenti non est curandum.

Respondeo.

72 *Declaratur solutio.*

Deinde: ratio, cur cognitio elevatur ad ordinem superiorem, non verò ad infinitatem simpliciter, est, quam dedi *num.* 69. & coincidit cum quarta probatione nostræ conclusionis. Denique: quia non est eadem ratio ad communicandam superioritatem in ordine, ac ad communicandam infinitatem, vt in retorsionibus infrà faciendis constabit, & hæc etiam patet ratione: quod est inferioris ordinis potest elevari ad ordinem superiorē; vt claret in intellectu creato, qui Lumine gloriæ elevatur ad ordinem supernaturalem; cæterum finitum num quam potest elevari ad esse infinitum ob rationem ipsius finiti.

73 *Dices* 2.

Secundo arguit contra dictam solutionem *n.* 38. etsi cognitio Dei, quā per fidem habemus, finita sit, illi patet maiestatis offensæ infinitas: ergo non impedit transfusionem infinitæ grauitatis. Probatur consequētia. Primo: quia ex, indè inferebamus, impedire transfusionē infinitæ grauitatis, quia ignorantia minuit malitiam, & plena cognitio illam auget; sed per nos, etsi cognitio Dei, quam per fidem habemus, finita sit, illi patet maiestatis offensæ infinitas: ergo non impedit trāsfusionē infinitæ grauitatis. Secundo: nam cognitio, quam lateret superioritas maiestatis offensæ, impediret transfusionem superioritatis ordinis in offensam: ergo cognitio, quam nō latet superioritas personæ offensæ, nō impedit talem transfusionem, etsi sit inferioris ordinis: ergo pariter: quamvis cognitio finita subiectivè, & obiectivè, hoc est, non attingens infinitatem maiestatis offensæ, nec illam offendenti proponens, impediat transfusionem grauitatis infinitæ in offensam; cognitio tamen, quæ licet finita sit subiectivè; obiectivè est infinita, id est, infinitatem maiestatis offensæ offendenti repræsentans, non potest impedire trāsfusionē moralis infinitatis.

74 *Respōdeo* 1.

Respondeo primo ad replicam cōcessō antecedenti, negando consequētiam, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: ex indè inferebamus, impedire transfusionem infinitę simpliciter grauitatis, quia ignorātia minuit malitiam, & plena cognitio illam auget concedo maiorem; infinitæ obiectivè, seu secundum quid nego maiorem; & concessa minori, distinguo similiter consequens. Iuxtà quam solutionem ad secundam probationem consequentiæ respondeo distinguendo vltimum consequens: non potest impedire transfusionem moralis infinitatis obiectivè, & secundum quid concedo consequentiam; infinitatis simpliciter nego consequē-

tiam. Patet ſolutio ex quinta probatione noſtræ concluſionis *n.* 50.

75 *Reſpond. 2.* Reſpondeo ſecundo ad prædictam replicam diſtinguendo antecedens: etſi cognitio Dei, quam perfidem habemus, finita ſit, illi patet finitomodo infinitas maieſtatis offenſæ concedo antecedens; patet infinito modo nego antecedens, & conſequentiã; quia vt illa cognitio non impediret tranſfuſionem infinitæ gravitatis, deberet illi patere infinito modo infinitas gravitatis infinitæ. Et iuxta hanc ſolutionem nihil contra nos habent probationes allatę; nam prima eadem diſtinctione diſtinguitur quoad ſecundã partem, ſcilicèt, plena cognitio illam auget finito modo concedo; infinito nego. Ad ſecundam diſtinguo vltimũ conſequens: cognitio, quę eſt obiectivè infinita infinitè, id eſt, infinitatem repræſentans modo infinito concedo conſequentiam; quę eſt infinita finitè, id eſt, infinitatem repreſentans modo finito nego conſequentiam.

76 *Reſpond. 2 ad replicã poſitam n. 68.* Reſpondeo iam ſecundo ad replicam poſitam *n.* 68. diſtinguendo maiorem, vt ibi, & aliam aſsignando rationem, cur perſona infinita limitatur ne communicet offenſæ infinitã gravitatem. Ratio enim eſt limitatio conatus peccantis; ſicut enim obiectum infinitum potens quantum eſt de ſe infinitatem in actum transfundere, ſi finito modo attingatur, infinitam illi perfectionem non confert; ita licèt maieſtas Divina offenſa ſit quantũ eſt de ſe potens communicare offenſæ gravitatem infinitam, impeditur, ne illam communicet ex limitatione conatus, quo attinguitur per peccatum.

77 *Dices cum Ill. Godoy.* Hanc ſolutionem reſellit Ill. Godoy *n.* 40. à paritate, & à ratione. Paritas eſt de meritis Chriſti, quam ipſe fatetur, valorem non habere contra nos. Vnde hac relicta, ſic à ratione inſurgit: limitatio operantis, & elicientis actum non impedit infinitudinem gravitatis, ſumendam ex perſona offenſa infinita: ergo nec limitatio conatus in actu offenſivo illam impedire poteſt. Conſequentia probatione non indiget. Antecedens probatur: ſi per impoſsibile eſsẽt duo Dij, & vnus alium offenderet, gravitas ex perſona offenſa ſumpta non eſſet maior, imò fortè minor eſſet gravitate perſonali offenſæ contra Deum ab operante finito commiſſæ, ſicuti offenſa vnius Regis in alium minor eſt offenſa Regi à Plebeio irrogata; ſed tunc caſus gravitas offenſæ in Deum eſſet infinita ſimplicitèr, cum non haberet vndè limitari poſſet: ergo gravitas ex Deo offenſo ſumpta infinita eſt in peccato egrediente à principio finito; ac per conſequens limitatio operantis non impedit infinitudinem ex perſona offenſa ſumendam, nec tollit, quo minus perſona offenſa infinita illi infinitam gravitatem communicet. Deniquę: nam inferioritas ordinis conatus, & modi tendendi actui offenſivo cõveniens, non impedit ſuperioritatem ordinis gravitatis peccati ſumptã ex perſona offenſa ordinis ſuperioris: ergo limitatio conatus in cauſa eſſe non poteſt, vt actus offenſivus à perſona offenſa infinita non evadat infinitæ gravitatis.

78 *Reſpond. 1.* Reſpondeo primo negando antecedens, ad cuius probationem nego maiorem; quia offenſa vnius Dei in alium eſſet vndequaque infinita, quia non haberet vnde limitaretur, & conſequẽtèr eſſet infinita ſimplicitèr. Aſt offenſa commiſſa à creatura ſemper eſt finita ob rationes noſtræ concluſionis. Nec obeſt, quod offenſa creſcat etiam ex vilitate perſonæ, quia ſolum creſcit geometricè, vt dictum eſt *n.* 67. ſemper enim adſunt aliæ cauſæ, quæ minuunt offenſam ex dictis *n.* 43. ſcilicèt, cognitio, & cõnatus potentię.

79 *Reſpond. 2. retorquendo contra Ill. Godoy.* Reſpondeo ſecundo retorquendo replicam contra factorem illius: offenſa ab vno Deo in alium commiſſa eſſet minor offenſa commiſſa à creatura: ergo non eſſet infinita ſimplicitèr. Antecedens eſt Ill. Godoy *cit.* Cõſequentia eſt evidens ex dictis *num.* 32 ſcilicèt, quod vnum infinitum ſimplicitèr in aliquo genere non eſt maius alio, quod eſt abſque dubio generale principiũ. Imò veritate huius principij ſtante, & replica Ill. Godoy conſideratè inſpecta, ſe ipsũ reſellit in omnibus, quę in tota hac diſputatione adducit, vt attendẽti manifeſtè clarebit.

80 *Diluitur paritas.* Nec paritas de inferioritate ordinis, quam adducit in fine replicæ, aliquam vim habet: nam quod id, quod eſt inferioris ordinis, poſsit elevari, & de facto elevetur ad ſuperiorem ordi-

nem,

nē, rationibus, & paritate demonstravimus *n.* 72. imo retorsiones, ex quibus constet, promisimus, & promissum per consequentia adimplemus.

81 *Retorqueo totam doctrinam Ill. Godoy.*

Soluto iam argumento principali Ill. Godoy, & solutionis replicis, quas contra nostras solutiones adducit, solum restat, argumentum & replica contra ipsum retorquere, & quod hic in generali faciemus, fieri potest in particulari ad argumentum, & quamlibet replicam illius. Retorqueo itaque primo: gravitas offensæ crescit iuxta mēsuram dignitatis personæ, cui iniuria fit: ergo gravitas cuiuscumque offensæ crescit iuxta mensuram dignitatis personæ, cui iniuria fit. Atqui persona per peccatum veniale offensa, scilicèt, Deus, est dignitatis infinitæ simplicitèr; ergo offensa venialis contra Deum commissa est gravitatis simplicitèr infinitæ. Antecedens est assumptum Ill. Godoy, illud deducens *n.* 33. ex Aristotele, & D. Thoma, quod fatentur communiter Theologi. Prima consequentia est legitima; nam est propositio particularis antecedentis, quæ est propositio vniversalis. Secunda consequentia ex prima infertur. Sub sumpta ab ipso pro se adducitur, & est evidens. Consequentia illata est à nobis, sicut ab ipso.

Primo.

82 *Retorqueo 2.*

Retorqueo secundo: Ideò iuxtà Ill. Godoy peccatum in ratione offensæ est simplicitèr infinitum, quia offensa crescit ad incrementum personæ offensæ, quæ est simplicitèr infinita; atqui visio clara Dei, actus charitatis & omnes alij, qui Deū habent pro obiecto materiali, & formali, crescunt ad incrementum obiecti quod est simplicitèr infinitum: ergo sunt simplicitèr infiniti, quod negat hic Doctor, & contra quem ad hominem probamus ex sua ratione.

83 *Tertio.*

Retorqueo tertio: peccatum in ratione offensæ est iuxtà Ill. Godoy simplicitèr infinitum in esse moris: ergo est simplicitèr infinitum in esse entis. Probatur consequentia: ex infinitate simplicitèr in esse moris sequitur infinitas simplicitèr in essendo; sed per te peccatum in ratione offensæ est simpliciter infinitum in esse moris: ergo est simplicitèr infinitum in esse entis. Probatur maior: ex infinitate in repræsentando sequitur infinitas in essendo; ergo similitèr. Antecedens est Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *part. disp* 11. negantis possibilitatem speciei impressæ Deum quidditativè repræsentantis, quia ex infinitate in repræsentando sequitur apud ipsum infinitas in essendo. Consequentia paritate rationis videtur certa, & vltra ex doctrina ipsius convincitur: infinitas in repræsentando sumitur ab obiecto, se habente per modum obiecti; infinitas autem in esse moris sumitur à persona se habente per modum subiecti, & formæ; sed infinitas proveniens ab obiecto, se habente per modum obiecti, non est magis illativa alterius infinitatis, quā infinitas proveniens à subiecto, & forma, quin potius minus, vt claret ex distinctione obiecti a subiecto ab Ill. Godoy, tradita *n.* 87. & à nobis relata *n.* 11. ergo si ex infinitate in repræsentando sequitur infinitas in essendo, potiori iure ex infinitate in esse moris sequi debet infinitas in esse entis.

84 *Quarto.*

Retorqueo quarto: ratio, qua Ill. Godoy probat, peccatum in ratione offensæ esse simplicitèr infinitum, est, quia gravitas offensæ crescit iuxtà mensuram dignitatis personę offensę; sed hęc ratio multum probat: ergo nihil probat. Probatur minor: prædicta ratio probat, peccatum in ratione offensæ esse infinitum per essentiam; sed hoc est multum propare: ergo illa ratio multum probat. Probatur maior: ratio probativa est, quia peccatum in ratione offensæ crescit iuxta mensurā dignitatis personæ offensæ; sed dignitas personæ offensæ est infinita per essentiam: ergo prædicta ratio probat, peccatum in ratione offensæ esse infinitum per essentiam.

Fateor hanc rationem, quæ eadem est cum illa, quā pro probatione nostræ conclusionis assignavimus *n.* 61. aliquando mihi visum fuit, habere valorem contra sententiam contrariā; sed illam matūrius inspiciens, video contra nos etiā militare, si alitèr efformetur, quod apparebit argumēto seq.

§. VII.

Solvitur argumentum speciale.

85 *Argum. speciale proponitur.*

COntra nostram conclusionem specialitèr arguo: peccatum in ratione offensæ crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ: ergo potest

test crescere vsque ad infinitatem simplicitèr. Probatur consequentia: peccatum in ratione offensæ crescens, vsque ad infinitatem simplicitèr, crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ; sed per te peccatum in ratione offensæ crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ: ergo potest crescere vsque ad infinitatem simplicitèr. Probatur maior: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatē simplicitèr, non crescit vsque ad infinitatem per essentiā: ergo, &c Probatur consequentia: peccatum in ratione offensæ non crescens vsque ad infinitatem per essentiam crescit geometricè ad dignitatem personę offensæ: ergo, &c. Antecedens patet: nam persona offensa est infinita per essentiam: ergo peccatum non crescens vsque ad hanc infinitatem, no arithmeticè, sed geometricè crescit ad dignitatem personæ offensæ: nam augmentum arithmeticè est tantum crescere, quantum est dignitas personę offensę quod non invenitur in peccato simplicitèr infinito. Consequentia eadem gaudet certitudine.

86 *Alitèr formatur arg.*

Alitèr efformatur argumentum: peccatum in ratione offensæ crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ: ergo crescere potest vsque ad infinitatem simplicitèr in esse moris. Probatur consequentia: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatem simplicitèr in esse moris, crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ; sed per te peccatum in ratione offensæ crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ: ergo crescere potest vsque ad infinitatem simplicitèr in esse moris Probatur maior: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatem simplicitèr in esse moris, non crescit vsque ad infinitatem simplicitèr in esse entis; sed peccatum in ratione offensæ non crescens vsque ad infinitatem in esse entis, crescit geometricè ad dignitatem personæ offensæ; quia hæc est infinita in esse entis: ergo, &c.

87 *Respond. 1.*

Ad hoc argumentum sic, vel sic efformatum respondebis primo: negando consequentiam, ad cuius probationem negabis maiorē, & ad huius probationem negabis consequentiā, & ad illius probationem negabis antecedens, cuius ratio est: nam peccatū crescens vsque ad infinitatem simplicitèr, crescit arithmeticè, quia crescit in linea morali, quatū crescere potest.

88 *Reijcitur 1*

Hæc tamen solutio impugnatur primo: peccatum in ratione offensæ crescere vsque ad infinitatem simplicitèr, non est crescere arithmeticè ad dignitatem personę offensę: ergo ruit solutio Probatur antecedens: peccatū in ratione offensæ crescere arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ, est tantum crescere, quanta est dignitas personæ offensæ, seu peccatum crescere in ratione offensæ vsque ad infinitatem simpliciter; non est crescere tantum, quanta est dignitas personæ offensæ: ergo peccatum in ratione offensæ crescere vsque ad infinitatem simplicitèr, non est crescere arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ. Consequentia est legitima. Maior est diffinitio augmenti arithmeticè. Minor probatur: dignitas personæ offensæ non solum est simplicitèr infinita, verum & infinita per essentiam; sed peccatum in ratione offensę crescere vsque ad infinitatē simplicitèr, non est crescere vsque ad infinitatę per essētiā: ergo, &c

89 *Reijcitur 2*

Impugnatur secundo prædicta solutio: ideo iuxta solutionem peccatū in ratione ofensæ crescens vsque ad infinitatem simplicitèr, crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ, quia crescit in linea morali, quantū crescere potest; atqui ex eo, quod peccatum in ratione offensæ crescat in linea morali, quantum crescere potest, non sequitur quod peccatum in ratione offensæ crescat arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ. ergo nulla est solutio. Probatur minor: ex eo, quod actus iustitię distributivę det cuicumque quantum dari potest, non sequitur, quod talis actus sit distributio arithmetica: ergo paritèr. Antecedens est certum; alioquin non esset actus iustitię distributivę. Consequentia paritate videtur manifesta.

90 *Respond. 2.*

Respondebis secundo ad prædictum argumentum negando consequentiā; ad cuius probationem negatur maior, & ad huius probationem negatur antecedens: quia peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatem simplicitèr, deberet etiam crescere vsque ad infinitatem per essentiam ob

eam

eamdem rationem. Hæc solutio videtur magis probabilis. Cœterum non placet. Quare.

91 *Impugnatur solutio.* Reijcitur hæc solutio: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatem simpliciter, non crescit, nec debet crescere vsque ad infinitatem per essentiam: ergo ruit allata solutio. Probatur antecedens: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad summum in esse moris, non crescit, nec crescere debet vsque ad summum in esse entis: ergo pariter: peccatum in ratione offensæ crescens vsque ad infinitatem simpliciter, non crescit, nec crescere debet vsque ad infinitatem per essentiam. Probatur antecedens: peccatum in ratione offensæ crescens magis in esse moris, non crescit magis in esse entis: ergo, &c. Probatur antecedens: tanta eadem entitate, tanta maior gravitas in esse moris, vt claret in alapa data Regi, & Plebeio: ergo peccatum in ratione offensæ crescens magis in esse moris, non crescit magis in esse entis.

92 *Vera solutio.* His igitur solutionibus omnibus, & in sua probabilitate relictis, ad argumentum respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem nego maiorem, & ad probationem illius concessa maiori, nego minorē, & suppositum probationis; supponit namque, quod dignitas personæ offensæ sit infinita in esse entis quod est falsum; nam dignitas non est aliquid in esse entis, sed est tantum quid morale, sicut peccatum in ratione offensæ non est quid in esse entis, sed quid dumtaxat morale. Vnde si crescceret vsque ad infinitatem simpliciter in esse moris, crescceret arithmeticè ad dignitatem personę offensę, quia cum hæc dignitas sit tantum quid morale, ad summum potest crescere vsque ad infinitatem simpliciter in esse moris.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

93 *1. Corollarium.* EX dictis infero. Primo: peccatum originale ratione gravitatis, ex persona offensa sumptæ, inspectæ secundum se, non esse dignum pœna infinitæ intensionis, nec omni pœna possibili. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy *n.* 172. & contra ipsum pro bandum est rationibus ab ipso traditis in contrarium tamen formatis.

94 *Probatur 1.* Probatur primo: ideo iuxta Ill. Godoy peccato originali deberetur pœna infinita, & omnis pœna possibilis, quia peccatum originale in ratione offensæ est simpliciter infinitum, sed peccatum originale in ratione offensæ non est simpliciter infinitum: ergo peccatum originale non est dignum pœna infinita, nec omni pœna possibili. Consequentia est bona. Maior est Ill. Godoy. Minor vero probatur primo: in tantum peccatum originale in ratione offensæ esset simpliciter infinitum, in quantum peccatum personale esset infinitum simpliciter in ratione offensæ; sed peccatum personale in ratione offensæ non est simpliciter infinitum: ergo peccatum originale in ratione offensæ non est simpliciter infinitum. Consequentia est legitima. Maior est doctrina Doctoris prædicti in præsenti. Minor constat ex dictis in tota disputatione.

95 *Secundo.* Probatur secundo: nam peccatum, quo parvuli in capite peccantes denominantur, est idem peccatum actuale Adami ipsum personaliter peccantē denominans, & parvulos in ipso, vt in capite peccantes constituens; peccatū autem originale habituale intrinsicè afficiens parvulos, cum primo concipiuntur in vtero, eiusdem rationis est cum termino personali habituali in Adamo ex peccato actuali relicto; sed peccatum actuale, & habituale Adami non est in ratione offensæ simpliciter infinitum: ergo peccatum actuale quo parvuli dicuntur peccantes in Adamo, tanquam in capite, & terminus ex hoc peccato relictus intrinsicè inficiens parvulos, dum primo in vtero concipiuntur, quod est peccatum originale, non est etiam in ratione offensæ simpliciter infinitum.

96 *Cōfirmatur.* Quod amplius vrgetur: nam peccatum, quod in ratione punibilis non est simpliciter infinitum, non meretur omnem pœnam possibilem; sicut præmium, quod in ratione præmiabilis non est infinitum simpliciter, ad omne præmium possibile promerendum non extenditur; sed peccatum originale non est in ratione punibilis simpliciter infinitum: ergo non meretur omnem pœnam possibilem, illius gra-

vi-

vitate inſpecta ſecundum ſe. Conſequentia eſt bona. Maior certa, & minor probatur: peccatum, quod aliqua pœna determinata ad æqualitatem punitur, non eſt in ratione punibilis ſimpliciter infinitum, ſicut meritum, quod aliquo præmio determinato ad æqualitatẽ præmiatur, non eſt in ratione præmiabilis ſimpliciter infinitum; ſed peccatũ originale huius conditionis eſt in ratione punibilis. ergo, &c.

Minor probatur 1.

Minor probatur primo: peccatum originale talis conditionis eſt in ratione ſatisfactibilis, vt ſatisfactione puræ creaturæ aſſignata tali ratione adæquetur: ergo paritèr: in ratione punibilis aliquid pœna determinata ad æqualitatem punitur, antecedens patebit *diſp. ſeq.*

97 *Secundo.*

Probatur ſecundo prædicta minor: peccato per ſe correſpondet pœna ſecundum intenſionem iuxtà iuſtitiam diſtributivam: ſed aliqua pœna ſecundum intenſionẽ determinata ad æqualitatem punitur. ergo, &c. Maior eſt Scoti *in 3. diſt. 19. ad 13. & in 4. diſt 50. quæſt. 6. in fine*, dicentis, quod infinita pœnæ duratio non correſpondet peccato mortali ex propria natura, ſed hoc illi accidit ex ordinatione Diuina ſic diſponente. Minor eſt eiuſdem docentis: quod poteſt Deus infligere pœnam aliquam, quæ, ſi tantum duraret per momentum, puniret ſufficienter peccatũ. Cõſequẽtia eſt legitima.

Quod III. Godoy pro ſuo corollario adducit, ſolutione non indiget; manet namque per dicta ſolutum; omne enim redducitur ad hoc, quod peccatum originale, ſicut perſonale, eſt in ratione offenſæ ſimpliciter infinitum, & conſequenter infinitum ſimpliciter in ratione punibilis, & ſatisfactibilis; quæ omnia ſunt in noſtra ſententia falſa, vt ex dictis claret, & quod reſtat apparebit *diſp. ſeq.*

98

99 *2. Corollarium.*

Secundo infert III. Godoy *n.* 179. falſam eſſe quorundam Recentiorum ſententiam docentium: peccatũ mortale eſſe infinitæ grauitatis in ordine; non tamen intra ordinem; ſed intra ordinem eſſe in ratione offenſæ infinitum. Cæterum de hoc nobiſcum nequit eſſe litigiũ; negamus namque peccatum in ratione offenſæ eſſe ſimpliciter infinitum, ſiue in ordine, ſiue intra ordinem. Maneat ergo peccatũ mortale in ratione offenſæ eſſe grauitatis ſimpliciter finitæ, quod alierit noſtra ſententia. Et hæc de illa diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 20. §. 2.* ibi: *Sed quia iuſtitia Ieſu-Chriſti, &c.*

DISPVTATIO SECUNDA.

Vtrùm purus homo de condigno ſatisfacere poſsit pro ſuo, vel alieno peccato mortali?

§. I.

Quibuſdam præſuppoſitis referuntur ſententiæ.

Num. 1 *1. Notabile. Satisfactio quid eſt.*

SUppono primo: quod ſatisfactio in communi ſecundum nominis proprietatem ſignificat compenſationem debiti, & vt notat Scotus *in 4. diſt. 15. quæſt. 1. §. reſpondeo in fine*, conuenireque poteſt: tàm compenſationi gratitudinis, quàm iuſtitiæ; nàm ſicut poteſt ſatisfieri pro iniuria, ſeù damno illato; ita etiam pro beneficio accepto. Hæc itaque ſatisfactio incommuni *eſt redditio voluntaria æquivalentiæ alias indebiti.* Sic Scotus *in 4. cit.* quem communitèr ſecuntur Authores. Hanc diffinitionem deſumpſit Scotus ex Anſelmo *lib. 1. cur Deus homo cap. 19. & 20.* eamque per eius particulas ſic explicatur.

2 *Explicatur diffinitio.*

Dicitur *redditio*, quia non eſt abſoluta datio, ſicut donatio gratuita; namly *ſatis* poſita in ſatisfactione denotat, quod illud, quod datur, eſt in ordine ad illud, quod fuit receptum. Dicitur *voluntaria*, quia ſi involuntaria eſſet non eſſet ſatisfactio, ſed ſatis paſ-

ſio,

sio, qualitèr in inferno damnati satis patiuntur, & non satisfaciunt. Dicitur *æquivalentis*; tum, quia non requiritur æqualitas in entitate, sed in valore, & æstimatione; tum, quia id, quod redditur, debet æquivalere ad illud, quod fuit acceptum; alioquin non redderet satis. Dicitur *aliàs indebiti*, quia non debet esse alio titulo debitum; nam per solutionem vt quatuor ratione census non potest satisfieri alio debito vt quatuor ratione emptionis.

3 *Triplex est satisfactio.*

Hæc diffinitio sic ab Scoto explicata æque acommodatur (vt ipse ait in fine prædicti §.) satisfactioni, quæ fuit pro iniuria per peccatum illata, ac satisfactioni, quæ in cõmercijs, & contratibus humanis fit pro lucro recepto, quod maximè notandum est pro dicendis. Et est triplex. Prima est, cui conveniunt omnes prædictæ differentiæ, seù conditiones, & aliæ in illis implicitè contentæ, de quibus *disp.* 5. & hæc vocatur satisfactio *ex toto rigore iustitiæ*. Secunda est, cui deficit vltima conditio, scilicet, *aliàs indebiti*, & hæc dicitur satisfactio *condigna, seu ad æqualitatem*, quia reddit æquale, licet alias sit debitum. Tertia est, cui deficit particula *æquivalentis*, & hæc dicitur *imperfecta, seu de congruo*, quia non reddit æquivalens, quod provenit ex eo, quod vel creditor remittit partẽ debiti, vel debitor nõ soluit adęquatè

4 *2. Notabile.*

Suppono secundò: quod nomine puri hominis non sumimus hominẽ sine Divinæ gratiæ adiutorio; sed loquimur de homine puro per exclusionem vnionis ad esse personale Divinum, hoc est, de homine non Deo, quamvis gratus sit, & ad Dei amicitiã evectus, & inquirimus: an homo sic acceptus possit condignè, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere, sivè proprium sit, sivè alienum.

5 *3. Notabile.*

In quo tanquam certum supponimus tertio: quod purus homo actu naturali elicito sine auxilio ordinis naturalis; imò & cum auxilio ordinis naturalis, nec perfectè, nec imperfectè potest de potentia ordinaria satisfacere pro suo, vel alieno peccato. Prima pars huius suppositionis diffinita est contra Pelagianos, & Semipelagianos in Concil. Tridentin. *Sess. 6. cap. 5.* his verbis: *Neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram illo liberà sua voluntate possit.* Secundam docuit Scotus *in 2. dist. 9. quæst. 2. §. contra 4. art.* Et ratio est: nam satisfactio debet esse redditio alicuius obsequij, quod habeat aliquam proportionem cum debito contracto per peccatum, quod est contra finem supernaturalẽ; sed actus merè naturalis, adhuc ex auxilio elicitus, non habet proportionem cum aliquo supernaturali: ergo purus homo actu naturali elicito cum auxilio ordinis naturalis, nec perfectè, nec imperfectè potest de potentia ordinaria satisfacere pro suo, vel alieno peccato.

6 *Dices.*

Sed dices: opus bonum morale factum ex auxilio naturalis ordinis est satisfactio imperfecta pro peccato proprio: ergo potest purus homo cum auxilio naturali satisfacere saltim imperfectè pro suo peccato. Probatur antecedens: tale opus est dispositio remota ad iustificationem: ergo opus bonũ morale factum ex auxilio naturalis ordinis est satisfactio imperfecta pro peccato proprio. Nego vtrumque antecedens, imo ex secundo sequeretur, quod in homine infideli ante fidem esset aliqua dispositio remota, quæ esset satisfactio imperfecta prò peccato eius, & impetratoria ipsius fidei, quod est contra D. August. *epist.* 105. & contra Trident. *Sess. 6. Canon. 8.* dicens: *Fidem esse initium, fundamentum, & radicem humanæ salutis.*

Respondeo.

7 *4. Notabile*

Quarto supponendum est: quod de potentia Dei absoluta potest purus homo actu merè naturali imperfectè satisfacere pro suo, vel alieno peccato; non vero perfectè. Prima pars huius notabilis docetur ab Scoto *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. de 2. artic. Et quodlibeto 17. §. ad argum.* & probatur: opus bonum morale merè naturale est aliquod obsequium Deo factum: ergo poterit Deus illud acceptare pro satisfactione peccatorum saltim imperfecta.

1. Pars probatur.

8 *Dices.*

Dices: tale opus merè naturale non habet proportionem cum debito contracto per peccatum; quia non est supernaturale: ergo purus homo actu merè naturali nequit adhuc de potentia Dei absoluta satisfacere imperfectè pro suo, vel alieno peccato

Respondeo.

Respondeo negando consequentiã; quia hoc solum est necessarium de potentia ordinaria; non vero absoluta,

de

de qua loquimur, & ratio est. quia nō implicat, vt Deus peccatum remittere statuat, si homo benè moraliter operetur.

9 *Replicabis* Replicabis contra solutionem: nam licet non implicet, quod Deus peccatum remittere statuat, si homo benè moraliter operetur; tunc tamen Deus ex fidelitate, & non ex iustitia remitteret peccatum: ergo tale opus non esset satisfactio. Respondeo distinguendo cōsequens: ergo tale opus non esset satisfactio perfecta, & condigna concedo consequentiam; imperfecta nego consequentiam; & hoc tantum probat antecedens; nam vt peccatum remittatur ex iustitia, satisfactio debet esse perfecta.

10 *2. Pars probatur. 1.* Secunda pars prædicti notabilis docetur etiam ab Scoto *in 3. distinct. 20. §. contra istud. & in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. §. quantum ad istum*, & probatur primo: omnis perfecta, & condigna satisfactio resarcire debet totum honorem læsum personæ offensæ; sed contritio merè naturalis resarcire nequit totum honorem Dei læsum per peccatum: ergo nequit esse condigna, & perfecta. Maior patet: nam si quis Petrum offendat, vt publicam personam, non perfectè satisfacit, si tantum illi obsequium præstat, vt privativæ personæ. Minor probatur: per peccatum non solum læditur honor Dei, vt finis naturalis, sed etiam vt supernaturalis; atqui contritio merè naturalis resarcire nequit totū hunc honorem læsum: ergo, &c. Probatur minor: nequit resarcire honorem Dei, vt finis supernaturalis, vt de se patet: ergo, &c.

11 *Prob. 2.* Eadem pars suppositionis probatur secundo specialiter: summum, quod potest facere purus homo cum auxilio supernaturali, est, posse de potentia Dei satisfacere de condigno pro suo, vel alieno peccato; sed hoc iuxtà Authores contrarios potest facere purus homo sine auxilio supernaturali: ergo idem potest purus homo sine auxilio supernaturali, ac cum tali auxilio, quod ridiculum videtur, præsertim in ordine ad satisfaciendum.

12 *Dices.* Dices contra hanc secundam partem notabilis: Deus potest acceptare contrictionem merè naturalem pro condigna satisfactione: ergo de potentia Dei absoluta potest purus homo actu merè naturali perfectè satisfacere pro suo, vel alieno peccato. *Respondeo.* Respondeo negādo antecedens; quia sola extrinseca Dei acceptatio reddere nequit satisfactionem condignam, si ex se in actu primo condigna non est, vt ex dicendis constabit; & ratio est: quia per extrinsecam Dei acceptionem satisfactio nihil recipit in se, per quod ex non condigna fiat condigna. Neque promissio Dei, quæ accederet, redderet illam condignam, sed solum faceret, quod se declararet illa contentum, perindè ac si esset condigna.

13 *5. Notabile* Supponendum est quinto tanquam certum: quod potest purus homo cum auxilio supernaturali condignè & ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali. Quod docuit D. Augustinus, qui verba illa Ioann. 1. *si confitemur peccata nostra, fidelis, & iustus est, vt remittat nobis*, explicat de venialibus. Docuit etiam Scotus *in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. Et dist. 21. quæst. 1. §. in ista conclusione.* Hocque tenent cōmuniter Theologi, & vt certum supponitur ab Ill. Godoy in præsenti *num. 2.*

14 *Prob. ex Scoto.* Et suadetur ratione Scoti *dist. 21. cit.* potest iustus conferre Deo aliquē actum, qui phisicè, & moraliter sit retractativus venialis, & magis acceptus Deo, quam illi veniale displicuit: ergo illo actu non solum ad æqualitatem, sed superabundanter satisfacit pro veniali. Probatur antecedens primo: homo ita contritione Deum diligit, vt Deus per illam illum acceptet ad præmium vitæ æternæ; sed per veniale non excluditur homo à vita æterna: ergo, &c. Probatur secundo: charitas magis vnit hominem cum Deo, quā veniale separet: ergo idem quod prius.

15 *Dices* Nec obest dicere: remissio peccati venialis in homine iusto est opus Divinæ misericordiæ: ergo nequit purus homo condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali. Antecedens patet primo: ex oratione Dominica: *dimitte nobis debita nostra*, quod non esset verum, si esset condigna satisfactio, quia debitum, quod condignè solvitur, non dimittitur, sed extinguitur. Patet secundo: quia remissio venialium dicitur à Paulo fieri gratis,

& non ex operibus. Consequentia videtur inferri.

16 *Respondeo.* Non (inquam) obest; respondeo namque distinguendo antecedens: remissio peccati venialis in homine iusto est opus misericordiæ, & gratiæ in radice concedo antecedens; est opus specialis misericordiæ, & specialis gratiæ nego antecedens, & hac distinctione distinguitur antecedens secūdæ probationis. Itaque remissio venialiū dicitur opus misericordiæ, & gratiæ in radice, quia iustificatio, à qua provenit auxilium ad satisfaciendū, gratis confertur, siquidem de condigno non meretur. Non dicitur opus specialis gratiæ, quia tale auxilium est debitum homini iusto.

17 *Retorqueo.* Deniquè retorqueo argumentum: quod remissio peccatorum venialiū sit gratia in radice, non tollit, quod sit pro illis condigna, & æqualis satisfactio: ergo nec tollit, quod purus homo possit pro illis condigne, & ad æqualitatē satisfacere. Probatur antecedens: quod gloria collata iusto dicatur gratia in radice, non tollit, quod illā mereatur de cōdigno: ergo paritèr: quod remissio peccatorum venialium sit gratia in radice, nō tollit, quod sit pro illis condigna, & æqualis satisfactio.

18 *6. Notabile* Sexto supponendum est vt certum: posse purum hominem cum auxilio supernaturali satisfacere imperfectè pro peccato mortali. Hoc ex D. Augustino docuit Scotus *in 4. distinct. 15. quæst. 1. artic. 2.* ex quo apparet, quam ineptè Magister Araujo *cit.* ab Ill. Godoy in præsenti *num. 2.* hoc idem supponente; citet Scotum pro opposita sententia. Probatur tamen brebitèr suppositio: contritio est actus supernaturalis, & retractatio peccati, hominemque, quantum est ex parte sui, convertit ad Deum, cui restituit honorē, & obedientiā, eliciturque animo satisfaciendi, & est dispositio ad gratiam iustificantem: ergo est saltim imperfecta satisfactio.

19 *7. Notabile* Denique supponendum est id, in quo omnes conveniunt, scilicèt, quod hic purus homo haberet plenitudinē gratiæ, & alia dona supernaturalia, quæ Christus habuit, excepta sola vnione hypostatica. Conveniunt etiam: nullam puram creaturam posse de facto mereri alteri de condigno auxilia, neque gratiam habitualem. Conveniunt item: posse mereri alteri de congruo primam gratiam, & iustificationem, vt Stephanus meruit gratiam D. Paulo, & claret ex *num. antec.* Conveniunt deniquè: nullam puram creaturam etiam de potentia absoluta potuisse exhibere satisfactionem omninò æquivalentem satisfactioni Christi, quia hæc ratione personæ est infiniti valoris (modo explicando *disp. seq.*) quod non reperiretur in satisfactione purę creaturę, imò nec esse superabundans, vti est Christi satisfactio.

Sensus igitur quæstionis est: an pura creatura, supposita in ipsa gratiæ plenitudine, quam Christus habuit, potuerit satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro peccato mortali, sivè proprio, sivè alieno? Qua in re duplicem reperio ad meum intentum oppositam sententiam. Prima docet: puram creaturam, quantacumque gratia exornatam, non posse condignam satisfactionem exhibere pro peccato mortali, sivè proprio, sivè alieno. Sic Ill. Godoy *num. 3. & 40.* Secunda sententia asserit: posse puram creaturam, gratia supradicta exornatam, condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali alieno; licèt non pro proprio. Sic Scotus *in 3. dist. 20. §. contra illud, quod dicit. Et in 4. dist. 15. quæst. 1. artic. 2.* cum quo, & ego. Proquo. Sit.

20 *Status quæstionis apperitur.*

1. *Sententia.*

Ill. Godoy.

2. *Sententia.*

Scotus.

§. II.

Statuitur prima conclusio.

21 1. *Conclusio* PRima conclusio: *Non potest pura creatura quantacumque gratia exornata exhibere pro suo peccato mortali condignam satisfactionem.* Sic Scotus citatus, & cum Doctore Angelico Ill. Godoy *num. 3.* Licèt autem in hac conclusione ab Ill. Godoy non dissentiamus, dissentimus tamen ab aliquibus Scotistis, præsertim à Patre Mastrio, qui *in 3. disp. 4. artic. 3. num. 235.* oppositum defendit, & Scotum in suum faborem allegat. Sed nos ab Scoto non recedere, quin potius cum illius mente procedere, declarabimus in quæstionibus selectis, tot à nobis promissis.

Nunc autem contra Ill. Godoy procedendo. Sit.

§. III.

Quid sit de peccato alieno dicendum.

22 2. *Cõclusio.* SEcunda conclusio: *Pura creatura in suprà dicta gratia constituta potest condigne, & ad æqualitatem satisfacere pro culpa mortali aliena.* Sic Scotus *cit. n.* 20. Est que contra III. Godoy *n.* 40. Licet autem in hac conclusione omnes Scotistæ cõveniant; tamè in ratione illius reddenda maximè discrepant, ideoque infirmas referemus, & refellemus ante quam efficacem rationem pro nostra sententia tradamus.

23 1. *Ratio Scotistarum.* Primo sic passim Scotistæ plures conclusionem probant: tota ratio meriti, vel saltim principalis provenit ex Divina acceptatione; sed potest Deus acceptare opera puri hominis, sicut acceptavit opera Christi; nam in hoc nulla est implicantia: ergo potest pura creatura condignè, & ad æqualitatẽ satisfacere pro culpa mortali aliena.

24 *Reijcitur.* Reijcitur tamen hæc probatio: nam hæc ratio supponit falsum, & nimis probat: ergo ruit. Probatur prima pars antecedentis: hæc ratio supponit: totam rationem meriti, vel satisfactionis procedere à Divina acceptatione; sed hoc est falsum: ergo falsum supponit. *Minor probatur 1.* Probatur minor primo: Divina acceptatio non tribuit operi condignitatem, quam ex se, seu in actu primo opus non habet; nec potest facere æquale id, quod secundum se æquale non est: ergo nec reddit satisfactionẽ puræ creaturæ condignam, & æqualẽ gravitati offensæ: ergo falsum est, totam rationem meriti, vel satisfactionis procedere à Divina acceptatione. *Secundo.* Probatur secundo eadem minor, & simul secunda pars antecedẽtis: si ratio meriti ex divina acceptatione totaliter proveniret, probaret prædicta ratio: puram creaturam in statu puræ naturæ, & per opera merè naturalia potuisse de cõdigno satisfacere pro alienis peccatis; sed hoc est falsum: ergo prædicta ratio, & supponit falsum, & nimis probat. Maior videtur certa, nã opera merè naturalia potuisset Deus acceptare, sicut acceptavit opera Christi; quia in hoc nulla est (vt ipsi dicunt) implicantia. Minor claret: alioquin superflue supponeret Scotus, quod talis homo sit in gratia constitutus, & caput hominum in ordine gratiæ. Consequentia infertur.

25 *Tertio.* Probatur tertio dicta minor: si ratio meriti ex Divina acceptatione totaliter proveniret, probaret etiam: potuisse puram creaturam satisfacere superabundanter, sicut ipse Christus; sed hoc est falsum: ergo falsum est, totam rationem meriti, vel satisfactionis procedere à Divina acceptatione. Maior patet: nam potuisset Deus eius opera acceptare omnino, sicut opera Christi. Minor claret: quia Scotus cõcedit: nullam puram creaturam potuisse satisfacere superabundanter, sicut Christus, quia saltem eius opera non haberent condignitatem, quæ in Christo desumitur à supposito Divino. Consequentia est optima.

26 2. *Ratio Scotistarum.* Secundo sic alij Scotistæ conclusionem probant: peccatum mortale non est propriè iniuria contra Deum; sed vbi non intervenit propriè iniuria, aut iniustitia, non exigitur satisfactio æqualis, per compensationem: ergo potest pura creatura condignè, ad æqualitatem satisfacere pro culpa mortali aliena. Maior patet: quia nihil boni re vera Deo auffert peccatũ, nec Deus potest patì damnum in honore à creatura. Minor probatur: nam quia transgressio legis humanæ non censetur iniuria propria respectu humani legislatoris, non tenetur transgressor honorem ei restituere, aut aliam satisfactionẽ exhibere, nisi pœnam impositam: ergo vbi non intervenit propriè iniuria, aut iniustitia, non exigitur satisfactio æqualis per compensationem.

27 *Reijcitur.* Sed hæc ratio nihil valet: nam falsum est, peccatum non esse propriam, & specialem iniuriam Dei, & contra iustitiam, vt tenent communiter Scotistæ cum Scoto *in 4. dist. 14. quæst. 2.* Vnde licèt peccatum Deo nihil auferat de bonis intrinsecis, auffert tamen de extrinsecis, scilicèt, de gloria, honore, & cultu ipsi à nobis debito, quod sufficit, vt dicatur vera læsio contra iustitiam propriè dictam, ideoque exigit à nobis satisfactionem ex iustitia. Deinde probat: creaturam de facto posse satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro peccato. Imo & quod de potentia Dei possit superabundanter satisfacere, quod est contra omnes.

28

3. *Ratio Scotistarum.*

Tertio probat Faber destruendo fundamentum adversariorū hoc modo: iniuria, & satisfactio non crescunt in gravitate, & valore ex dignitate personæ offensæ, & satisfacientis: ergo potest pura creatura cōdignè satisfacere pro culpa mortali aliena. Antecedens probat primo ex Aristotele 5. *Ethic. cap.* 4. docente: quod in commutativa iustitia, sivè correctiva non attenditur ratio personarū, sed quantitas rei ad rē: ergo iniuria, & satisfactio non crescunt in gravitate, & valore ex dignitate personæ offensæ, & satisfacientis. Probat secundo exemplis: nam si quis æqualē pecuniam furetur, sivè Regi, sivè Plebeio, æquale prorsus facit offensam. Item: si quis Regi rapiat centū, sivè sit nobilis, sivè ignobilis, perfectè satisfacit restituendo centū. Denique: quicumque dicat contra Regē falsum testimoniū, perfectè satisfacit, si illud retractet, dicendo: se esse mentitum: ergo iniuria, & satisfactio non crescūt in gravitate, & valore ex dignitate personæ offensæ, & satisfacientis.

29

Reijcitur.

Hæc tamen probatio Fabri falsa est iuxta commune omnium prudentum iudicium; nam licet offensa purè realis, quæ absolutè dicitur iniustitiæ, & constituit inæqualitatem in bonis externis, vt in pecunia, non crescat ex dignitate personæ, cui fit iniuria, sed ex quantitate, & qualitate rei ablatæ, vt probant exempla Fabri; tamen offensa, vel iniuria personalis, quæ absolutè significatur nomine *offensæ, & iniuriæ*, & consistit in contemptu, & irreverentia personę, negari nequit, quod crescat ex dignitate personæ. Eodem modo de satisfactione est discurrēdū.

30

Si enim satisfactio sit pro iniuria reali, nō decrescit ex vilitate personæ satisfacientis, vt probant exempla Fabri, quia in ea solum attenditur æqualitas rei ad rem: at si satisfactio sit iniuriæ personalis, de qua in præsenti est sermo, crescit ex dignitate personę, & ex eiusdem vilitate minuitur, quia attenditur penès qualitatem personæ satisfacientis. Vnde iniuria facta Regi propter maiorem dignitatem maior censetur, qua Plebeio facta. Denique ratio Fabri probat: puram creaturam de facto posse de cōdigno, & ad æqualitatem satisfacere, vt ex ipsa manifestè apparet, & ex exemplis ab eo adductis est notorium. Vnde ratione Fabri, vt ab ipso efformatur, & exemplis ab ipso traditis, vt ab ipso traduntur, fiat contra ipsum retorsiones.

Retorqueo.

31

4. *Ratio.*

Quarto probat Gallus destruendo alia via fundamentum adversariorum hoc modo: satisfactio solum crescit, & decrescit ex dignitate, & vilitate personæ, quando persona se creditori submittit satisfaciendo; sed persona Verbi non poterat se sibi submittere, nec Patri, nec Spiritui Sancto, quia non est illis inferior: ergo Christi satisfactio non crescit ex dignitate personæ: ergo potest pura creatura condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali alieno.

32

Reijcitur.

Sed hæc ratio etiam est falsa: nam licèt verum sit, personam Verbi se Patri non subiecisse, quia vt sic non est illi inferior, sed æqualis; tamen omnes fatentur, Christum, vt hominem Deum fuisse illi subiectum, quod sufficit, vt Christi satisfactio per humanitatem exhibita crescceret ex dignitate personæ eam sustentantis. Deinde: Christi satisfactio iuxta hunc authorem non crescit ex dignitate personæ: ergo omnis dignitas reperta in Christi sati factione, reperiri potest in pura creatura in tali gratia constituta, vt in præsenti supponitur, & dictum manet *num.* 19: ergo potest pura creatura superabundantèr satisfacere, sicut Christus, quod cum omnibus debet negare. Consequentia claret: quia circunscripta dignitate à persona proveniente, omnis dignitas in Christi satisfactione reperta, reperiri valet in tali pura creatura.

33

5. *Ratio.*

Denique sic alij probant conclusionem prædictam: eliciens actum Charitatis reddit Deo tantum honorem, quantum ab eo abstulit per peccatum mortale: ergo condignè, & ad æqualitatem satisfacit. Probatur antecedens: homo per peccatum mortale abstulit à Deo rationem vltimi finis quoad affectum, illam constituendo affectivè in creatura; sed eliciens actū Charitatis reddit Deo rationem vltimi finis quoad affectum, illam auferens à creatura: ergo eliciens actum Charitatis reddit Deo tantum honorem, quantum ab eo abstulit per peccatum mortale.

Hanc rationem infringit Ill. Go-

34

Respondet Ill. Godoy.

doy *num.* 30. ad ipsamque respondet: duplicem esse satisfactionem. Alterã pro re ablata, quæ vocari potest restitutio. Alteram pro illata iniuria, quæ vocatur propriè satisfactio. Ad primã sufficit redditio æquivalentis, v. g. vt ille, qui centum abstulit, centum reddat. Ad secundam requiritur æqualitas valoris obsequij ad gravitatem iniuriæ in morali æstimatione. Vnde si Plebeius centum per rapinam auferret à Rege, centum restituens Regi, satisfaceret pro re ablata; non tamen pro iniuria regi per rapinam irrogata, quantumcumque se Regi humiliaret; quia illius humiliatio, & subiectio in ratione obsequij non adæquat gravitatem iniuriæ, quam Regi per rapinam irrogavit in morali æstimatione. Quia ergo, etsi actus charitatis affectivè reddat Deo totum, quod affectivè ab illo abstulit peccatũ mortale; non tamẽ est valoris æqualis in ratione satisfactionis & obsequij actus affectivè dans cum gravitate actus affectivè tollentis; fit consequẽs, quod licèt actus charitatis fortè possit veluti sufficiens restitutio; non tamen queat dici sufficiens, & æqualis satisfactio.

Et ex his in forma ad argumentum respondet distinguẽdo maiorẽ: si reddat totũ, quod abstulit actu adæquante in valore gravitatẽ offensæ concedit maiorem; actu non adæquante offensæ gravitatem negat maiorem, & sub eadem distinctione minoris negat cõsequentiam; nam ad condignam satisfactionem requiritur æqualitas valoris obsequij ad gravitatem iniuriæ.

35 *Contra.*

Sed contra: ergo eliciens actũ charitatis reddit Deo tantum honorem, quãtũ ab eo abstulit per peccatũ, licet actu non adæquante: ergo cõdignè satisfacit. Probatur hæc consequẽtia: ad condignã satisfactionẽ præcisè requiritur, quod tantum honoris reddatur, quantu fuit ablatũ; sed per te eliciens actũ charitatis reddit Deo tantũ honorẽ, quantũ ab eo abstulit per peccatũ, licèt actu non adæquante: ergo satisfacit condignè. Probatur maior: ad condignã restitutionẽ præcisè requiritur, quod tantũ pecuniæ reddatur, quantũ fuit ablatum: ergo similitèr. Probatur consequentia: quod est restitutio in pecunijs, est satisfactio in honore; sed per te ad condignam restitutionẽ præcisè requiritur, quod tantum pecuniæ reddatur, quantu fuit ablatũ: ergo idẽ requiritur præcisè ad condignã satisfactionem. Maior est ipsius Ill Godoy *cit. n.* 66. quam sic probat: satisfactio, & restitutio servant easdem leges in materia diversa, & vtrãmq; propositionẽ concedit *n.* 70. & vltra ipsam ego probo: restitutio vt sic est redditio pecuniæ ablatæ; sed satisfactio vt sic est redditio honoris ablati: ergo quod est restitutio in pecunijs, est satisfactio in honore. Item: quidquid verificatur de restitutione in pecunijs, verificatur de satisfactione in honore: ergo idem quod anteà.

Ob hoc itaque videtur: prædictam rationẽ habere vim ad hominẽ contra Ill. Godoy concedentẽ prædictã propositionem. Cæterum Scotistæ hac vtente ratione multum probant; quia probant: quemlibet hominem posse condignè satisfacere, imò de facto. Vnde solutioni traditæ acquiesco, & ad replicam distinguo vltimã maiorem: quod est restitutio in pecunijs, est satisfactio in honore sine alio addito nego maiorẽ; cũ aliquo addito, scilicèt, actu adæquante concedo maiorem; concedo minorẽ, & nego consequentiam ob rationẽ ab Ill. Godoy traditã.

36 *Reijcitur 5. ratio.*

§. IV.

Ratione fundamentali probatur nostra conclusio.

37 *Ratione fundamentali prob. cõclus.*

MIssis igitur his argumentandi modis probanda est nostra cõclusio ratione fundamentali, quam ad hanc formam reduco: peccatum est simplicitèr, & absolutè in gravitate finitum: ergo potest Deus tantam gratiam puro homini tribuere, vt eius satisfactio adæquet offensam per peccatum Deo illatam; ergo potest pura creatura condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali alieno. Consequentiæ sunt legitimæ. Antecedens verò, in quo est difficultas, est opinio Scoti, quam contra Ill. Godoy exprofesso firmavimus disputatione antecedenti; nunc autem brebitèr probatur primo: licet peccatum crescat ex dignitate personæ offensæ, non tamen sola persona offensa concurrit ad gravitatẽ offensæ, sed simul cũ gravitate materiæ, & defectu considerationis; sed gravitas materiæ in-

Antecedens probatur 1.

æqua-

æqualis est, sicut species peccatorum sunt inæquales; & defectus cognitionis in omni peccato mortali invenitur: ergo nequit esse simpliciter infinitum in gravitate.

38 *Probatur 2.* Probatur secundo idē antecedens: peccatum non crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ, sed geometricè: ergo non est simpliciter infinitum. Consequentia claret; nam augmentum arithmeticè est tantum crescere, quantum est dignitas personæ offensæ; geometricè verò est tantum crescere secundū proportionem; sed peccatum non crescit arithmeticè ad dignitatem personæ offensæ, sed geometricè: ergo non crescit tantū, quantum est dignitas personæ offensæ; sed hæc ad summum est simpliciter infinita: ergo non crescit vsque ad infinitatem simpliciter: ergo peccatum non est simpliciter infinitum.

39 Hanc rationem in præsenti sibi non obiecit Ill. Godoy, & merito, quia *disp. antec.* latè, & ex professo de ipsa disputavit; sed sicut hoc non obstante supponit in præsenti gravitatē offensæ esse infinitam simpliciter, vt ex hoc deducat impossibilitate in pura creatura ad condignam, & æqualem satisfactionem exhibendam; ita nos finitatem simpliciter illius supponimus, ad inferendam possibilitate in pura creatura ad prædictam satisfactionem reddendam. Sunt tamen Authores, qui licèt nobiscum conveniant in eo, quod peccatum in ratione offensæ non sit simpliciter infinitū, à nobis discedunt in possibilitate condignæ satisfactionis à pura creatura exhibendæ; quare litigio cum Ill. Godoy concluso, quod erit, intentum habere adimpletum, licebit rationes horū authorū proponere, & solvere, vt firma maneat Scoti sententia. De hoc infrà. Nunc autem.

§. V.

Rationibus specialibus probatur nostra conclusio.

40 *Probat 1. specialiter.* PRobatur primo conclusio specialiter: Deus qui fuit per peccatum offensus, exigit à nobis pro peccato condignam satisfactionem: ergo potuit purus homo condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali alieno. *Antecedens patet 1.* Antecedens patet. Primo: nam peccatum includit rationem iniustitiæ strictè sumptæ contra Deum: ergo peccans manet obligatus ex iustitia ad satisfaciendum Deo pro peccato: ergo Deus exigit à nobis condignam satisfactionem. *Secundo.* Patet secundo: Deus, vt offensus exigit pro offensa condignam satisfactionē: ergo illam exigit à nobis. Claret consequentia: nam nulla persona offensa potest exigere satisfactionem, nisi à persona offendente; sed nos sumus offendentes; ergo à nobis exigit condignam satisfactionem. *Tertio.* Tertio: satisfactio solum potest exigi ab obligato ad satisfaciendum; sed nos solum sumus obligati: ergo à nobis exigit condignam satisfactionem. *Quarto.* Quarto: nam peccator ex iustitia tenetur ad satisfaciendū. *Consequētia probatur.* Probatur iam consequētia: si purus homo non potuisset condigne satisfacere pro peccato, Deus irrationabiliter operaretur, exigens à nobis condignā satisfactionem; sed hoc non est dicendum: ergo purus homo potest condigne satisfacere pro peccato. Probatur maior: exigere impossibile, est irrationabiliter operari: ergo, &c.

41 *Probat. 2. concl.* Probatur secundo conclusio: satisfactio purè condigna pro peccato mortali est possibilis: ergo à puro homine exhiberi valet. *Antecedens patet 1.* Antecedens patet. Primo: quia possibilis est pro peccato mortali satisfactio æqualis æqualitate quantitativa; sed hæc est satisfactio purè condigna: ergo est possibilis. *Secundo.* Secundo: satisfactio perfecta pro peccato mortali est possibilis; sed satisfactio purè condigna est perfecta satisfactio: ergo est possibilis. *Tertio.* Maior claret: alioquin quæstio esset de subiecto non supponente. *Quarto.* Tertio: quia alioquin esset peccatum, ad quod repugnaret satisfactio purè condigna, quod videtur dissonum. Quarto: nam alioquin idem esset asserere: purū hominem non posse condigne satisfacere pro peccato mortali, ac asserere: satisfactionem purè condignā pro peccato mortali repugnare, quod non est consonū. Verū igitur est antecedens.

42 *Consequētia probatur.* Nunc autem probatur consequentia: per te satisfactio purè condigna pro peccato mortali est possibilis; sed ab homine non puro exhiberi non valet: ergo à puro homine valet exhiberi. Probatur minor: ab homine non puro exhiberi non valet satisfactio,

quæ ſuperabundans non ſit; ſed ſatisfactio purè condigna non eſt ſuperabundans: ergo ſatisfactio purè condigna exhiberi non valet ab homine non puro. Maior eſt Thomiſtarū aſſerentium: ſatisfactionē Chriſti eſſe ab intrinſeco ſuperabundantem, quia valor ipius fundatur in vnione phiſica cum perſona Verbi; gravitas verò offenſæ fundatur in vnione affectiva cū Divina Maieſtate offenſa, vt habet Ill. Godoy *diſput. 4. §. 5 n. 36.* Minor ex ſe claret. Conſequētia legitimè infertur.

43 *Prob. 3. ad hominē contra Ill. Godoy.*

Tertio probatur concluſio ad hominem contra Ill. Godoy: ex eo præciſe, quod repugnet: ſatisfactionē puri hominis adæquare in valore ſatisfactionem hominis Dei, non infertur legitimè: repugnare ſatisfactionē puri hominis pro peccato mortali condignam; ſed iuxta Ill. Godoy *n. 41. in fine*, hac ratione repugnat: ergo poteſt purus homo condignè ſatisfacere pro peccato mortali. Minor patet: ſic enim *n. cit.* probat ſuam concluſionē: nullius puræ creaturæ ſatisfactio poteſt adæquare in valore, & morali eſtimatione ſatisfactionem præſtitam ab homine Deo, quia inter puram creaturam, & hominem Deum eſt infinita diſtantia: ergo propter infinitam diſtantiam inter perſonam creatam, aut creabilem ſatisfacientē, & maieſtatē Divinam per peccatū gravitèr offenſam nullius creaturæ poſsibilis ſatisfactio adæquare poterit in valore, & morali æſtimatione gravitatē offenſæ Divinæ. Maior autem, in qua poteſt eſſe difficultas, probatur: ex eo præciſè, quod repugnet, ſatisfactionem puri hominis adæquare in valore ſatisfactionem hominis Dei, ſolum infertur legitimè: repugnare ſatisfactionē puri hominis ſuperabundantē; nam hęc eſt ſatisfactio hominis Dei: ergo, &c.

44 *Probat. 4. concluſio.*

Probatur quarto concluſio ommitēdo opinionē Ill. Godoy de infinitate peccati: etſi peccatum ſit ſimplicitèr infinitum, ſatisfactio finita poteſt eſſe condigna: ergo poteſt purus homo condignè ſatisfacere Probatur antecedēs: etſi peccatum ſit ſimplicitèr infinitū, ſatisfactio non pluſquàm ſimplicitèr infinita poteſt eſſe ſuperabundans ſatisfactio: ergo, &c. Patet antecedens in ſatisfactione Chriſti. Conſequentia probatur: non minus ſatisfactio ſuperabundans ad peccatum ſimpliciter infinitum dicit exceſſum ad infinitatem ſimplicitèr peccati, ac peccatum ſimplicitèr infinitum dicit exceſſum ad ſatisfactionem finitā; ſed illo exceſſu non obſtante, per te etſi peccatum ſit ſimplicitèr infinitum, ſatisfactio non pluſquàm ſimplicitèr infinita poteſt eſſe ſuperabundans ſatisfactio: ergo hoc non obſtante, etſi peccatum ſit ſimplicitèr infinitum, ſatisfactio finita poteſt eſſe condigna.

45 *Probat. 5. concluſio.*

Quinto probatur concluſio contra Authores admittentes: peccatum non eſſe ſimplicitèr infinitum, & adhuc negantes: poſſe puram creaturam condignè ad æqualitatem ſatisfacere pro peccato mortali. admiſſo, quod peccatum non ſit ſimplicitèr infinitum in ratione offenſæ, poteſt purus homo condignè pro illo ſatisfacere; ſed hoc admittitur ab authoribus, cōtra quos nunc arguo: ergo poteſt purus homo condignè, & ad æqualitem ſatisfacere pro peccato mortali. Probatur maior primo: peccatum non eſt ſuperioris ordinis ad omnem ſatisfactionē puri hominis: ergo, &c. Conſequentia eſt legitima: nam admiſſo, quod peccatū in ratione offenſæ non ſit ſimplicitèr infinitum, nulla alia ratio aſsignari poteſt pro impoſsibilitate condignæ ſatisfactionis à pura creatura exhibendæ, niſi ſuperioritas ordinis, nec alia ab his Authoribus aſsignatur. Antecedens autem probatur primo: nam ex eo, quod Dei maieſtas iniuriata per peccatum mortale ſit ſimplicitèr infinita, non ſequitur in ſententia horum authorum, quod offenſa ſit infinita, quia cognitio, & modus tendendi actus offenſivi in obiectum ſuperioris ordinis non ſunt ad modum tendendi actus ſatisfactorij, & ad cognitionem illum regulantem: ergo peccatū non eſt ſuperioris ordinis ad omnem ſatisfactionem puri hominis.

Antecedens probatur 1.

46 *Secundo.*

Probatur ſecundo idē antecedens: licet offenſa contra Deum commiſſa ſuperioris ordinis ſit ad omnes offenſas irrogatas creaturis; non tamen eſſe poteſt ſuperioris ordinis ad omnes actus ſatisfactorios puræ creaturæ poſſibiles, niſi offenſa conſtituatur ſimpliciter infinita: ergo hoc negato, vt prædicti Authores negant, non poteſt incompenſabilis condignè à pura crea-

turæ

tura defendi ratione superioritatis in ordine ad dignitatem omnis satisfactionis possibilis puræ creaturæ. Consequentia probatione non eget. Antecedens probatur: nam offensa peccati mortalis non est ordinis Divini per essentiam, nec per communicationem Divinitatis, vt formæ, se ipsa gravitatem offensæ præstantis, alias esset infinita simpliciter: ergo solum est ordinis Divini obiectivè, quatenùs terminatur ad Deum, & participativè, seù derivativè intrinsicè, gravitate derivata à maiestate Divina iniuriata per peccatum; sed etiam actus charitatis est ordinis Divini obiectivè; terminatur namque ad Deum, vt ad obiectum, participativèque, & derivativè intrinsicè; perfectio namque, & dignitas actus charitatis ordinis Divini per participationē est: ergo, &c.

47 *Prob. denique conclusio.*

Denique probatur conclusio contra Authores prædictos: nam etsi peccatum sit superioris ordinis respectu satisfactionis, potest purus homo pro illo condignè satisfacere, admisso, quod peccatū non sit simpliciter infinitum in ratione offensæ: ergo hoc admisso potest purus homo condignè pro illo satisfactionem exhibere. Consequentia est legitima. Antecedens probatur primo paritate peccati venialis, quod licet sit superioris ordinis, potest à puro homine condignè satisfieri, vt admittunt contrarij. Probatur secundo: licet res inferioris ordinis æquare non valeat phisicè rē superioris ordinis; æquare tamen potest in æstimatione morali: ergo, &c. Probatur antecedens: etsi argentum æquare non valeat phisicè aurum; æquare tamen potest in æstimatione morali; quia sexdecim vntiæ argenti adæquant in æstimatione morali vnicam vntiam auri; sed argentū est inferioris ordinis respectu auri: ergo, &c.

48 *Probatio quædam.*

Cæterum non prætermittam argumentum, quod cuidam Doctori Thomistico aliquando proposui, deducto ex vna conclusione, quam inter alias habebat. Hæc erat conclusio: *Necesse fuit Deum carnem assumere, vt homo à culpa liberaretur condigna satisfactione, quæ necessitas non de necessitate absoluta, & simpliciter intelligenda est, sed de necessitate secundum quid, & vt medium conuenientius.* Ex hac itaque conclusione sic argumentū efformavi: quando aliquod medium respectu consecutionis finis non est simpliciter, & absolutè necessarium, sed tantum secundum quid, & convenientius, sine illo potest absolutè, & simpliciter finis consequi; sed vt homo à culpa liberaretur condigna satisfactione, Incarnatio est medium non simpliciter, & absolutè necessarium, sed tantum secundū quid, & convenientius: ergo sine Incarnatione potest absolutè, & simpliciter homo liberari à culpa condigna satisfactione: ergo à puro homine exhibenda: ergo pura creatura potest condignè satisfacere pro peccato mortali.

Maior est apud omnes manifesta, & claret primo: in equo ad iter faciēdum. Secundo in Incarnatione respectu reparationis hominis à peccato, supposito, quod Deus posset eum liberare à peccato purè misericorditer illud condonando, & nullam exigendo satisfactionem. Tertio: in Incarnatione ad merendum condignè remissionem peccati mortalis, & ad condignè satisfaciendum pro peccato veniali; quia vtrumque potest à puro homine præstari, vt habet Ill. Godoy *num.* 91. Minor est opinio Doctoris, contra quem ad hominem arguo. Prima consequentia legitima est. Secunda probatur: per te potest homo absolutè liberari à peccato condigna satisfactione, etsi Incarnatio non esset; sed hæc satisfactio non præstaretur ab homine Deo, quia Incarnatio non esset: ergo à puro homine: ergo à puro homine exhibenda.

§. VI.

Argumento Ill. Godoy ex Patribus deducto occurritur.

49 *Arguit Ill. Godoy. ex PP.*

ILl. Godoy *num.* 40. arguit authoritate Patrum, ex insufficientia puræ creaturæ ad satisfaciendum condignè pro peccato humani generis inferentium ad hunc finem necessitatem Incarnationis. Ita ex Græcis Athanasius *in Evangelium de Passione, & Cruce Domini.* Basilius *in illud Psalmi 28. redimit homo.* Cyrillus *Epist. 1. de Incarnatione Verbi*, quæ habetur *tom. 6. Concilij Ephesini cap. 17.* Procolus *in homil. de Christi Nativitate*, quæ est in eodem tomo Concilij Ephesini *cap. 7.* Ex latinis

Cyprianus *Serm. de Paſsione Chriſti*, non longe à medio. Leo Papa Primus *Sermon. 1. de Nativitate*. Hyrineus *lib. 3. adverſus hæreſes cap. 20.* Fulgentius *lib. de Incarnat. & Gratia Domini noſtri cap. 4.*

50 *Authoritates aſsignãtur.*

Et licet nullam ex prædictis Patribus authoritatem declaret, pro illo tamen aliqua, quæ aſſerere videntur puram creaturam de condigno non poſſe ſatisfacere pro peccato, à nobis declarantur. Primo enim Ambroſ. *in cap. 9. ad Hebreos* ait: *tantum fuit peccatum noſtrum, niſi vnigenitus filius Dei pro nobis moreretur*. Baſilius *in Pſalm. 48. non item hominem nudum, ſed hominem Deum Ieſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus propitiationem dare poteſt Deo*. Leo Papa *Serm. 1. de Nativit. Domini: Si non eſſet verus Deus, non afferret remedium*. Sic etiam ex inſtituto diſcurrit D. Anſelmus *lib. Cur Deus homo*.

51 *Ratio formatur.*

Hęc, & alia ſunt teſtimonia à pluribus congregata, ex quibus formatur contra noſtram concluſionem argumentum hoc modo: ſi pura creatura potuit ſatisfacere ad ęqualitatem pro peccatis omnium hominum, gratis certè, & ſine vrgenti neceſsitate Deus fuiſſet factus homo; ſed hoc eſt contra Patres, & Apoſtolum *ad Galatas 2. Si enim per legem iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt*: ergo pura creatura nequit condignè, & ad ęqualitatem ſatisfacere pro peccato mortali alieno.

52 *Reſpõdeo 1.*

Reſpondeo primo: Patres loqui de homine peccatore, de quo non eſt quæſtio, quia ex dictis *num. 19* homo ille ſupponitur iuſtus, innocens, à Deo creatus, in pacto Dei cum Adamo nõ incluſus, & habens omnia, quæ Chriſtus habuit, excepta vnione hypoſtatica. Secundo: loqui de facto, & ſuppoſito Dei decreto de Incarnatione Verbi, in quo includitur, quod Deus nollet acceptare ſatisfactionem puræ creaturæ. *Secundo.*

53 *Tertio.*

Reſpondeo tertio: prædicta teſtimonia eſſe etiam contra Ill. Godoy; nam quædam ex illis non ſolum dicunt: nos non niſi per Chriſtum redimi potuiſſe; ſed etiam, quod non niſi per mortem eius; atqui iuxtà Ill. Godoy mors Chriſti neceſſaria non fuit de potentia Dei abſoluta, quia etiam iuxtà illum potuit alijs actionibus meritorijs vltrà mortem pro nobis ſatisfacere: ergo prædicta teſtimonia militant contra factorem argumenti.

54 *Quarto.*

Reſpondeo quarto: alia eſſe teſtimonia pro noſtra concluſione, vt claret ex D. Auguſt. *lib. 3. de Trinitate cap. 10.* dicente: *Non defuiſſe Deo alium modum poſsibilem reparandi genus humanum. Et libro de Agone Chriſti cap. 11* ait: *Stulti ſunt, qui dicunt, non poterat aliter ſapientia Dei hominem liberare, niſi ſuſcipere hominẽ.* Quid clarius! Optimè ergo ſoluta manent prædicta teſtimonia, præſertim reſponſione ſecunda.

55 *Reſpond. ad argum. formatum.*

Ad argumentum formatum reſpondeo primo negando maiorem: quia vt gratis non dicatur Chriſtus pro nobis mortuus, non requiritur, quod eius Incarnatio, & Paſsio fuerit abſolutè neceſſaria; ſed ſufficit, quod ex omnibus modis poſsibilibus hominem redimendi, hic eſſet convenientior. *Primo.* Reſpondeo ſecundo retorquendo argumentum: quod Deus factus ſit homo ad condignè ſatisfaciendum pro peccatis, non infert, puram creaturam non poſſe condignè ſatisfacere: ergo ruit argumentum. Probatur antecedens: quod Deus factus ſit homo ad condignè ſatisfaciendum, non infert, Incarnationem eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariam ad condignam pro peccatis ſatisfactionem: ergo nec inferre, puram creaturam non poſſe condignè ſatisfacere. Probatur antecedens: quod Chriſtus per ſuam mortem condignè pro peccatis ſatisfeciſſet, non infert: mortem Chriſti eſſe abſolutè, & ſimpliciter neceſſariam ad condignè ſatisfaciendum, vt manet dictum: ergo, &c. *Secundo retorqueo.*

§. VII.

Solvitur argumentum Ill. Godoy à ratione.

56 *Arguit à ratione.*

RAtione autem arguit contra noſtram concluſionem Ill. Godoy *num. 41.* etenim ſatisfactio condigna adæquari debet cum gravitate offenſæ in morali æſtimatione, cum per hoc diſtinguatur à ſatisfactione imperfecta, ſicut meritum condignum diſtinguitur à merito congruo per æqualitatem in morali æſtimatione cum præmio, quæ merito congruo non competit, bene tamen merito condigno; ſed nullus actus hominis iuſti, quanta cumque gratia exhornati, poteſt adæquare in valore, & mo-

rali

rali æstimatione gravitatem offensæ mortalis, sivè propria sit, sivè aliena; ergo nulla pura creatura potest pro offensa mortali condignam offerre satisfactionem. Consecutio cum maiori tenet. Minor probatur: satisfactio cuiuscumque creaturæ est valoris, & æstimabilitatis finitæ; sed gravitas offensæ mortalis est infinita simpliciter: ergo nullus actus puræ creaturæ possibilis potest adæquare in valore, & æstimatione morali gravitatem offensæ mortalis.

57 *Confirmatur 1.* Augetur difficultas primo: nam leve obsequium nequit esse satisfactio condigna, & æqualis pro iniuria, & offensa gravi; sed omnis actus puræ creaturæ possibilis est leve obsequiū comparatum ad Deum; peccatum autem mortale est gravis offensa illius: ergo nullus actus puræ creaturæ potest esse condigna sati factio pro offensa mortali. *Confirmatur. 2.* Explicatur, & vrgetur secundo. nulla offensa irrogata creaturæ potest in ratione offensæ adæquare gravitatem offensæ Divinæ propter infinitam distantiam inter Deum, & creaturam repertam; sed inter personam satisfacientem creatam, & maiestatem Divinam offensam intercedit distantia infinita: ergo nullus actus satisfactorius præstitus à pura creatura potest adæquare in valore, & morali æstimatione gravitatem offensæ Divinæ.

Tertio. Explicatur, & vrgetur tertio: nullius puræ creaturæ satisfactio potest adæquare in valore, & morali æstimatione satisfactionē præstitam ab homine Deo, quia inter puram creaturam, & Deum hominem est infinita distantia: ergo propter infinitam distantiam inter personam creatam, aut creabilem satisfacientem, & maiestatem Divinam per peccatum gravitèr offensam, nullius creaturæ possibilis satisfactio adæquare poterit in valore, & morali æstimatione gravitatem offensæ Divinæ. Aliam pro sua conclusione probationem adducit *n.* 42. quam omitto, quia ad hominem contra Suarium procedit, vt ipse factor fatetur.

58 *Respond. 1. ad argum.* Respondeo primo ad argumentum concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationē nego etiam minorem; quia gravitas offensæ mortalis non est simpliciter infinita, vt disputatione præcedenti demonstravimus, & etiam diximus in præsenti §. 4. Nec hoc argumentum, quod est principale III. Godoy alia indiget solutione.

59 *Solvitur 1 cōf. respōd. 1.* Ad primam confirmationem respondeo primo distinguendo maiorem. obsequium leve absolutè, & respectivè nequit esse satisfactio condigna, & æqualis pro iniuria, & offensa gravi concedo maiorem; respectivè tantum nego maiorem, & distinguo minorem: est leve obsequium respectivè ad Deum ommito minorem; absolutè, & in se nego minore, & consequentiam. *Secundo.* Respondeo secundo aliter distinguendo maiorem: leve obsequium non adæquans in valore gravitatem offensæ, nequit esse satisfactio condigna, & æqualis pro iniuria, & offensa gravi concedo maiorem; adæquans nego maiorem, & distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Itaque licèt quælibet puræ creaturæ satisfactio sit obsequium leve respectivè ad Deum, vtpotè, ipsi alijs titulis debitum; tamen absolutè, simpliciter, & in se esset magnum obsequium, & ita magnum, vt infrà infinitatem esset supremum, consequenterque æquale in valore gravitatis offensæ, quæ finita est, vt diximus.

60 *Ad secundam.* Ad secundam confirmationem respondeo negando suppositum consequentis: supponit namquè, quod ad æqualem satisfactionem requiratur æqualitas personarum, quod est falsum; nam satisfactio non est ad constituendam æqualitatem inter personam offensam, & personam satisfacientem; sed inter obsequium, & iniuriam, ita vt obsequium exhibitum offenso adæquet iniuriam illatam, seu vt tantum honoris accipiat offensus ab obsequio offendentis, quantum honoris fuerat ablatum per iniuriam, quod haberi potest per satisfactionē puræ creaturæ exhibentis actus præstantissimos, & summè intensos.

61 *1. Ratio salutionis.* Ratio itaque huius est primo: in tantum dignitas personæ requiritur ad satisfactionem, in quantum dat ipsi valorem; ergo si semèl datur (persona circunscripta) valor æqualis in satisfactione respectu iniuriæ, non requiritur vlteriùs æqualitas personarum.

rum. Consequentia est optima, & clarebit ex dicendis *num. sequent.* Secundo: quia aliud requiritur ad compensationem personarum inter se, & aliud ad compensationem iniuriæ per satisfactionem; sed ad illam requiritur æqualitas personarum: ergo ad hanc requiritur æqualitas satisfactionis cum iniuria: ergo si semèl datur valor æqualis in satisfactione respectu iniuriæ, non requiritur vlterius æqualitas personarum: ergo ad satisfactionem non requiritur æqualitas personarum.

Secundo.

62 Et planè ita certum est ad satisfactionem non requiri æqualitatem inter personam offensam, & personam satisfacientem, vt si hoc esset necessarium, absque dubio sequeretur; personam in gradu inferiorem nunquam posset ad æqualitatem satisfacere personam in gradu superiorem; sed hoc est falsum: ergo ad satisfactionē non requiritur æqualitas personarū. Probatur minor: potest satisfactio inferioris hominis cum talibus circunstantijs coniungi, vt prudenti æstimatione censeatur adæquare offensam hominis superioris etiam Regis, vt si manifesto vitæ periculo se exponeret pro Rege à morte, vel captivitate liberando, aut alio insigni facinore: ergo falsum est, personam in gradu inferiorem nunquam posse ad æqualitatem satisfacere personam in gradu superiorem.

63 *Retorqueo 1.* Ex quibus retorqueo primo contra Ill. God: nulla offensa irrogata creaturæ potest in ratione offensæ adæquare gravitatē offensæ Divinæ propter infinitam distantiā inter Deum, & creaturam repertam; sed inter personam creatam satisfacientem pro peccato veniali, & maiestatem Divinam offensam intercedit distantia infinita: ergo nulla pura creatura potest ad æqualitatem satisfacere pro peccato veniali, quod est contra Ill. Godoy in præsenti *num.* 2. Retorqueo secundo: etsi peccatum sit simpliciter finitum, nulla offensa irrogata creaturæ potest in ratione offensæ adæquare gravitatem offensæ Divinæ propter infinitam distantiam inter Deum, & creaturam repertam; sed etsi peccatū sit simpliciter finitum inter personam creatam satisfacientem, & maiestatem Divinam offensam intercedit distantia infinita: ergo etsi peccatū sit simpliciter finitum, nulla pura creatura potest satisfacere ad æqualitatem pro illo, quod est contra Ill. Godoy, & omnem eius doctrinam.

Secundo.

64 *Tertio.* Retorqueo tertio: si peccatum esset in ratione offensę simpliciter finitum in genere moris, vel actus charitatis hominis iusti esset in genere moris simpliciter infinitus, homo purus posset de condigno, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali; atqui in hoc casu inter personam creatam satisfacientem, & maiestatem Divinā offensam intercederet distantia infinita: ergo distantia infinita inter personam satisfacientem, & personam iniuriatam non obest æquali, & condignæ satisfactioni pro peccato: ergo ad condignam satisfactionē pro peccato non requiritur æqualitas personarum. Maiorem, quam negat Ill. Godoy in secundo corollario, ibi à nobis probabitur, pro nunc autem sufficiat, quod in tali casu satisfactio adæquaretur cum gravitate offensæ in morali æstimatione, & consequentèr esset condigna. Minor est manifesta, & vtraque consequentia legitima.

65 *Ad 3. confirm. respō det. 1. Secundo.* Ad tertiam denique confirmationem potest primo responderi, sicut ad secundam, negando suppositum consequentis; idem enim supponit. Secūdo respondeo negando consequentiam; quia non infertur ex antecedēti legitimè; nam quod legitimè infertur ex illo est: repugnare satisfactionē puri hominis æqualem in valore, & morali æstimatione cum satisfactione præstita ab homine Deo, quod est verum, & ex hoc solum licet inferre: repugnare satisfactionem puri hominis superabundantem, vti est satisfactio hominis Dei, vt *disp.* 4. declarabimus. Imò confirmatio hæc potius, quam noceat, nobis maximè fabet, ex illa namque nostram conclusionem probavimus *num.* 43.

66 *Respondeo 2. ad argument.* Respondeo secundo ad argumentum Ill. Godoy retorquendo illud ex eo, quod multū probat, quod sic probo: argumentum probat: peccatum in ratione offensæ non posse condignè satisfieri satisfactione per se exacta à peccato; sed hoc est multum probare: ergo multum probat argumen-

tum

tum prædictum. Consequentia est evidens. Minor certa: nam peccatum cõdignè satisfieri per satisfactionem, quam peccatum per se non exigit, est probare, peccatum condignè satisfieri per satisfactionem superiorem ad illam, quam per se exigit peccatum, quod est multum probare. Maior autem probatur: peccatum in ratione offensæ solum potest satisfieri iuxtà Ill. Godoy per satisfactionem adæquatam cum gravitate offensæ in æstimatione morali; sed hanc elici à creatura repugnat, & elicita à Christo non exigitur per se à peccato: ergo, &c. Prima pars minoris est opinio hulus Doctoris. Secunda probatur: peccatum per se solũ exigere valet satisfactionẽ adæquatam cum gravitate illius, & nullo modo satisfactionem excedentem illius gravitatem in morali æstimatione; atqui satisfactio à Christo elicita excedit gravitatem peccati in morali æstimatione: ergo satisfactio elicita à Christo non exigitur per se à peccato. Minor, & consequentia tenent. Maior verò videtur notoria: nam peccatum solum exigere valet per se satisfactionem æqualem pro offensa: ergo solum per se exigere valet satisfactionem adæquatam.

§. VIII.

Argumentum ex superioritate ordinis solvitur.

67 LIcèt argumentum ex superioritate ordinis nobis in præsenti expresè non objiciat Ill. Godoy; est tamen ita proprium suæ doctrinæ, vt si illud nobis non objiciamus, intentum integrè non adimpleremus. Secundum ex primo infertur; primum autem, scilicèt, quod sit proprium doctrinæ illius, manifestum est absque dubio: nam *num.* 77. infert ex dictis in hac disputatione, quod etiam si esset dabilis gratia infinitæ intensionis, & actus ab illo eliciti infinita intensione gaudentes, adhuc per tales actus non posset pro offensa mortali satisfieri condignè. Quod non alia ratione probat, nisi quia illi actus essent inferioris ordinis ad infinitatem offensæ mortalis.

68 Ex hac igitur Ill. Godoy doctrina evidenter, & absque dubio sequitur: quod etsi peccatum esset in ratione offensæ simplicitèr finitum, adhuc in illius opinione purus homo non posset condignè, & ad æqualitatem pro peccato mortali satisfacere, eo, quod actus satisfactorius esset inferioris ordinis ad gravitatem peccati mortalis. Hoc itaque legitimè ex doctrina illius deducto, argumentum, quod implicitè in illa continetur, declaremus, & solvamus.

69 Argumentum itaque ad hanc formam reducitur: licèt gravitas peccati non sit simplicitèr infinita, nequit adæquatè compensari per satisfactionem personæ finitæ, quãtumvis Sanctæ, & Deo gratæ: ergo pura creatura nequit condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali. Probatur antecedens: vt satisfactio sit æqualis iniuriç, debet dignitas personç satisfacientis esse çqualis cum dignitate personæ offensç: sed hanc nequit habere persona quæcũque creata, quia semper infinitè distat à dignitate personæ offensæ: ergo, &c.

70 Hoc argumentum sic efformatum est valdè conforme doctrinæ Ill. Godoy, qui *num.* 41. ad probandam suam conclusionem adducit secundam, & tertiam confirmationem omninò similem argumento facto, vt videri potest in ipso, & in hac nostra disputatione *num.* 69. vbi ad litteram confirmationes prædictas transcripsimus. Respondeo ergo ad argumentum negando antecedens; ad cuius probationem nego maiorem, ob rationes datas *num.* 60 61. & 62. & retorqueo cũ dictis *num.* 63. & 64. ibi enim ostendimus: personam in gradu inferiorem posse ad æqualitatem satisfacere personam in gradu superiorem.

Respondeo ad argum. Retorqueo.

71 Dices pro Ill. Godoy contra solutionem: licèt res diversorum ordinũ finitç sint, ita se habent, vt superior nequeat ad æqualitatem compensari per res inferiores, quantumcumque crescant, & multiplicentur; sed offensa, & satisfactio puri hominis sunt res diversorum ordinum, inter quas offensa est superior, & satisfactio inferior: ergo licèt finitæ sint, nequibit offensa ad æqualitatem compensari per satisfactionem, quantumvis crescat, & multiplicetur. Consequentia est legitima. Minor certa: nam gravitas offensç sumitur ex dignitate per-

Dices pro Ill. Godoy.

sonç

sonæ offensæ, quę est Deus, ideoque in supremo ordine respectu nostrę satisfactionis, quę sumit valorem ex dignitate personę satisfacientis, quę cum sit creata, est in ordine satis infimo.

72 *Maior probatur 1. Secundo.* Maior autem probatur primo: res inferiores, quantumcumque crescant, & multiplicentur, semper remanent in ordine inferiori: ergo, &c. Probatur secundo paritate: quantumcumque crescat perfectio, & numerus animalium, nunquam adęquare potest perfectionem vnius Angeli; sed hoc non alia ratione, nisi quia Angelus est superior; animalia verò inferiora: ergo paritèr.

73 *Respondeo ad replicã.* Respondeo ad replicam distinguẽdo maiorem: licèt res diversorum ordinum finitæ sint, ita se habent, vt superior nequeat ad æqualitatem compensari per res inferiores, loquendo de phisica perfectione concedo maiorem; in æstimatione morali nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque licèt res inferior nequeat adæquare superiorẽ in phisica perfectione, vt probat exẽplum de Angelo, & cæteris animalibus; potest tamen in æstimatione morali adæquare, manendo adhuc intrà inferiorem ordinem; tum ex multiplicatione actuum: tum ex intensione illorum; tum denique ex alio capite. Cæterum, quia hæc est tota vis huius difficultatis.

74 *Roboratur exemplis.* Exemplis roboratur nostra responsio. Primo: licèt enim argentum, quãtumvis multiplicetur, nequeat adæquare perfectionem phisicam auri; tamen in æstimatione morali non solum adæquare; verum, & superare potest; nam libra argenti superat vntiam auri. Secundo: iniuria Regi illata adę quari potest per obsequium hominis inferioris, vt dixi *num.* 58. Tertio: quia vt ait Ill. Godoy *disp.* 3. *n.* 17. bonum famę superioris ordinis est ad bona fortunę, & tamen possunt bona fortunę adeo crescere, adeòque multiplicari, vt excedant in morali ęstimatione bonum famę vnius hominis. Quarto: quia vt ipse ibidem ait, actus misericordię, vel iustitię respectu actus charitatis inferior est specificè; & tamen potest actus misericordię adeò intendi, vt in ratione meriti actum charitatis excedat. Denique: quia vt ipse ibi fatetur, furtum, quod respectu odij Dei est inferius specificè, potest adeò ex alijs capitibus crescere, vt odium Dei in ratione demeriti excedat. Vera igitur est adhuc in doctrina Ill. Godoy nostra supra data responsio: ergo idẽ paritèr concedere tenetur de satisfactione respectu iniuriæ.

75 *Replicabis.* Replicabis: licèt res inferioris ordinis possit adæquare in æstimatione morali rem superioris ordinis, quando excessus non est valdè notabilis, vt probant exempla allata; tamen quando adest excessus valdè notabilis, nequit adæquare; sed inter offensam, & satisfactionem puræ creaturæ datur excessus valdè notabilis, quia est infinita distantia inter Deum, & creaturam: ergo numquam satisfactio puræ creaturæ, quantumvis crescat, & multiplicetur, poterit adæquare in æstimatione morali offensam. Probatur maior primo: licèt peccatum mortale sit simpliciter finitum, tamen ob excessum valdè notabilem, & superioritatem ad venialia, nequit adæquari à venialibus, quantumvis multiplicẽtur; ergo, &c. Secundo: quia ob eandem rationem visio Dei perpetua nequit adæquari ab alijs bonis perpetuis, quantumvis multiplicentur: ergo similitèr.

76 *Respondeo.* Respondeo ad instantiam negando minorem, & probationem imbibitam: nam infinita distantia inter Deum, & creaturã non impedit ęqualem satisfactionem, quia ad hanc non requiritur ęqualitas inter personam offensam, & satisfacientem ex dictis *num.* 60. & 61. vbi rationibus, & exemplis manet probatum.

Retorqueo. Retorqueo etiam argumentum: res inferioris ordinis, potest adęquare in ęstimatione morali rem superioris ordinis, quando excessus non est valdè notabilis; sed inter satisfactionem purę creaturę, & offensam nõ est talis excessus; ergo satisfactio purę creaturę potest adęquare in ęstimatione morali gravitatem offensę. Probatur minor: si peccatum est inimicitia cum Deo; gratia est amicitia cum illo; & si peccato debetur ęterna miseria; gratię debetur ęterna fœlicitas; & si peccatum ponit hominem in statu infimo; gratia elevat illum ad statũ

super naturalem valdè supræmum: ergo intèr satisfactionem puræ creaturæ, & offensam non est excesus valde notabilis.

77 *Instabis.* Instabis contra solutionem: persona satisfaciens per nos manet inæqualis cum persona offensa: ergo & satisfactio cum offensa. Probatur consequentia: valor satisfactionis sumitur ex persona satisfaciente, sicut gravitas offensæ ex persona offensa; sed persona satisfaciens per nos manet inæqualis cū persona offensa: ergo & satisfactio cū offensa. *Respondeo.* Respondeo ad instantiā concesso antecedenti, negādo consequentiam, & ad probationē dittinguo maiorem: valor satisfactorius sumitur ex persona satisfaciente tantū nego maiorem; ex ipsa, & eius actibus, multipli citate, & intensione eorum concedo maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam; quia inæqualitas personæ satisfacientis compensatur per intensionem, & per multiplicitatem actuum illius, sicque satisfactio adæquat gravitatem peccati.

78 *Vrgebis.* Denique vrgebis: nulla satisfactio puræ creaturæ est in supræmo ordine satisfactionis: ergo nulla est condigna pro offensa. Antecedens patet: nam vltrà, satisfactionē puræ creaturæ stat Christi satisfactio, quæ dignior est. Consequentia probatur: offensa supremi ordinis petit compensari satisfactione supræmi ordinis; sed per nos nulla satisfactio puræ creaturæ est in supræmo ordine satisfactionis: ergo nulla est condigna pro offensa. *Respond. 1.* Respondeo primo concesso antecedenti negando consequentiā, ad cuius probationē nego maiorē; quia offensa superioris ordinis potest condignè, & ad æqualitatē cōpensari per satisfactionē ordinis inferioris, vt rationibus, & exēplis latè ostensū manet ex dictis.

79 *Respond. 2.* Respondeo secundo retorquendo argumentū: offensa supræmi ordinis petit cōpensari satisfactione supremi ordinis: ergo offensa peccati nō postulat compensari satisfactione Christi, quod est contra factores argumenti. Probatur consequentia: offensa peccati petit cōpensari satisfactione eiusdē ordinis cū offēsa; sed satisfactio Christi non est eiusdē ordinis cū offensa peccati: ergo offensa peccati nō postulat compensari satisfactione Christi. Maior est notoria: nā offensa peccati cōpensatur satisfactione eiusdē ordinis: ergo exigit copensari tali satisfactione. Minor autem probatur: satisfactio Christi est in supræmo ordine, quam peccati offensa, vt omnes fatētur; alioquin non esset superabundans: ergo satisfactio Christi non est eiusdem ordinis cum offensa peccati.

80 *Retorqueo 1 argum. & replicas cō. tra Ill. Godoy, & alios* Denique argumentū suprà positū, & omnes instātias allatas retorqueo primo ad hominē contra Ill. God. & omnes alios hoc in nos vtentes argumēto: ideo per vos pura creatura nequit ad æqualitatē satisfacere pro peccato mortali, quia persona satisfaciens est inæqualis Deo, qui est persona offensa; quia infinitè distat ab eo, & quia ratione personæ offensæ peccatū mortale est in superiori ordine respectu satisfactionis; sed hoc non obest, vt pura creatura possit cōdignè satisfacere pro peccato mortali: ergo condignè satisfacit. Probatur minor: omnia hæc reperiuntur in pura creatura satisfaciente pro peccato venialis; sed hęc nō obstant, vt de potentia Dei absoluta possit pura creatura satisfacere ad æqualitatē pro peccato veniali: ergo nec obstant ad satisfactionē pro peccato mortali. Maior est evidens: nam pura creatura est inæqualis Deo, infinitè distat ab eo, & ratione personæ offēsæ veniale est in superiori ordine respectu satisfationis. Minor cōceditur ab Ill. God. *n.* 2. & à Theologis cōmunitèr. Consequentia est legitima.

81 *Retorqueo 2* Retorqueo secundo: prædictū argumentum. Omnes instantiæ allatæ multū probant: ergo nihil probāt. Probatur antecedens: argumentū, & instantiæ probant, peccatū in ratione offensæ non posse condignè satisfieri per satisfactionē, quā exigit per se peccatū; sed est hoc multum probare: ergo multū probant. Consequētia est legitima. Minor est certa: nā peccatū condignè satisfieri per satisfactionē, quā peccatū per se non exigit, est peccatū condignè satisfieri per satisfactionem superiorē ad illā, quā per se exigit peccatū, quod est multū probare. Maior verò probatur: peccatū in ratione offensæ iuxtà factores argumenti suprà dicti solū potest cōdignè satisfieri per satisfactionē eiusdē ordinis cū offensa; sed hāc elici à creatura repugnat; &

elicita à Christo non exigitur per se à peccato: ergo, &c. Minor quoad primã partẽ est opinio horũ Authorum. Quoad secundã verò probatur: peccatũ per se solũ exigere valet satisfactionẽ eiusdẽ ordinis cũ peccato; atqui satisfactio à Christo elicita est superioris ordinis, vt omnes fatentur: ergo satisfactio à Christo elicita non exigitur per se à peccato.

§. IX.

Difficile argumentum solvitur.

82 *Arguitur specialitèr.*

SOlvitis iam argumentis ab Ill. Godoy expræsè traditis, & argumẽto in illius doctrina implicitè adducto soluto, arguitur specialitèr cõtra nostrã conclusionẽ: peccatum in ratione offensæ est saltim secundũ quid infinitũ: ergo satisfactio condigna, & æqualis debet esse saltim secundũ quid infinita. Atqui satisfactio à pura creatura exhibita nec secundũ quid est infinita: ergo nequit condignè satisfacere pro peccato mortali. Antecedens est certũ; alioquin nec geometricè cresceret offensa ad dignitatẽ personę offensæ, quod apud omnes est falsũ. Cõsequentia probatur primo: si peccatũ esset simpliciter infinitũ, satisfactio secundũ quid infinita non esset condigna; & æqualis: ergo similitèr: satisfactio condigna, & æqualis debet esse saltim secundũ quid infinita. Secundo: solum satisfactio simpliciter infinita esset æqualis pro peccato simpliciter infinito: ergo similitèr.

83 *Sussumpta probatur.*

Sussumpta verò probatur: satisfactio à pura creatura exhibita non habet principiũ, à quo proveniat infinitas secundũ quid: ergo satisfactio à pura creatura exhibita, nec secundum quid est infinita. Probatur antecedẽs primo: quia non ab obiecto, scilicèt, Deo, alioquin quodlibet opus meritoriũ puræ creaturæ haberet talẽ infinitatẽ, consequentèrque quælibet creatura posset ad æqualitatẽ satisfacere; non à potentia, quia hæc, scilicèt, voluntas, est finita; nõ ab aliquo cõprincipio supernaturali proptèr eãdẽ rationẽ; non à supposito proptèr idem: ergo, &c. Probatur secũdo antecedẽs: ideò satisfactio Christi est secundum quid infinita quia habet congruitatẽ, vel condignitatẽ à supposito Divino; sed pura creatura non habet hoc principiũ: ergo idem quod anteà. Tertio: quia alioquin pura creatura potuisset æque perfectè satisfacere, sicut Christus, quod apud omnes est falsum: ergo non habet principium, à quo proveniat infinitas secundum quid.

84 *Respondet Mastrius 1*

Huic argumento variè respondent nostri Scotistæ iuxtà varietatem suorum fundamentorum, quæ §. 3. declaravimus, & impugnavimus. Mastrius verò hoc argumentum quasi intermiscontra se fecit *in 3. disput. 4. quæst. 5. artic. 1. n. 210.* ad quod in rei veritate directè non respondet; cæterum ex his, quæ pro responsione adducit *num. 211.* respondebit negando consequẽtiã, cuius negationis duplex est ratio.

85

Prima ratio est: nam peccatum esse secundum quid infinitum, est, quia persona offensa est infinita, ad cuius dignitatem crescit geometricè gravitas offensæ; satisfactionem verò non esse sic infinitam, est, quia non procedit à persona infinita, quæ inæqualitas personarum non impedit ad æqualitatem satisfactionis, quia ad hanc necessaria non est æqualitas inter personam satisfacientem, & personam offensam, cui fit satisfactio, sed sufficit æqualitas valoris moralis inter satisfactionem, & offensam.

86 *Impugnatur 1.*

Hæc tamen responsio impugnatur primo: vt satisfactio sit æqualis offensæ requiritur per te æqualitas valoris moralis inter satisfactionẽ, & offensã; sed hæc non datur in satisfactione à puro homine exhibita: ergo nequit purus homo condignè satisfacere pro peccato. Probatur minor: inter id, quod nullo modo est infinitum, & id, quod aliquomodo est infinitũ, nõ datur æqualitas; sed per te offensa est aliquomodo infinita, & satisfactio nullo modo est infinita: ergo nõ datur æqualitas valoris moralis in satisfactione à puro homine exhibita. Maior probatur, vt probata manet prima consequentia argumenti. Minor pro prima parte, scilicèt, pro peccato, est antecedens argumenti à Mastrio concessum. Pro secũda, scilicèt, pro satisfactione, est sussumpta eiusdẽ argumenti suprà probata. Consequentia est legitima.

87 *Impug. 2.*

Impugnatur secundo: quando offensa est saltim secundũ quid infinita, nequit esse æqualitas inter offensam, & satisfactionem, nisi satisfactio oriatur

à persona infinitâ; sed offensa, de qua loquimur, est saltim secundum quid infinita: ergo nequit esse æqualitas inter offensam, & satisfactionem, nisi satisfactio oriatur à persona infinita: ergo ad satisfactionē æqualē requiritur æqualitas intèr personam satisfacientem, & personā offensam, cui fit satisfactio: ergo ruit tota solutio. Probatur maior: quando offensa est secundum quid infinita ob dignitatē personę offensæ, nequit esse æqualitas intèr offensam, & satisfactionē, nisi satisfactio sit secundum quid infinita; sed nequit esse secundum quid infinita, nisi oriatur à persona infinita: ergo, &c.

88 *Respondet.* 2. Secunda ratio à Mastrio in responsione tradita est: quia peccatum esse secundum quid infinitū, est esse in superiori ordine respectu satisfactionis puræ creaturæ, quod non obest, vt satisfactio possit æquare gravitatē peccati Hoc coprobat aliquibus exēplis, de quibus parū est curandū, quia alia contra se habet, pro quibus sufficiat hoc, scilicèt, peccata venialia, quę sūt inferioris ordinis respectu mortalis, quantūvis multiplicentur, æquare nequeunt gravitatem mortalis. Quare exemplis omissis, quia vtrique opinioni fabent.

89 *Impugnatur.* Etiā hæc solutio reijcitur: gravitas peccati, ita est in superiori ordine respectu satisfactionis puræ creaturæ, vt nequeat esse æqualitas intèr gravitatē peccati, & satisfactionē: ergo ruit solutio. Probatur antecedēs: gravitas peccati, ita est in superiori ordine, vt elevetur ad infinitatē secundū quid; sed satisfactio puræ creaturæ elevari nequit ad infinitatē secundū quid: ergo, &c. Maior est antecedens argumenti ibi probatū, & à nullo Scotista negatū. Minor est argumenti sumpta suprà probata. Consequētia infertur, & probatur cū prima consequentia argumēti, & eius probatione. Cōfirmatur fortiter formalizādo hanc ipsissimā rationem de peccato mortali respectu venialium.

90 *Vera solutio.* Missis ergo his solutionibus, & in sua probabilitate relictis. Respondeo ad argumentū concesso antecedenti distinguendo consequens: ergo satisfactio condigna, & æqualis debet esse saltim secundū quid infinita formaliter, vel æquivalentèr concedo consequentiā; formaliter præcisè nego cōsequentiā. Ad cuius primā probationē distinguo antecedens: si peccatū esset simpliciter infinitū, satisfactio secūdū quid infinita formaliter, & æquivalētèr non esset condigna, & æqualis cōcedo antecedens; satisfactio secundū quid infinita formaliter; æquivalētèr verò infinita simpliciter (si hoc esset possibile) non esset condigna, & æqualis nego antecedens, qua distinctione distinguo secundā probationē, & distinguo consequens distinctione data. Vnde ad sumptā argumenti responsionem ipsam distinguendo: satisfactio à pura creatura exhibita non est infinita secūdum quid formaliter concedo minorē; æquivalentèr nego minorē, cuius probationē similiter distinguo.

91 *Explicatur.* Itaque certum est: peccatum in ratione offensæ esse secundū quid infinitum, quæ infinitas est tantū negativa, hoc est: habet peccatū in ratione offēsæ talē excellentiā superioris gradus, & ordinis, vt dari nequeat maior gravitas ex circunstantia personæ offensæ. Item: certum est. hanc infinitatem secundum quid habere peccatum formaliter, quatenus geometricè crescit ad dignitatē personæ offensæ infinitę, quæ induit modū formæ gravificantis offensam. Certum est etiā: satisfactionē exhibitam à pura creatura ratione personæ satisfacientis non esse secundum quid infinitā infinitate negativa, quia non habet talem excellentiam superioris gradus, & ordinis, vt non possit dari satisfactio superioris ordinis ratione personæ satisfacientis, vti est Christi satisfactio. Item: certum est satisfactionē à pura creatura exhibitā non esse infinitā secundum quid formaliter ratione personæ, cui fit satisfactio, quia persona infinita, cui fit satisfactio, non induit rationem formæ valorantis actum satisfactorium. Cæterum est infinita æquivalentèr, quia excesus, quem habet peccatū ratione personæ offensæ, compensatur in satisfactione ex multiplicitate actuum, ex intensione illorum, & ex alijs pluribus capitibus. Quare licèt satisfactio nequeat appellari formaliter infinita secundum quid; potest, & debet appellari infinita secundum quid æquivalentèr, & consequentèr condigna, & æqualis.

92 *Declaratur amplius.*

Declaratur hoc: nam ſicut gravitas offenſę non ſumitur precisè ex perſona offenſa, ſed etiam ex cognitione, deliberatione, & conatu; ita ſatisfactio non ſumitur præcisè ex perſona ſatisfaciente, ſed etiam ex multitudine actuum, & intenſione illorum: ergo licèt gravitas offenſæ, ſumpta ex perſona offenſa, excedat valorē ſatisfactionis, ſumptum ex perſona ſatisfaciente; poterit tamē valor ſatisfactionis, sūptus ex alijs capitibus, excedere gravitatem offenſæ ex alijs capitibus ſumptæ: ergo compenſari valet vnus exceſus per alium. Atqui hoc ipſo, quod talis exceſus compenſetur, gravitas offenſæ, & ſatisfactio manent æquales: ergo cum gravitas offenſæ ſit formalitèr infinita ſecundum quid; ſatisfactio erit equivalentèr ſecundum quid infinita.

93

Et certè hoc manifeſtè dicta declarant. Primo: quod diximus *n.* 60. 61. & 62. ſcilicèt, non requiri æqualitatē inter perſonā offenſam, & ſatisfacientem. Secundo. quod diximus *n.* 74. de actibus miſericordiæ reſpectu actus charitatis & de furto duorum millionum comparativè ad ſimplicem ſacri ommiſsionem. Tertio: quod diximus *§ antec. per tot.* Et denique hoc oſtendit expræsè retorſio de peccato veniali, de qua *num.* 63.

94 *Replicabis.*

Sed contra hanc ſolutionem replicabis: ſatisfactio à pura creatura exhibita per nos æquivalet gravitati offenſæ; ſed gravitas offenſæ eſt ſecundū quid formalitèr infinita: ergo ſatisfactio à pura creatura exhibita erit ſecūdum quid formalitèr infinita. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando conſequentiā; eſt enim falſa, ſicut iſtæ: libra argenti æquivalet, imò & ſuperat vntiam auri: ergo libra argenti eſt formalitèr aurum. Plures actus miſericordię equivalent vni actui charitatis: ergo plures actus miſericordiæ ſunt formalitèr actus charitatis. Furtum duorum millionum æquivalet ommiſsioni ſacri: ergo furtum duorum millionum eſt formalitèr peccatum contra relīgionem Sicut ergo iſtæ conſequentiæ ſunt falſæ, licèt libra argenti (& ſic de alijs) æquivaleat vntiæ auri; ſic & contra noſtram ſolutionem in replicæ illata.

)(ſ) (ſ)(

§. X.

Solvuntur alia argumenta.

95 *Arguitur 1*

ARguitur primo: ſatisfactio, quæ ad æqualitatem indiget gratia creditoris, & acceptatione, non eſt condigna, & æqualis; ſed huiuſmodi eſſet ſatisfactio puri hominis: ergo nō poteſt condignè ſatisfacere pro peccato mortali. Probatur minor: ſatisfactio puri hominis fieri debet per actus ſupernaturales; ſed ad hos exiguntur ſupernaturalia principia, maximè, gratiæ habitualis, & auxiliorum, & vltrà eſt neceſſaria acceptatio: ergo ſatisfactio puri hominis ad æqualitatē indiget gratia creditoris, & acceptatione. *Reſpondeo 1.* Reſpondeo primo negando maiorē; nā gratia creditoris, & acceptatio ſolū excludunt ſatisfactionē ex toto rīgore iuſtitiæ; non verò condignam, & æqualem; alioquin nec iuſtus mereretur de condigno vitā æternā, nec Chriſtus haberet meritum cōdignum, & ſatisfactionem æqualem, cum vterque indigeat acceptatione, & gratia creditoris, vt dicam *diſp.* 4. *Retorqueo.* Vnde ex hoc argumentum retorqueri valet.

96 *Reſpond. 2.*

Reſpondeo ſecundo diſtinguendo maiorem: ſatisfactio, quæ indiget gratia creditoris, & acceptatione ſubſequenti concedo maiorē; antecedenti nego maiorē; diſtinguo ſimilitèr minorē, & nego conſequentiā; quia licèt acceptatio, vel pactū cōſequens tollat condignitatē ſatisfactionis, quia tunc fit à creditore partialis ſolutio debiti; tamen quando eſt antecedens, non tollit æqualitatem operis cum debito, quia tunc ſe habet per modum legis, qua poſita, quī fecerit, quod lex præcipit, acquīrit ius iuſtitiæ ad præmium.

97 *Arguitur 2.*

Arguitur ſecundo: amor Dei nequit eſſe tàm bonus, quàm malum eſt peccatum: ergo nequit pura creatura ad æqualitatem pro peccato ſatisfacere. Probatur antecedens: minus eſt in genere boni, vilem creaturā honorare Deum infinitum, quam malū eſt, eandem vilem creaturam offendere Deū infinitum: ergo amor Dei nequit eſſe tàm bonus, quam malum eſt peccatū. *Reſpondeo.* Reſpondeo negando antecedens, & eius probatīonem diſtinguendo: minus eſt de facto concedo antecedens; de poſsibili nego antecedens, & con-

sequentiam; nam de potentia Dei absoluta potest amor Dei esse tàm bonus, quàm malum est peccatum, vt claret ex probationibus nostræ cõclusionis. Nec obest inæqualitas personarũ; quia ad hoc responsum est multotiès.

98 *Arguitur 3.* Arguitur tertio: licèt offensa sit finita, petit satisfactionem infinitam: ergo pura creatura non potest condignè, & ad æqualitatem satisfacere pro peccato mortali. Probatur antecedẽs: si non peteret satisfactionem infinitam, facilius auderent homines offendere Deum, quia scirent, Deum per nostra obsequia placari posse: ergo licèt offensa sit finita, satisfactionem infinitam petit. Hoc argumentum desumitur ex S. Cipriano *de Oper. Cardin.* dicente: *Sine hoc holocausto poterat Deus tantum condonasse peccatum, sed facilitas veniæ laxaret habenas peccati effrænibus.* *Respondeo.* Respondeo negando antecedens cum probatione; quia ex eo, quod sufficiat finita satisfactio, non decrescit gravitas offensæ, vnde semper homines gravitèr sentirent de offensa, cuius satisfactio, etũ finita, esset valdè onerosa. Nec contra hoc est S. Ciprianus; nam vt ex antecedentibus, & subsequentibus verbis colligitur, loquitur de condonatione culpæ absolutè, & merè gratuita, ex quo deducit, quod talis Dei indulgentia laxaret homines ad peccandum, quod non facit ad rem.

99 *Arguitur 4.* Arguitur quarto: nullus homo potest condignè Deo satisfacere pro suo peccato mortali: ergo multo minus pro alieno. Probatur consequentia: nemo plus potest pro alijs, quã pro se ipso; sed per nos nullus potest satisfacere pro suo peccato mortali: ergo multo minus pro alieno. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, & maiorem probationis. Ratio autem, cur homo possit pro alijs, quod pro se ipso non potest, assignabitur qq. selectis.

100 *Arguitur 5.* Arguitur quinto: sanctitas Christi est diversæ rationis sanctitate nostra: ergo referri debet ad præmiũ diversæ rationis. Atqui hoc non potest esse aliud, nisi, quod Christus mereretur non solũ pro se, sed etiã pro alijs: ergo homo purus nequit sic mereri: ergo nec satisfacere. *Respondeo.* Respondeo ad argumentũ concesso antecedenti cũ consequentia, negando sũsumptã; quia diversitas sanctitatis Christi à nostra sanctitate fit in eo, quod sanctitas Christi ad maius, & maius præmiũ referatur, quã nostra sanctitas; non verò in subiecto, cui præmiũ est conferendum, nisi solum de facto, & hoc est, quia deest pactum, & acceptatio Dei, vt dicemus in solutione argumenti sequentis.

101 *Arguitur 6.* Arguitur sexto: meritum condignũ puri hominis solũ potest esse pro se ipso, & non pro alijs: ergo similitèr condigna satisfactio. Antecedens probatur: omnis gratia (seclusa gratia vnionis) est gratia adoptionis, & eiusdem omnino rationis cũ gratia, quæ defacto hominibus confertur; sed hæc est principiũ merendi, & satisfaciendi solũ pro subiecto illã habente, & nõ pro alijs: ergo, &c. Probatur minor: si gratia adoptionis posset esse de condigno meritoria, & satisfactoria pro alijs, non esset ratio, cur id negaretur Apostolis, & Deiparæ, qui illã in gradu perfecto acceperunt: ergo, &c.

102 *Respondeo.* Respondeo ad argumentũ negando antecedens, ad illius probationẽ distinguo minorẽ: defacto concedo minorẽ; depossibili nego minorẽ, & consequentiã. Ratio autẽ, cur gratia adoptionis defacto non est condignè meritoria pro alijs, est, quia deest pactũ, & acceptatio Dei, & hæc est ratio; cur Apostolis, & Deiparæ concessum non fuit; cæterũ absolutè loquendo potest mereri pro alijs, si ad hoc esset pactum, & acceptatio Dei.

103 *Confirmatur 1. responsio* Hæc doctrina firmatur primo: si homo purè viator constitueretur cum plenitudine gratiæ, & simul cũ pacto, & lege, vt sua opera dirigeret ad merendũ, vel satisfaciendũ pro alijs; opera illius non essent meritoria pro se ipso: ergo pro alijs. Probatur antecedens: homo ille non eget meritis ad consequendã gratiã, cũ supponatur cũ plenitudine gratiæ: ergo opera illius non essent meritoria pro se ipso. *Secundo.* Confirmatur secundo: si homo beatus cõstitueretur caput aliorũ, mereri potuisset per actiones liberas, vt de Christo dicitur; sed non mereretur sibi ipsi: ergo mereretur alijs, quorũ ex pacto, & lege constitutus esset caput: ergo meritũ cõdignũ puri hominis potest esse pro alijs. Probatur minor: talis homo esset in termino suæ perfectionis, vtpotè, beatus: ergo nõ meretur sibi ipsi.

104 *Tertio.* Firmatur tertio: actus meritorius hominis iusti nunc procedens à gratia condignus est, & proportionatus cũ gratia ipsi soli pro præmio conferenda: ergo etiam condignus esset, & proportionatus cũ simili gratia alteri conferenda supposito pacto. Probatur consequentia: præmiũ gratiæ, ex eo, quod huic, vel alteri sit conferendũ, non est maius in quantitate, & valore: ergo si nunc condignus est, & proportionatus cum gratia ipsi soli pro præmio conferenda, etiã condignus esset, & proportionatus cum simili gratia alteri conferenda, pacto supposito. *Quarto.* Firmatur quarto: non minus demeritum nocet personæ peccanti, quam meritum prodest personę merenti; sed posito pacto potuit vnus homo caput aliorũ constitutus, *alijs* omnibus nocere, & condignè demereri: ergo posito pacto potuit alijs condignè mereri & condignè pro illis satisfacere. *Quinto.* Firmatur quinto: defacto concedunt Theologi posse vnum hominem pro alio mereri de condigno remissionẽ pœnæ temporalis: ergo posset de potentia Dei absoluta pro alio mereri gloriam, & culpæ remissionem, si ad hunc finem eius opera ordinarentur, & acceptarentur à Deo.

105 *Dices.* Dices: pactum, & acceptatio Dei est quid extrinsecum: ergo nequit mutare naturã gratiæ. Atqui illã mutaret, si illam redderet condignè meritoriam pro alijs: ergo ruit doctrina. Probatur minor: gratia ex se non est condignè meritoria pro alijs: ergo naturã gratię mutaret, si illam redderet condignè meritoriã pro alijs. *Respond.* Respondeo distinguendo vltimũ antecedens: gratia ex se positivè non est cõdignè meritoria pro alijs concedo antecedens; permissivè nego antecedens, & consequẽtiã. Itaque gratia ex se indifferens est, vt acceptetur à Deo, tanquam condignè meritoria pro ipso operante, vel pro alijs, quia non ob hoc præmiũ conferendum est maius in quantitate, & valore, vt diximus in solutione argumenti antecedentis.

§. Vltimus.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

106 *1. Corollarium.* EX dictis colligitur primo: hominem iustum, vt membrum Christi, posse pro culpa mortali satisfacere condignè. Hoc corollarium est contra Ill. Godoy *num.* 75. & probatum manet probationibus nostræ conclusionis, vltrà quod probatur soluendo rationem illius in oppositum.

107 *Arguit Ill. Godoy.* Arguit hic Doctor contra corollarium *n. cit.* nam hominis satisfactio, ex hoc, quod ab illo sit, quatenùs est mẽbrum Christi, non valoratur à persona Verbi, sicut nec membrũ ipsum sanctificatur, ex hoc, quod membrum sit Christi sanctitate personali illius, nec talis satisfactio ab aliqua alia forma infinita valoratur, sicut nec persona satisfaciens, ex hoc, quod membrũ sit Christi, sanctificatur aliqua forma infinita; sed vt satisfactio elicita à puro homine, quatenùs membrum Christi, esset pro peccato mortali condigna, necessariũ erat, vt valoraretur aliqua forma infinita, infinitèque æstimabilis constitueretur per illam, aliàs semper remanebit inferior offensa in morali æstimatione: ergo satisfactio puri hominis, etiam vt est membrum Christi, pro mortali culpa condigna non est.

Respondeo. Respondeo concessa maiori, negando minorem, & probationem imbibitam, scilicèt: *Semper remanebit inferior offensa in morali æstimatione*; quia licèt illa satisfactio à nulla forma infinita valoraretur, æquivaleret in morali æstimatione offensæ, vt diximus *n.* 90. quod satis explicatũ manet per sequentia.

108 *2. Corollarium.* Infero secundo ex dictis: si esset dabilis gratia infinitæ intensionis, & actus ab illa eliciti infinita intensione gaudentes, per tales actus posset pro offensa mortali satisfieri condignè. *Probatur.* Corollarium est contra Ill. God. *n.* 77. & probatur: quod infinitas offensæ mortalis esset superioris ordinis ad infinitatem gratiæ, & actuũ ab illa elicitorũ, non tollit, quod multiplicatio actuũ, & intensionis illorum excedat gravitatem offensæ desumptã ex cognitione, deliberatione, & conatu; atqui hoc ipso compensabitur excessus superioritatis, quam habet offensa respectu satisfactionis: ergo si esset dabilis gratia infinitæ intensionis, & actus ab illa eliciti infinita intensione gaudẽtes, per tales actus posset pro offensa mortali satisfieri condignè. Consequẽtia est legitima. Maior, & minor patent rationibus, & exemplis supra positis *§. 9. à n. 90. vsque ad n. 95.*

Ar-

109 *Arguit Ill. Godoy.*

Arguit Ill. Godoy *num.* 77. nam etsi illi actus essent infiniti intensivè; infinitas tamen illorum esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ mortalis: ergo illius gravitatem non adæquarent in morali æstimatione, & consequentèr pro illa satisfactio condigna non esset. Probatur antecedens: nam infinitas offensæ mortalis est ordinis per communicationem Divini, vtpotè, ab ipsa Dei maiestate præstita immediatè formalitèr, sed infinitas intensiva, quam in gratia habituali, & in actibus ab illa procedentibus disputationis gratia supponit Ill. Godoy, istius ordinis non est; non enim est per communicationem Divinitatis Divina, sed tantum per participationem illius: ergo talis infinitas esset inferioris ordinis ad infinitudinem offensæ mortalis.

110 *Vrguetur, & confirm.*

Explicat, & vrget *num.* 78. etsi gratia infinitæ intensionis per impossibile in anima Christi residens illam infinitè Sanctam redderet; non tamen æquè Sanctam constitueret, ac est Sãcta per gratiam substantialem vnionis, eo quod infinitas à gratia vnionis proveniens est Divina per communicationem, quia ab ipsa Deitate, vel ab alio prædicato Divino, tanquam à forma, præstatur; quæ tamen à gratia habituali infinitè intensa daretur, nõ esset per communicationẽ Divinam, sed tantum per participationem; at infinitas offensæ est ordinis Divini communicativè, scilicèt, per communicationem immediatam Divinitatis, se ipsa, vt forma, offensam gravificantis; infinitas autem illis actibus permissa non est Divini ordinis per communicationem, sed tantum per participationem: ergo huiuscemodi infinitas esset inferioris ordinis ad infinitatem offensæ; ex quo vlteriùs fit, vt gravitatem offensæ non adæquaret, ac proindè tales actus, quamvis infinitè intensi, pro mortali offensa condigna satisfactio non essent.

111 *Respond. 1.*

Secundo.

Respondeo ad argumentum. Primo: concesso antecedenti negando consequentiam ob rationem pro corollario à nobis datam. Respondeo secundo distinguendo antecedens: illorum infinitas esset inferioris ordinis formalitèr ad infinitatem offensæ mortalis concedo antecedens; esset inferioris ordinis æquivalentèr nego antecedens, & consequentiam; ex quo ad probationem concesso antecedẽti distinguo consequens distinctione data. Ad confirmationem concesis præmissis, ommisso, quod vnio hypostatica sit forma sanctificans, distinguo similitèr consequens primum, & nego consequentias subillatas ob dicta §. 9. *num cit.*

Ad confir.

112 *Firmatur solutio.*

Et certè hoc, quod nos in præsenti dicimus, est, quod duntaxàt valet inferre Ill. Godoy: nam ideò iuxtà ipsum infinitas offensæ mortalis est ordinis superioris, quia est ordinis per communicationem Divini, vtpotè, ab ipsa Dei maiestate præstita immediatè formalitèr, quod non habet infinitas, quæ in gratia habituali, & actibus ab illa elicitis disputationis causa supponitur; sicut gratia vnionis est superioris ordinis ad gratiam habitualem, eo, quod in casu dato, infinitas à gratia vnionis proveniens, præstatur ab ipsa Deitate, vel ab alio prædicato Divino, tanquam à forma, quod non haberet infinitas gratiæ habitualis. Hoc itaque verum est, & vt tale nos fatemur; controversia autem stat in hoc: an, scilicèt, excessus superioritatis in offensa repertus sit compensabilis per satisfactionem puræ creaturæ? Nos esse compensabilem asserimus, ideòque tenemus: quod licèt satisfactio à pura creatura exhibita nõ esset formalitèr eiusdem ordinis cum offensa ob rationẽ ab Ill. Godoy traditam; esset tamen eiusdem ordinis æquivalentèr, quia excessus ordinis in offensa compensaretur per multiplicitatem actuum, & intensionis illorum, vt totiès est dictum.

113 *3. Corollarium.*

Tertio colligo cum Ill. Godoy *n.* 79. quod si asseratur: peccatum mortale in ratione offensæ non esse infinitum simplicitèr, nec superioris ordinis ad satisfactionem à pura creatura elicitam adoptionis gratia formatam, & valoratam, non posse consequentèr negari puræ creaturæ sufficientes vires ad condignè satisfaciendum pro illo. Quod patet: nam offerens in satisfactionem pro offensa obsequium illius gravitatem adæquans in morali æstimatione pro illa satisfacit, & ad omnimodam æqualitatẽ; sed illa sententia admissa, opus à pu-

ra creatura elicitum, & adoptionis gratia informatum, esset in ratione obsequij æquale offensæ mortali in morali æstimatione: ergo condignè, & omninò æqualitèr satisfaceret pro illa. Consequentia probatione non indiget. Minor constat: nam in sententia suppositâ, offensa irrogata à Deo, nec est infinita moralitèr, nec est superioris ordinis in morali æstimatione ad actum, v. g. Charitatis: ergo ille actus Deo oblatus in satisfactionem pro offensa irrogata ipsi adæquabit in ratione obsequij offensam Deo irrogatam in morali æstimatione.

114 *Maior ostenditur. Primo. Secundo.* Maior autem ostenditur. Primo: nam satisfactio condigna idem est, quod obsequium adæquans gravitatem offensæ in æstimatione morali: ergo, &c. Secundo: non enim alia ratione Christus condignè satisfecit pro nobis, nisi quia obtulit Deo actus, & obsequia adæquantia in morali æstimatione offensam mortalem Deo à nobis irrogatam: ergo, &c. *Tertio.* Tertio: non enim alia de causa potest in cõmuni sententia homo purus condignè satisfacere pro peccato veniali, nisi quia opus ab homine puro elicitũ, & gratia adoptionis formatum, offensam venialem adæquat in valore, & æstimatione morali: ergo, &c.

115 *4. Corollarium.* Quarto ex dictis colligitur: purum hominem existentẽ in gratia, & amicitia Divina posse per actum ex viribus gratiæ elicitos, & adoptionis gratia formatos, satisfacere cõdignè pro peccato proprio veniali. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *n.* 88. quod ex sua doctrina ibi probat. A nobis Scoti ratione probatum manet *n.* 14. Nec obest, quod purus homo nequeat condignè satisfacere pro peccato proprio mortali, vt diximus *num.* 21. quia ratio est valdè diversa ex dicendis in quibus selectis.

116 *5. Corollarium.* Colligo quinto: posse purum hominem de potentia absoluta condignè satisfacere prò peccato veniali alieno, & pro pœna illi debita. Hoc corollarium habet Ill. Godoy *n.* 89. quod iuxtà sua principia probat, facilius tamen ex nostris suadetur: potest namque purus homo condignè satisfacere de potentia absoluta pro peccato mortali alieno: ergo potiori iure pro peccato veniali alieno, & consequentèr pro pœna illi debita.

117 *6. Corollarium.* Colligo sexto: potuisse Deum vnũ purum hominem constituere, quo merente, & satisfaciente, omnes in illo satisfacerent, & per illum mererentur, sicut potuit omnes hominum voluntates in Adam moralitèr colocare, ita vt, illo peccante, omnes peccarent in illo. Hic autem homo esset caput cæterorum in ordine gratiæ, illorumque Redemptor, ideòque haberet notitiam de Deo magis perfectam, quam Adam habuit in statu innocentiæ, haberet namque cognitionem similẽ animæ Christi, & in Verbo, & per speciem Divinæ essentiæ, & per infusas creaturarum. Item: eliceret actus intensione perfectissimos ex conatu, libertate, cognitione, & concursu auxiliorum. Haberet deniquè plenitudinem gratiæ, & omnia alia dona supernaturalia, quæ habuit Christus, excepta sola vnione hypostatica. Vndè potest de potentia absoluta homo purus constitui aliorum caput in ordine gratiæ, & illis mereri condignè gratiam iustificantem, & mundantem à peccato mortali. Quod docet Ill. Godoy *n.* 52. statuens tertiã conclusionem, quam ommissimus, quia in hoc ab eo non dissentimus.

118 *Vltimũ Corollarium.* Deniquè infero, qualitèr Incarcatio fuerit necessaria; non enim necessaria fuit absolutè, cum opera ad extra libera sint, & non necessaria Deo. Incarnatio autem est opus ad extra toti Trinitati, vt efficienti causæ, commune. Nec fuit necessaria ex suppositione vniversi conditi; nullam enim cum conditione vniversi necessariã habet connexionem, & consequentèr potuit Deus decernere conditionem vniversi, illudque de facto condere, absque eo, quod Verbum assumeret carnẽ. Nec fuit necessaria simplicitèr ad reparandum hominem à peccato; potuit enim Deus alitèr hominem à peccato liberare, quam interventu Christi Redemptoris, scilicèt, purè misericorditèr illud condonando, nullam exigendo satisfactionem. Nec fuit necessaria ad merendum condignè remissionem peccati mortalis; nec ad condignè satisfaciendum pro peccato veniali; vtrumque enim horum posse à puro homine de

po-

potentia absoluta præstari probavimus : ergo Deus homo necessarius non erat.

119 Nec fuit necessaria Incarnatio ad satisfaciendum condignè pro peccato generis humani; quia vt patet ex discursu disputationis potuit Deus committere alicui creaturæ munus satisfaciendi condignè, & ad æqualitatem. Fuit autem Incarnatio suppositа hominum reparatione necessaria ad melius esse. Quod constat ex eo, quod id, quo commodius habetur finis, sivè intermedius, sivè vltimus, est necessarium ad melius esse, vt claret exemplo equi ad iter faciendum; atqui suppositа hominum reparatione commodius fuit assecutus per Incarnationem finis intermedius, scilicèt, redemptio, & finis vltimus, scilicèt, gloriæ Dei ostensio: ergo suppositа hominum reparatione Incarnatio fuit necessaria ad melius esse. Tandem: suppositо decreto de redimendo hominem per mortem Christi, Incarnatio fuit necessaria necessitate hypotetica, consequētiæ, infallibilitatis, immutabilitatis, & inevitabilitatis. Quod suadetur brevitèr: nā suppositо illo decreto erat sic necessaria mors Christi: ergo, & Incarnatio, quia non esset Christus, si Incarnatio non foret. Et hæc de ista disputatione aplicanda litterę Magistri *in 3. Sentent. distinct. 1. §. 1.* ad illa verba: *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret. Et distinct. 20. §. 1.* ad illa verba: *Vtrum alio modo. Et in 4. Sentent. distinct. 15. §. 1.*

DISPVTATIO TERTIA.

An satisfactio Christi sit valoris simplicitèr infiniti?

§. I.

Referuntur sententiæ, vera eligitur, & probatur.

Num. 1 EXaminata iam in præcedentibus sufficientia creaturæ, in supræma gratia constitutæ, ad satisfaciendum condignè pro peccatis generis humani, ex quo Incarnationem necessariam non esse ad condignè satisfaciendum intulimus, explicanda restat sufficientia satisfactionis Christi, de qua non dubitatur esse extensivè infinitam, cum habeat valorem sufficientem pro peccatis numero infinitis, vtpotè, infinitus Ecclesiæ Thesaurus. De infinitate intensiva est difficultas, ideòque illam ad examen in præsenti vocamus. In quo duæ extremæ oppositæ versantur sententiæ. Prima asserit: actus Christi satisfactorios, etsi inesse entitativo, & phisico limitati sint, & finiti, vtpotè, eiusdem rationis cum actibus à puro homine elicitis; in morali tamen æstimatione esse valoris simplicitèr infiniti. Ita Ill. Godoy secutus D. Thom. locis ab ipso citatis *num. 4.* Secunda docet: Christi satisfactionem non esse valoris simplicitèr infiniti in genere moris. Sic Scotus *in 3. dist. 19. § contra hunc modum, & §. quantum ad sufficientiam. Et in 4. dist. 15. §. de secundo dicitur,* cum quo, & ego.

1. Sententia. *Ill. Godoy.* *2. Sentētia.* *Scotus.*

2 *Conclusio.* Conclusio: *Christi satisfactio non est valoris simplicitèr infiniti.* Sic Scotus citatus, qui *§ quantum ad sufficientiam* eam expræssè docet, dicens: *Dico, quod meritum Christi fuit finitum, quia à principio finito essentialitèr dependens, etiam accipiendo ipsum cum omnibus respectibus, sivè cum respectu ad suppositum Verbi, sivè cum respectu ad finem, quia omnes respectus isti erant finiti, & ideò quomodocumque circunstantionatum finitum erat. Et in 4. cit.* ait: *Passio Christi fuit bonum finitum etiam accepta secundum totam rationem meriti in ea;* sed in merito valor moralis includitur: ergo hæc est Scoti expræssa sententia.

3 *Probatur 1 conclusio.* Probatur primo conclusio: quando ad vnum effectum plura concurrunt, licèt vnum sit infinitum, si alia sunt finita, effectus non est simplicitèr infinitus; sed ad Christi satisfactionem plura concurrunt, quæ finita

sunt,

sunt, nempè, voluntas creata, gratia habitualis, obiectum, & alia: ergo etsi ad illam concurrat dignitas personæ Verbi, quæ infinita est; non erit satisfactio simpliciter infinita. Minor, & consequētia tenent. Maior verò probatur primo ratione: quando ad vnū effectum plura concurrunt, licèt vnū sit infinitum, si alia sunt finita, effectus limitatur à principijs finitis: ergo, &c. Probatur antecedens regula illa generali: *bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu*, quæ in phisicis, & præsertim in moralibus, est certissima: ergo, &c.

Minor probatur 1.

4 *Secundo.*

Probatur secundo prædicta maior paritatibus: pœna infinita, quoad durationem, & finita quoad intensionē non est simpliciter infinita in genere pœnæ, sed solum secundum quid. Itē: corpus infinitè extensum quoad vnā tantum dimensionem, v. g. longitudinem, non est simpliciter infinitum in genere quantitatis, sed tantum secundum quid. Atqui hoc ideò est, quia limitantur à principijs finitis: ergo, &c. Probatur tertio prædicta maior paritate peccati mortalis: peccatū in ratione offensæ non est simpliciter infinitum, estò persona offensa sit infinitæ dignitatis, quia limitatur ab alijs principijs, à quibus dependet, vt *disput. 1.* monstravimus: ergo idem, quod anteà.

Tertio.

5 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num. 26.* distinguendo maiorem: si pars infinita ingrediens constitutionem eminentèr partes finitas contineat negat maiorem; si non continet illas eminentèr transeat maior, & sub eadem distinctione minoris negat consequentiam; nam valor à persona Verbi sumptus eminentèr continet alios valores, qui in actu satisfactorio Christi sumuntur ex alijs capitibus.

6 *Duplicitèr comprobat.*

Duplicitèr hoc comprobat Ill. Godoy. Primo: hoc complexum *Deus homo* est simpliciter infinitum, etsi humanitas sit quid finitum; quia Deus, ex quo simùl cum humanitate coalescit, eminentèr continet illam. Similitèr: ergo satisfactio Christi erit valoris satisfactorij, & meritorij simpliciter infiniti, quia valor personalis eminentèr continet valores ex alijs capitibus sumptis. Secundo: quia si vnum ex componentibus est infinitum simpliciter, non potest ex consortio alterius componentis finiti suam amittere infinitatem, nec illam constituto à se non præstare: ergo quando pars infinita ingrediens constitutionem eminentèr continet partes finitas; effectus erit simpliciter infinitus.

Q II

7 *Impugnatur 1. hæc responsio.*

Hæc tamen solutio Ill. Godoy impugnatur primo: quod pars infinita contineat eminentèr eminētia æquivalentiæ (de hac enim loquitur, vt ipse ait *num. 28.*) partes finitas, non obest, vt effectus non sit simpliciter infinitus, si ad illum finita concurrant: ergo ruit illius solutio. Antecedens probatur primo: Deus, vtpotè, infinitus, continet eminentèr eminentia æquivalentiæ creaturam; sed non ob hoc effectus à Deo, & creatura productus est simpliciter infinitus: ergo, &c. Probatur secundo ad hominem contra Ill. Godoy: supernaturale continet eminentèr eminentia æquivalentiæ naturale; sed non ob hoc effectus ab vtroque productus est supernaturalis: ergo similitèr. Minor est Ill. Godoy *tom. 1. in 1. p. disp. 16.* asserentis: intellectum non esse principium proximū visionis; quia visio esset naturalis. Maior, & consequentia tenēt.

Antecedens probatur 1.

Secundo ad hominē contra Ill. Godoy.

8 *Tertio.*

Probatur tertio dictum antecedens: partes ingredientes constitutionem Christi sunt suppositum Divinū, & humanitas, ex quibus suppositum Divinum continet eminentèr eminentia æquivalentiæ humanitatē; sed non ob hoc Christus est infinitus, immortalis, impassibilis, & temporalitèr ingenitus: ergo, &c. Ex hoc patet ad comprobationem primam Ill. Godoy. Nego itaque, quod hoc complexum *Deus homo* sit simpliciter infinitū, vt claret in hoc composito *Christus*, vt diximus. Vel hoc admisso respondeo: exemplum non esse ad rem, quia hic non loquimur de complexo ex infinito, & finito, sed de ipso actu satisfactorio in se, an, scilicèt, ex eo, quod proveniat à supposito dignitatis infinitæ, sit intrinsicè infiniti valoris. Ad secundam probationem nego antecedens quoad secundam partē, vt claret in exemplo posito de Christo, & in adductis *num. 4. & 7.*

Ad 1. comprobationē respondetur

Ad secundam.

9 *Impugn. 2. responsio.*

Impugnatur secundo eadem solutio: ad hoc, vt satisfactio sit in genere satisfactionis simpliciter infinita, re-

quiritur, quod omnia principia ipsam causantia sint infinita: ergo non sufficit, quod vnum principium sit infinitum, etsi eminentialitèr cotineat alia principia finita: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens. Primo: vt pœna in genere pœnæ, corpus in genere quantitatis, visio in ratione visionis, & Christus in ratione Christi, habeant infinitatẽ simplicitèr, requiritur, quod omnia principia ad ipsa concurrentia sint infinita, vt ex dictis, & ex terminis claret: ergo, &c.

Antecedens prob. 1.

Secundo.

Probatur secundo idem antecedens: magis requiritur ad satisfactionẽ simpliciter infinitam, quã ad satisfactionem secundum quid infinitam; sed ad hanc requiritur saltim vnum principium infinitũ: ergo plus ad illa requiritur: ergo quado ad satisfactionẽ plura concurrunt, licèt vnum sit infinitũ, si alia sunt finita, satisfactio non erit simpliciter infinita: ergo vera est maxima illa nostræ probationis, scilicèt, quando ad vnum effectum plura concurrunt, licèt vnum sit infinitũ, si alia sunt finita, effectus non est simpliciter infinitus: ergo solutio Ill. Godoy nec obest, nec facit ad rem.

10 *Impugnatur 3.*

Tertio impugnatur prædicta solutio: si continentia eminentialis finiti in infinito redderet effectum simpliciter infinitũ, falsum esset dictũ axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*; sed hoc nec Ill. Godoy potest asserere: ergo continentia eminentialis ab ipso pro solutione adducta vim nostræ probationis non minuit: ergo vera est maxima nostra prædicta.

11 *Impugnatur 4. ad hominem cõtra Ill. God.*

Quarto impugnatur suprà posita solutio ad hominem contra Ill. Godoy: adæquata causa satisfactionis Christi est aliquod infinitum, scilicèt, persona Verbi & aliquod finitum, nempè voluntas humana Christi, gratia habitualis, obiectum, & alia: ergo Christi satisfactio non est valoris simpliciter infiniti, etiam si finitum contineatur eminenter in infinito. Antecedens est certum, & ab Ill. Godoy in responsione concessum. Consequentia probatur: quod finitũ eminentèr contineatur in infinito, non tollit, quod adæquata causa satisfactionis Christi sit infinitum, & finitum; sed hoc ipso Christi satisfactio non est valoris simpliciter infiniti: ergo, &c. Probatur minor: hoc ipso, quod adæquata causa satisfactionis Christi sit infinitum, & finitũ, finitũ est vna causa satisfactionis Christi; sed hoc ipso, quod finitum sit vna causa satisfactionis Christi, satisfactio Christi non est valoris simpliciter infiniti: ergo, &c. Probatur minor: hoc ipso, quod finita sit vna causa, nequit effectus evadere infinitus: ergo, &c. Consequentia est legitima.

Antecedens autem, in quo poterat esse difficultas, docetur ab Ill. Godoy *tom. seq disp. 26. n. 33.* vbi hac ratione probat, implicare lumen gloriæ infinitè intensum: adæquata causa, ad quã radicalitèr consequitur lumen gloriæ non est gratia habitualis, sed conflatũ ex illa, & intellectuali natura, & consequentèr vt lumen evaderet infinitũ, vtriusque partis causæ radicantis lũmẽ infinitas esset necessaria; nam infinitas effectus ex limitatione cuiusvis partis causæ, à qua dependet, impeditur; sed implicat natura intellectualis infinita: ergo & lumen gloriæ infinitũ. Docetur etiam ab ipso *cit.* qui pro implicantia visionis infinitæ intensionis assignat hanc rationem: *Cũ adæquata eius* (nempè visionis) *causa sit intellectus, & lumen intellectus autem infinitæ perfectionis repugnet.* Hæc Ill. Godoy, & certè nihil clarius pro veritate nostræ probationis, & pro falsitate responsionis illius.

§. II.

Alia Scoti ratione probatur conclusio, & solutio Ill. Godoy reijcitur.

12 *Probatur 2. conclusio.*

PRobatur secundo conclusio: vnũ infinitum simpliciter in aliquo genere non est maius alio; sed vnus actus satisfactorius Christi est maior alio: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur minor: actus charitatis est maior actu humilitatis; charitas enim excedit omnes virtutes: ergo vnus actus satisfactorius Christi est maior alio.

Respondet Ill. Godoy.

Ad hanc rationem respondet Ill. Godoy *n. 27.* veram esse maiorem de maioritate intensiva secus autẽ de extensiva; nam hoc complexum *Deus homo*, quid maius est extensivè, quã Deus solus, non verò intensivè, eo quod humanitas eminentèr cõtinetur in Deo. Quia ergo valor meritorius aut satisfactorius actui charitatis à Christo eli-

cito

cito ex obiecto conveniens continetur eminentèr in valore actus humilitatis Christi sumpto à persona operãte, consequens sit, quod actus charitatis à Christo media humanitate elicitus extensivè solum excedat actũ humilitatis, non autem intensivè.

13 *Reijcitur 1*

Hæc Ill. Godoy solutio (exemplo de coplexo *Deus homo* omnisso, quia reiectum manet *num.* 8.) reijcitur primo: vnus actus sati factorius Christi est maior alio intensivè: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur antecedens primo. si vnus actus satisfactorius Christi non esset maior alio intensivè, Christus non plus mereretur omnibus suis actibus, quam vno actu singulari; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur minor: totum est maius sua parte: ergo falsum est, quod Christus non plus mereatur omnibus suis actibus, quam vno actu singulari. Probatur secũdo idẽ antecedẽs: si vnus actus satisfactorius Christi non esset maior alio intensivè, non magis Christus nos redemisset per suã Passionem, & mortem, quam per quemlibet alium actũ suæ vitæ, sed hoc est contra Scriptura, & Patres, vt claret: ergo, &c.

14 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundo prædicta solutio: valdè diversum est, vnum actum satisfactorium esse tantũ numero distinctum ab alio, ac esse maiorem alio; sed vtrumque habet vnus actus satisfactorius Christi respectu alterius: ergo nõ solum est numero distinctus ab alio, sed etiam est malor illo. Maior patet; nam esse tantum numero distinctum ab alio est maioritas extensiva; at esse maiorem alio est maioritas intensiva. Probatur minor: actus charitatis respectu actus temperantiæ non solum est numero distinctus ab illo, sed etiã est illo maior: ergo, &c. Probatur antecedens: maior distinctio reperitur inter actum charitatis, & temperantiæ, ac inter duplicem actum temperantiæ; sed inter duplicem actum tẽperantiæ solũ est distinctio numerica. ergo, &c. Atqui hæc est maioritas intensiva: ergo vnus actus satisfactorius Christi est maior alio intensivè.

15 *Confirmatur fortiter*

Confirmatur clarissimè, & fortiter: distincta maioritas versatur inter actũ charitatis, & actum temperantiæ, ac inter duplicem actũ temperantiæ; sed inter duplicem actum temperantiæ solum versatur maioritas extensiva: ergo inter actum charitatis, & temperantiæ versatur maioritas intensiva; ergo actus charitatis est maior intensivè actu temperantiæ: ergo vnus actus satisfactorius Christi est maior alio intensivè; ergo nulla est solutio Ill. Godoy.

16 *Dices cum Ill. Godoy.*

Dices tamen cum Ill. Godoy: vnum actum satisfactorium Christi esse maiorem alio intensivè ratione bonitatis, quę sumitur ex obiecto, & alijs circunstantijs; non verò ratione valoris desumpti ex persona operante. Quã doctrinam expræssè tradit *disp. 1. num.* 139. his verbis: *Quia namque valor personalis à Verbi persona desumitur, & hæc infinita est, & se ipsa valorat operationes Christi, est æqualis in omnibus Christi operationibus, ersi valor illius competens ex obiecto, & alijs circunstantijs sit inæqualis iuxtà inæqualitatem bonitatis actuum.* Sic Ill. Godoy. Nunc autem in ipsum.

17 *Contra 1.*

Contra primo: iuxtà hanc solutionem vnus actus satisfactorius Christi in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quę sumitur ex obiecto, & alijs circunstantijs: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur consequentia: si actus Christi satisfactorij essent in ratione valoris simpliciter infiniti, vnus actus satisfactorius Christi in ratione valoris non esset maior alio intensivè; sed iuxtà solutionẽ vnus actus satisfactorius Christi in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circunstantijs: ergo nullus est simpliciter infinitus. Probatur maior: si actus satisfactorij Christi essent in ratione valoris simpliciter infiniti, illa infinitas, quam in ratione valoris haberent actus satisfactorij Christi, deberet auferre ab illis omnem maioritatem, & minoritatem in ratione valoris: ergo, &c. Probatur antecedens: si substantia, quę nũc finita est in esse entis, elevaretur ad esse simpliciter infinitam in esse entis, nihil finitum in esse entis in ea remaneret: ergo similitèr.

18 *Contra 2.*

Contra secundo: iuxtà prædictam solutionem vnus actus satisfactorius Christi in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis, quæ sumitur ex obiecto, & alijs circunstãtijs: ergo Christi satisfactio non est

sim-

simplicitèr infinita in genere moris. Probatur consequentia : repugnat, quod Christi satisfactio sit simplicitèr infinita in genere moris,& quod vnus actus satisfactorius sit maior alio in genere moris ; atqui semel concesso, quod vnus actus Christi satisfactorius sit maior alio in ratione valoris intensivè ratione bonitatis,quæ sumitur ex obiecto,& alijs circunstantijs,vnus actus satisfactorius est maior alio in genere moris : ergo Christi satisfactio non est simplicitèr infinita in genere moris. Consequentia legitimè infertur ex præmissis.Ex his autē minor est certa; nam valor actus satisfactorij est quid morale. Maior vero probatur: repugnat, quod Christi satisfactio sit simplicitèr infinita in genere moris, & quod vnus actus satisfactorius sit maior alio intensivè in eodē genere; sed si vnus actus satisfactorius in ratione valoris est maior alio intensivè ratione bonitatis,quę sumitur ex obiecto,& circunstantijs,vnus actus satisfactorius est maior alio intensivè in eodē genere:ergo,&c. Maior,& consequentia tenent. Minor probatur:maioritas,& minoritas intensiva in ratione valoris in actibus satisfactorijs, est maioritas,& minoritas illorum actuū in genere moris:ergo,&c.

19 *Contra 3.*

Contra tertio : vel tota collectio operationū Christi in linea satisfactionis est intensivè maior vnica operatione satisfactoria,vel non? Si primū: ergo nulla Christi satisfactoria operatio est simpliciter infinita ; quia vnum infinitum intensivè nequit ab infinito intensivè excedi. Si secundum,arguo primo:ergo falsum est hoc principiū: *Totum est maius sua parte.* Probatur hæc consequentia:tota collectio operationum Christi in linea satisfactionis est totum , & vnica satisfactoria operatio est pars:sed iuxtà concesa tota collectio operationumChristi in linea satisfactionis non est intensivè maior vnica operatione satisfactoria:ergo falsū est hoc principium : *Totum est maius sua parte.* Arguo secundo : tota collectio operationum Christi in linea satisfactionis est maior intensivè vnica operatione satisfactoria : ergo falsè hoc negatur. Probatur antecedens : tota collectio operationum Christi in linea satisfactionis est maior extensivè vnica operatione satisfactoria : ergo etiam intensivè est maior : Probatur consequentia:ideò tota collectio operationum Christi in linea satisfactionis est maior extensivè vnica operatione satisfactoria , quia excedit in multitudine; sed etiam excedit in intensione:ergo,&c. Probatur minor: quælibet pars illius multitudinis habet suam particularem intensionem; sed tota collectio operationumChristi in linea satisfactionis excedit in multitudine vnicam operationem satisfactoriam : ergo etiam excedit in intensione.

§. III.

Aliæ probationes pro nostra conclusione assignantur.

20 *Probatur 3 conclusio.*

PRobatur tertio conclusio: personalitas Verbi increata potens desse reddere naturā infinitè subsistentē, limitatur in humanitate assumpta, ne illam reddat infinitè subsistentem; & Divina essentia potens desse,vt species vniri cum intellectu modo infinito ad infinitè videndū,limitatur in intellectu beati,ne illū constituat infinitè videntē:ergo paritèr:persona Verbi potens desse dignificare,& valorare infinitè operationes, limitatur in humanitate Christi,ne illius operationes in finitè dignificet,& valoret. Probatur consequentia:ideò personalitas Verbi increata limitatur in humanitate assumpta , ne reddat illā infinitè subsistentem , quia humanitas finita est , & ideò essentia Divina limitatur in intellectu beati , ne illum reddat infinitè videntem , quia intellectus beati finitus est ; atqui humanitas Christi finita est:ergo,&c.

21 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill.Godoy *n.*35.negando paritatē ob duplicem rationē.Prima est: nam subsistentia Verbi vnitur humanitati subsituendo vices subsistētię creatę proprię humanitatis,quia illā continet eminentèr,ideòque non constituit illam subsistentē,ita perfecte,ac subsistentē redderet naturā Angelicam;quia subsistentia naturæ Angelicæ,cuius vices gereret subsistentia Verbi , si naturam Angelicā redderet subsistentē , perfectior est subsistentia propria humanitatis;& indefit,vt humanitas,etsi per infinitā subsistentiam subsistat,non dicatur subsistere infini-

1.*Disparitas.*

tè per illā. Divina etiam essentia vnita per modū speciei gerit vices obiecti determinantis ex parte principij, & vnitur, non dando virtutē, sed illam in intellectu supponendo: vnde commensurari debet cum virtute principij proximi effectivi, & quia hæc finita est in intellectu creato, nequit essentia Divina, vt species, illum constituere potentè infinitè videre, nec cum illo ad intellectionē infinitā concurrere. Quæ rationes in persona Verbi, vt valorante actus humanitatis, non militant; non enim valorat illos substituendo vices valoris finiti, nec vnitur, vt com principium, non dans, sed supponens virtutē, sed vt adequata forma dignificans, & valorans in ordine ad satisfaciendū, & merendū; ideòque no limitatur ex limitatione physica actuū, vt illis infinitè præter valorem, eosque infinitè valorosos constituat.

22 *Hæc solutio displicet 1.* Hæc solutio displicet primo: personalitas Verbi increata reddit humanitatem subsistentem, quia eminentèr continet subsistentiam creatā humanitatis: ergo vel personalitas Verbi increata reddit humanitatem infinitè subsistentē, vel persona Verbi non valorat infinitè operationes Christi. Probatur consequentia: iuxtà doctrinam Ill. Godoy *num.* 26. ideò persona Verbi valorat infinitè operationes Christi, quia quando pars infinita ingrediens constitutionem continet eminentèr partes finitas, effectus est simpliciter infinitus; sed personalitas Verbi increata ingrediens constitutionē personæ Christi, continet eminentèr personalitatem creatam: ergo, &c. Nec facit ad rem, quod personalitas Verbi perfectiori modo personaret naturam Angelicam, si illam assumeret. Tum, quia æquè de vtraque probat ratio. Tum etiam, quia idem argumentum fit de natura Angelica in dicto casu, quam numquam personalitas Verbi increata redderet infinitè subsistentem.

23 *Displicet 2* Displicet secundo: nam sicut personalitas Verbi increata reddit humanitatem subsistentem substituendo vices subsistentiæ creatę proprię humanitatis; ita persona Verbi valorat operationes humanitatis substituendo vices personæ creatæ propriæ humanitatis: ergo nullum est discrimen. Probatur antecedens: ideò personalitas Verbi increata substituit vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, quia reddit humanitatem subsistentem loco subsistentiæ creatæ; sed etiā persona Verbi valorat operationes humanitatis loco personæ creatæ: ergo, &c.

24 *Displicet 3.* Displicet tertio: quod operationes Christi satisfactoriæ accipiant maiorē valorem à persona Verbi, quam acciperent à persona creata propria humanitatis, non tollit, quod personalitas Verbi increata substituat in valorādo vices personę creatę: ergo sicut personalitas Verbi increata reddit humanitatem subsistentē substituendo vices subsistentiæ creatæ propriæ humanitatis, ita persona Verbi valorat operationes humanitatis substituēdo vices personæ creatæ propriæ humanitatis: ergo ruit datum discrimen. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autē ex antecedēti. Antecedēs verò probatur: quod humanitas Christi perfectiori modo subsistat per subsistentiā Verbi increatā, quā per subsistentiā creatā propriā humanitatis sub sisteret, nō tollit, quod subsistētia Verbi increata in subsistendo substituat vices subsistentiæ creatæ: ergo, &c.

25 *Displicet 4.* Displicet quarto: nam quod essentia Divina vnita per modum speciei gerat vices obiecti determinantis ex parte principij, & vniantur, nō dando virtutē, sed illā supponēdo, non tollit vim paritatis supra positæ: ergo nulla est disparitas. Probatur antecedens: quod essentia Divina vnita per modū speciei gerat vices obiecti determinātis ex parte principij, & vniatur non dando virtutē, sed illā supponēdo, nō tollit, quod essentia Divina sit infinita in ratione obiecti, nec quod activè cōcurrat ad visionem: ergo nec tollit vim paritatis suprà positæ. Antecedēs est certū pro prima parte, & etiā pro secunda; nā ab obiecto, & potētia paritur notitia ex D. August. Consequentia probatur: etiā persona Verbi valorat actus humanitatis substituēdo vices personę creatę, & supponēdo virtutē in humanitate: ergo, &c. Antecedēs pro prima parte probatum manet ex proximè dictis. Pro secunda patet: quia nō omnis valor actus satisfactorij oritur ex sola persona, sed etiā ex alijs

cir-

circunstantijs, scilicèt, ex intensione, libertate, duratione, loco, obiecto, & alijs : ergo supponit virtutem in humanitate. Tenet ergo paritas ad intentum tradita.

26 2. *Disparitas.*

Secunda ratio differentiæ traditur ab eodem *n.cit.* & est, quod subsistentia vnitur humanitati, & Divina essentia, vt species, mentibus beatorum modo physicè finito, ideòque limitantur à subtractis quoad influxum suum formalem, nè illis præbeant infinitum effectum formalem : persona autem Verbi, vt forma, vnitur actibus meritorijs, & satisfactorijs modo infinito moraliter, ideòque non limitatur ab illis quoad influxum formalem valoris, nec impeditur, vt illos infinitè meritorios, & satisfactorios constituat. Hæc tamen disparitas petit principiũ, & falsum asserit; nam falsum est, quod Verbi persona, vt forma vniatur actibus meritorijs, & satisfactorijs modo infinito moraliter, vt constat ex probationibus adductis, & magis ex adducendis, constabit, simulque ex solutione argumentorũ ; sicut enim Ill. Godoy promittit infrà declarare, ita nos, vbi id declaret, declarare oppositum promittimus, & vt promissum statim ad impleamus.

Etiam displicet disparitas.

27 *Probatur 4 conclusio.*

Probatur quarto conclusio: vt subiectum à forma recipiat infinitatem, non sufficit infinitas formæ, sed insuper est necessarium, vt infinito modo vniatur cũ illa; vndè, quia intellectus beati non vnitur cum essentia Dei, vt specie, modo infinito, quamvis essentia vnita infinita sit, nõ determinatur per illam, nec potens constituitur ad videnda obiecta infinita; & quia natura humana à Verbo hypostaticè assumpta modo finito vnitur subsistentiæ Verbi, non redditur per illam subsistens infinite, quamvis subsistentia Verbi, cui vnitur, sit infinita; sed actus satisfactorij, & meritorij à Christo media humanitate eliciti non vniuntur personæ Verbi modo infinito, sed finito, cum modus vnionis prædictorũ actuũ cum Verbo non sit alius à modo, quo humanitas eidẽ Verbo vnitur, qui modus finitus, & limitatus est: ergo quamvis persona Verbi operans, & satisfaciens infinita sit, & se ipsa, vt forma det actibus satisfactorijs dignitatem, non dat illis dignitatem infinitam, nec infinitum valorem.

1. *Solutio Ill. Godoy.*

Triplicitèr respondet Ill. Godoy *num. 51.* ad hanc rationem. Primo: quod vt forma non limitetur à modo vnionis sufficit, modum illum infinitum esse moraliter, non ratione moralitatis sibi identificatæ, sed ratione valoris sumpti à persona, quam vnit, vt forma; nam eo ipso, quod vnio sit infinitè æstimabilis, obstare non potest, vt actui, cui persona vnitur, vt forma, præstet æstimabilitatem infinitam. Hac autem ratione vnionem operationum cum supposito Verbi infinitam esse moraliter non negat; si nãque actibus vnitis dat infinitum valorem, etiam vnioni illorum dabit, quod infinitè æstimetur, sicut Verbum humanitati vniri infinitè æstimatur. Sed contra : personalitas Verbi vnitur, vt forma, humanitati, per illam namque redditur formalitèr subsistẽs; sed non vnitur modo infinito : ergo quod persona Verbi, vt forma valorans, vniatur actibus satisfactorijs, non infert, vt modo infinito vniatur.

Contra.

28 2. *Solutio.*

Secundo respondet : quod licèt vnio personæ, vt valorantis actus sit finita, vt *quod*; est tamen infinita, vt *quo*, quia vnit formam infinitam cum illis summo modo possibili. Contra: nam hac ratione potest etiam dici, quod licèt vnio personæ Verbi cum humanitate sit infinita, vt *quod*, erit tamen infinita, vt *quo*, quia vnit formam infinitam cum illa summo modo possibili, quod dici nequit: ruit ergo solutio.

Contra.

29 3. *Solutio.*

Respondet tertio: quod sicut forma infinita non limitatur ex limitatione subtracti, quia cum non sit physicè intrinseca, non recipitur ad modum recipientis, sed ad modum proprium, neque educitur ex potentia subiecti; ita similitèr non limitatur ex modo vnionis finito. Contra: hæc solutio probat manifestè subsistentiam Verbi vniri modo infinito humanitati; sed hoc subtineri nequit : ergo nec solutio. Probatur maior: ideò iuxta solutionem forma infinita non limitatur ex limitatione subtracti, & consequentèr nec ex modo vnionis finito, quia nec intrinsicè in illo recipitur, nec de illius potentia educitur; atqui subsistentia Verbi nec intrinsicè in humanitate recipitur, nec ex eius potentia educitur, vt est certum,

Contra.

& conceſſum habet Ill. Godoy *num.* 35: ergo ſolutio hæc probat manifeſtè, ſubſiſtentiam Verbi vniri modo infinito humanitati.

30 *Triplex ſolutio reffellitur.*

Triplex denique ſolutio reffellitur: iuxtà triplicem allatam ſolutionem modus finitus vnionis non tollit quod perſona Verbi, vt forma in genere valoris meritorij, & ſatisfactorij, vniatur cum operationibus Chriſti modo infinito: ergo nec modus eſſendi ab alio vnionis tollit, quod perſona Verbi, vt forma in genere valoris meritorij, & ſatisfactorij, vniatur cum operationibus Chriſti modo à ſe, & per eſſentiam. Atqui hoc eſt falſum: ergo falſa eſt triplex allata reſponſio. Probatur prima conſequentia: æquè diſtat, & æquè opponitur modus eſſendi ab alio à modo eſſendi à ſe, & per eſſentiam, ac modus finitus à modo infinito; ſed iuxtà triplicem allatam reſponſionem modus finitus vnionis non tollit, quod perſona Verbi, vt forma in genere valoris meritorij, & ſatisfactorij, vniatur cum operationibus Chriſti modo infinito: ergo, &c.

31 *Probatur 5 concluſio.*

Probatur quinto concluſio: ſi Deus eſſe capax merendi in ſe ipſo, illius meritum eſſet maioris valoris meritorij, quam meritum Chriſti, vtpotè, cum illi valor meritorius à ſe, & per eſſentiam competeret; merito autem Chriſti non à ſe, & per eſſentiam, ſed per communicationem conveniat: ergo meritum Chriſti non eſt valoris ſimpliciter infiniti. Probatur conſequentia: illud namque eſt ſimpliciter infinitum in linea valoris meritorij, quo maius in tali linea, nec dari, nec concipi poteſt: ergo ſi in hypoteſi facta aliquid concipitur maius merito Chriſti in valore meritorio, aut ſatisfactorio, meritum Chriſti non eſt valoris meritorij, & ſatisfactorij ſimpliciter infiniti.

32 *Reſpondet Ill. Godoy.*

Reſpondet Ill. Godoy *num.* 53. in illa hypoteſi, actus Dei meritorios fore perfectiores in genere phyſico, & in bonitate morali, quia forent ſub vtraque ratione infiniti; actus autem Chriſti phyſicè finiti ſunt, & etiam in bonitate morali: quoad valorē autem meritorium, & ſatisfactoriū fore perfectiores in modo habendi illum, quia merita Dei à ſe, & per eſſentiam valorem meritorium, & ſatisfactorium haberent; opera autem Chriſti non à ſe, & per eſſentiam, ſed per communicationem, & ab alio illum habent. Vnde in forma reſpondet: conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, ad cuius probationem dicit: de ratione meriti infiniti valoris non per eſſentiam, ſed per communicationem non eſſe, quod non excedatur à merito valoris infiniti per eſſentiam, ſed ſolum, quod non excedatur à merito infiniti valoris infinitate ſui generis, ſcilicèt, per communicationem.

33 *Reijcitur 1.*

Hæc ſolutio eſſe videtur contra id, quod dicitur in phyſica de impoſsibilitate infiniti ſimpliciter, quā opinionē amplectitur hic Doctor; omnes nāque, qui negant poſsibilitatē infiniti ſimpliciter per cōmunicationē, ideò negant, quia ſi daretur, arguitivè inferunt: eſſe infinitū per eſſentiam. Vnde hac opinione ſtante, qui tenent: meritū Chriſti eſſe ſimpliciter infinitū per communicationē, tenentur arguitivè inferre: eſſe infinitū per eſſentiam, & conſequentèr meritum Dei data hypoteſi non eſſet maioris valoris meritorij, quam meritum Chriſti, per quod ruit ſolutio data. Cæterum ab hoc præſcindendo.

34 *Reijcitur 2*

Reijcitur ſecundo allata ſolutio: ſi Deus eſſet capax merendi in ſe ipſo, vltrà maioritatē provenientem à modo habendi formā dignificantem, & valorantē, ſcilicèt, à ſe, & per eſſentiā; meritū Dei eſſet maioris valoris meritorij, quam meritū Chriſti: ergo meritū Chriſti non eſt valoris ſimpliciter infiniti: ruit ergo dicta ſolutio. Probatur antecedens: vltrà maioritatem provenientē à modo habendi formā dignificantē, & valorantē, omnia principia cauſantia meritū Dei in data hypoteſi eſſent infinita; ſed omnia principia cauſantia meritum Chriſti non ſunt infinita: ergo, &c. Præmiſſæ ſunt certæ. Conſequentia verò probatur: meritum cauſatum ab omnibus principijs infinitis, eſt maioris valoris, quā meritum non cauſatum ab omnibus principijs infinitis; ſed iuxtà conceſſa omnia principia cauſantia meritū Dei eſſent infinita; non verò omnia principia cauſantia meritū Chriſti: ergo in data hypoteſi meritū Dei eſſet maioris valoris meritorij, quam meritum Chriſti. Minor, & conſequentia tenēt.

Ma-

Maior autem probabitur sequenti impugnatione.

35 *Reijcitur 3.* Reijcitur tertio: de ratione meriti simplicitèr infiniti per communicationē est, quod non excedatur à merito infiniti valoris infinitate sui generis, scilicèt, per communicationē; sed potest concipi satisfactio maioris valoris per communicationē, quam satisfactio de facto à Christo elicita: ergo satisfactio à Christo elicita de facto non est valoris simplicitèr infiniti per communicationē. Maior est solutio tradita. Consequentia est evidens. Minor verò probatur: si omnia principia causantia satisfactionem Christi essent infinita, hæc satisfactio esset maioris valoris per communicationem, quam satisfactio à Christo elicita: ergo, &c. Antecedens probatur primo: quia data hypotesi nihil esset, à quo posset limitari satisfactio. Secundo: quia in tali casu nullus dubitaret: satisfactionē esse simplicitèr infinitā. Tertio: quia iuxtà doctrinā Ill. Godoy in præsenti *n.* 53. meritū Dei (si capax esset merendi) esset maioris valoris, quam meritū Christi, ex modo habendi illū; nam Deus illud haberet à se, & per essentiam, non verò Christus: ergo etiā esset maioris valoris eo, quod procederet à principijs omnibus infinitis; haberet namque valorē ex ipsis principijs. Verum igitur est antecedens.

36 *Probatur 6 conclusio.* Ex quo vlteriùs sequitur manifestè: satisfactionem Christi non esse valoris simplicitèr infiniti, quod sic ostendo, & est specialis probatio nostræ cōclusionis: si omnia principia causantia Christi satisfactionē essent infinita, hæc satisfactio esset maioris valoris, quam satisfactio de facto à Christo elicita: ergo Christi satisfactio non est valoris simplicitèr infiniti. Antecedens probatum manet triplicitèr *num. antec.* Consequentia probatur: illud est simplicitèr infinitum in linea satisfactionis, quo maius in tali linea nec dari, nec concipi potest; sed in data hypotesi daretur satisfactio maioris valoris, quam satisfactio de facto à Christo elicita: ergo Christi satisfactio non fuit valoris simplicitèr infiniti. Nec locum habet recursus de intensione, & extensione; quia argumentum procedit de maioritate intensiva; nam de hac loquitur Ill. God. in paritate de merito Dei *n.* 52. quam possui pro quinta probatione nostræ conclusionis, & de eadem loquitur in præsenti.

37 *Probatur 7 conclusio.* Probatur septimo cōclusio: si Christi satisfactio est simplicitèr infinita, plùs potuit Christus mereri, quā Deus potuit præmiare; sed hoc est absurdū: ergo Christi satisfactio non est simpliciter infinita. Falsitas minoris constat primo: nam ex possibilitate præmij sequitur possibilitas meriti. Secundo: quia inter præmiū, & meritū est necessaria proportio. Tertio: quia potentia Christi ad satisfaciendū non est maior potentia Dei ad producendū. Maior probatur: meritū infinitū simplicitèr nequit habere æquale præmiū, nisi sit etiā simplicitèr infinitū; sed hoc Deus conferre nequit, quia nequit conferre infinitam gratiā, vel glorīā: ergo, &c.

38 *Respondet Ill. Godoy.* Hanc rationem tradit Ill. God. pro corollario *n.* 59. negatque maiorem; nam si loquatur de merito, vt in actu secundo inducente obligationem, nō extenditur magis meritum Christi in merendo, quam omnipotentia in producendo; nam omne, quod Christus suis meritis meruit de facto, Deus per omnipotentiam de facto produxit. Si verò loquatur de vi meritoria operationis Christi, provt in actu primo, omnipotentiæ limites non excedit, cum vtriusque virtus extendatur vsque in infinitum syncathegorematicè, & neutrius vis infinitum cathegorematicè attingat.

39 *Impugnatur 1.* Impugnatur primo solutio: innegabile est iuxtà Ill. Godoy, quod Christus facere potuit, imò & fecit meritum simplicitèr infinitum; sed Deus non potest facere præmiū creatum simplicitèr infinitum: ergo innegabile est, quod plus potuit Christus mereri, quam Deus potest præmiare: ergo ruit solutio. Secundo impugnatur: Christus potuit simul, & semel mereri omnia præmia possibilia in infinitum; sed Deus nequit omnia illa præmia simul producere, sed solum successivè: ergo plus potuit Christus mereri, quam Deus potest præmiare. *Secundo.*

Tertio impugnatur: Deus potuit plus præmiare, quam Christus potuit mereri: ergo sivè loquatur de merito, vt in actu primo, sivè vt in actu secundo, meritum Christi in ratione meri- *Tertio.*

ti, & satisfactionis non fuit simpliciter infinitum. Consequentia patet: quia nullum potest dari præmium excedens meritũ infinitum: ergo ex excessu Dei in ratione præmiantis, eu ex excessu præmij ex parte Dei, infertur, meritum Christi in ratione meriti, & satisfactionis non esse simpliciter infinitũ. Antecedens verò probatur primo: nã maior perfectio tribuenda est Deo, quam Christo: ergo Deus potuit plus præmiare, quam Christus potuit mereri. Secundo: nã si opera Christi sunt re vera Theandrica; opera Dei sunt Divina: ergo Deus potuit plus præmiare, quam Christus potuit mereri.

§. n. IV.

Rationibus specialibus probatur nostra conclusio.

40 *1. Ratio specialis.*

SPecialiter primo probatur nostra conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: infinitas effectus ex limitatione cuiusvis causæ; à qua dependet, impeditur; sed valor satisfactionis Christi est effectus: ergo ex limitatione cuiusvis causæ à qua dependeat impeditur infinitas illius. Atqui dependet a causa limitata, scilicèt, voluntate humana Christi, gratia habituali, & obiecto: ergo ex limitatione huius causæ, a qua dependet, impeditur infinitas valoris satisfactionis Christi: ergo valor satisfactionis Christi non est simpliciter infinitus. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior autem est expræsa Ill. Godoy *tom. seq. disput. 26. num. 33.* Cuius verba retulimus *n. 11.* Nec video, quid respondere possit, quod inconsequens non sit ad ea, quæ habet *disput. 26. cit.*

41 *2. Ratio specialis.*

Secundo specialiter probatur nostra conclusio ad hominem etiam contra Ill. Godoy: satisfactio Christi in ratione valoris desumpti ex obiecto, & alijs circunstantijs est finita: ergo satisfactio Christi in ratione valoris non est simpliciter infinita, licèt infinita sit in ratione valoris desumpta ex persona Verbi. Antecedens est Ill. Godoy *disput. 1. num. 139.* Cuius verba transcripsimus in præsenti *n. 16.* Consequentia probatur: satisfactio finita in ratione valoris desumpti ex obiecto, & alijs circunstantijs, & infinita in ratione valoris desumpti ex persona Verbi, non est simpliciter infinita in ratione valoris; sed per te satisfactio Christi in ratione valoris desumpti ex obiecto, & alijs circunstantijs est finita: ergo, &c. Probatur maior: gratia finita in ratione intensionis, & infinita extensivè in ratione gratiæ, non est simpliciter infinita in ratione gratiæ: ergo pariter. Antecedens est doctrina Ill. Godoy *tom. seq. disput. 26. §. 5.* Consequentia paritate certa videtur.

Respondet Ill. Godoy.

Ad hoc argumentum respondebit Ill. Godoy, vt responsum habet ad argumentum, quod hac gratiæ paritate contra ipsum formavimus *disp. 1. num. 54.* negando, scilicet, paritatem, cuius disparitas est: nam valor personalis sumptus ex persona Verbi continet eminenter valores ex alijs capitibus sumptos. Quando autem formalitas ex vno capite sumpta, sic continet illas, quæ ex alijs principijs sumuntur, non obstat limitatio illarum denominationi infiniti simpliciter; infinitas autem extensiva Gratiæ Christi non continet eminenter intensivam gratiæ perfectionem; & ideò non sufficit ad constituendam simpliciter in ratione gratiæ infinitam, si sit finitæ intensionis. Hæc tamen responsio eadem est cum illa, quam ex Ill. Godoy *in præsenti num. 26.* nos retulimus *num 5.* & licèt satis maneat impugnata perdicta *à num. 7. vsque ad 11.* & etiam *num. antec.* præcluditur etiam aliter probationem formando.

Solutio manet impugnata.

Præcluditur solutio allata formando aliter probationem.

Formatur itaque hoc modo nostra probatio: satisfactio Christi in ratione bonitatis non est infinita: ergo dato, quod Christi satisfactio in ratione valoris habeat aliquam infinitatem; non tamen est simpliciter infinita in ratione valoris. Antecedens est Ill. Godoy *disp. 1. num. 139.* cuius verba transcripsimus *in præsenti num. 16.* Consequentia probatur: satisfactio infinita in ratione valoris; non tamen infinita in ratione bonitatis, non est in ratione valoris simpliciter infinita; atqui per te satisfactio Christi in ratione bonitatis non est infinita: ergo, &c. Probatur maior: Gratia infinita in ratione gratiæ; non tamen infinita in ratione intensionis, non est in ratione gratiæ simpliciter infinita: pariter ergo. Antecedens est Ill. Godoy *tom. seq. disput. 26. §. 5.* Consequentia est manifesta, & adhuc probatur. Ideo

gra-

gratia infinita in ratione gratiæ: non tamen infinita in ratione intensionis, non est in ratione gratiæ simplicitèr infinita, quia intensio ad rationē gratiæ pertinet; atqui bonitas ad rationē satisfactionis pertinet: ergo, &c. Minor, & consequentia tenent. Maior est Ill. Godoy *tom. & disp. cit. num.* 57.

Confirmatur, & vrgetur ad hom. contra Ill. Godoy.

Confirmatur, & vrgetur: ratio, qua Ill. Godoy probat, quod gratia Christi, estò sit physicè infinita in ratione gratiæ; non tamen est simplicitèr infinita, probat evidētèr, quod estò Christi satisfactio in ratione valoris sit infinita; non tamen est simplicitèr infinita: ergo vel concedere tenetur: gratiam Christi in esse gratiæ esse simplicitèr infinitam; vel negare cogitur: satisfactionem Christi in ratione valoris esse simplicitèr infinitam, quorū vtrumque est contra ipsum. Probatur antecedens: ratio, qua probat Ill. Godoy, quod gratia Christi, estò sit physicè infinita in ratione gratiæ; non tamen est simplicitèr infinita, est hæc: *Linea infinitæ longitudinis; non tamen infinitæ extensionis, non esset infinita in ratione quantitatis simplicitèr. Et similitèr superficies extensionis infinitæ, & profunditatis, aut longitudinis finitæ, simplicitèr infinita non esset in ratione quantitatis, eo, quod nulla illarum omnem dimensionem ad genus quantitatis pertinentē contineret; sed gratia Christi, estò sit extensivè infinita; intensivè tamen infinita non est, & intensio ad rationem gratiæ pertinet: ergo non est in ratione gratiæ simplicitèr physicè infinita.* Atqui hæc ratio evidentèr probat, quod estò Christi satisfactio in ratione valoris sit infinita; non tamen est simplicitèr infinita: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est Ill. Godoy *cit.* Minor verò (suppositā maiori syllogismi ipsius) probatur formando de satisfactione Christi minorem, quam ipse de gratia format; sed satisfactio Christi, estò sit infinita in ratione valoris; nō tamen est infinita in ratione bonitatis, & hæc bonitas ad rationem satisfactionis Christi pertinet: ergo non est in ratione valoris simplicitèr infinita: ergo ratio Ill. Godoy æquè probat vtrumque.

42

3. Specialis ratio.

Specialitèr tertio probatur nostra conclusio: Humanitas Verbo vnita non sanctificatur infinitè ab illo: ergo actus meritorij, & satisfactorij Christi media humanitate eliciti non valorantur à personaVerbi simplicitèr infinitè. Antecedens probat Ill. Godoy tripliciter *num.* 54. sed illis probationibus ommissis, specialitèr illud probo: humanitas sanctificatur à Verbo per communicationem, & participationem sanctitatis eius, non identicā, sicut Filio communicatur essentia Patris; sed quasi participativa derivativè, & causativè; sed quod ita sanctificatur no infinitè sāctificatur: ergo humanitas Verbo vnita nō sanctificatur infinitè ab illo. Probatur minor: quod ita sanctificatur, non sanctificatur in linea sanctitatis per essentiā; sed quod non sanctificatur in linea sanctitatis per essentiam, infinitè non sanctificatur: ergo quod ita sanctificatur, non infinitè sanctificatur.

Minor probatur 1.

Minor probatur primo: quod sanctificatur sanctitate non per essentiam, sanctificatur sanctitate admixta negatione illius, quod habet sanctitas per essentiam; sed quod habet sanctitas per essentiam est esse infinitè sanctitas: ergo, &c. Probatur secundo: quod participatur in linea veri, potentiæ, &c. non est infinitè verum, nec infinitè potens; sed quod sanctificatur in linea sanctitatis non per essentiam, sanctificatur in linea sanctitatis participatæ: ergo, &c. Tertio probatur eadem minor, & occurritur distinctioni de physico, & morali: quod participatur in linea boni, adhuc moralitèr, participatione sic posita, quod nō sit bonum moralitèr per essentiam, sic participatur, quod non infinitè participetur: ergo, &c. Antecedens patet primo: alioquin aliquid creatū posset esse infinitè bonum moralitèr, quod est falsum. Secundo, & vrgentiùs, vtpotè ad hominem: bonitas moralis operationum Christi, quæ participatur in linea boni moralitèr, est iuxtà Ill. Godoy *num.* 45. & alibi, finita adhuc in genere moris: ergo quod participatur in linea boni adhuc moralitèr, participatione sic posita, quod non sit bonum moralitèr per essentiam, sic participatur, quod non infinitè participetur.

Secundo.

Tertio.

Probatur quarto specialitèr: sicut à sanctitate Christi provenit esse meritum in Christo; ita à sanctitate infinita Christi provenit meritum Chris-

43

4. Specialis ratio.

ri esse infinitũ; sed à sanctitate Christi non provenit sic esse meritum, quod necessario arguatur: *Est in Christo sanctitas: ergo est in Christo meritum*: ergo nec à sanctitate infinita provenit sic meritũ infinitum, quod necessario arguatur: *Est sanctitas infinita in Christo: ergo est meritum simpliciter infinitum.* Consequentia tenet. Minor est certa: nam nunc est in Christo sanctitas, & non est in Christo meritum. Maior vero probatur: nam sicut principium, vel causa comparatur cum effectu in re communicata; ita in modo à causa communicatur: ergo, &c.

44 *Dices pro Ill. Godoy.* Dices pro Ill. Godoy esse disparitatem: quia ad meritum vltrà sanctitatem requiritur status compossibilis cum ipso, scilicèt, via; cũ autem sanctitas compatiatur cum statu viæ, & patriæ, & status patriæ sit impeditus meriti; ideo non à sanctitate Christi infinita provenit absolutè esse meritũ in Christo, sed à sanctitate cum statu vitæ. *Contra*: ergo nec à sanctitate infinita simpliciter provenit necessario esse meritum Christi simpliciter infinitum. Probatur consequentia: sicut ad meritũ vltrà sanctitatẽ requiritur, quod non coniungatur sanctitas cum circunstantia impediente meritum in ratione essentialitèr requisita ad meritum essentialitèr; ita ad meritum simpliciter infinitum exigitur, quod sanctitas simpliciter infinita nõ coniungatur cum circunstantia impediente in merito esse simpliciter infinito; sed sanctitas Christi infinita coniungitur in merito cum circunstantia impediente infinitatem simpliciter in illo magis, quam sanctitas Christi in patria cum circunstantia impediente meritum esse: ergo, &c.

Probatur minor: sanctitas Christi infinita coniungitur in merito cum aliquo simpliciter finito, scilicèt, cum bonitate morali, cõnatu, & elicientia, &c. sed simpliciter finitum magis impedit esse meritum simpliciter infinitum, quam status patriæ impedit actionem hominis sancti esse meritũ: ergo, &c. Probatur minor: magis opponitur simpliciter finitum cum simpliciter infinito, quam actio meritoria cum statu patriæ: ergo, &c. Probatur antecedens: simpliciter finitum invivit in se negationem simpliciter infiniti; non verò status patriæ negationem meriti ex se, sed ex Dei dispositione, & beneplacito; sed magis opponitur, quod ex se invivit negationem oppositi, quam quod ex extrinseca ordinatione non compatitur cum alio: ergo, &c.

45 *Si dicas.* Si verò pro illo dicas: quod infinitum simpliciter includit eminentèr finitum illud, & consequentèr dat illi valorem simpliciter infinitum. *Contra* 1. Contra primo: nam hæc solutio iam à nobis impugnata manet *num. 7. cum seqq.* *Contra* 2. Contra secundo: etiã sanctitas Christi continet eminentèr meritũ Christi: ergo continentia eminentialis non tollit, quod simpliciter infinitum magis opponatur cum infinito simpliciter, quam actio meritoria cum statu patriæ: ergo nec tollet, quod simpliciter finitũ magis impediat esse meritum simpliciter infinitum, quam status patriæ impedire possit, actionem hominis sancti esse meritoriam. Atqui status impedit iuxtà supra datam solutionem esse meritum: ergo simpliciter finitum impedit meritum esse simpliciter infinitum.

46 *5. Specialis ratio.* Probatur quinto specialitèr conclusio: Verbum Divinum est simpliciter infinitum in esse entis: ergo satisfactio Christi non est simpliciter infinita in esse moris. Probatur consequentia: ex eo, quod Verbum Divinum sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur, aliquid negativum de Verbo, affirmativum non infinitatis simpliciter in esse moris in satisfactione Christi: ergo satisfactio Christi non est simpliciter infinita. Probatur antecedens: ex eo, quod Verbum Divinũ sit simpliciter infinitum in esse entis, infertur, Verbum non esse creatũ, factum, aut effectum in esse entis; sed Christi satisfactio in esse moris est creata, facta, vel effecta: ergo, &c.

47 *Declaratur* Declaratur hoc: vt Verbum in esse entis sit simpliciter infinitum, debet negari de illo, quod sit creatum, factum, vel effectum in esse entis; quia esse creatum, vel factum in esse entis repugnat cum infinitate simpliciter in esse entis: ergo vt satisfactio sit simpliciter infinita in esse moris, debet negari de illa, quod sit creata, facta, vel effecta in esse moris; nam esse creatum, vel factum in esse moris repug-

nat cum infinitate simpliciter in esse moris, ob eandē rationem, quam repugnat in esse entis. Atqui Christi satisfactio est creata, facta, vel effecta in esse moris: ergo non est simpliciter infinita in esse moris.

48 *6. Ratio.*

Sexto probatur: infinitas est perfectio simpliciter simplex: ergo repugnat enti morali. Atqui satisfactio Christi in esse moris est ens morale: ergo non est simpliciter infinita. Antecedens est apud omnes certum, & claret ex diffinitione perfectionis simpliciter simplicis. Consequentia probatur: repugnat perfectionem simpliciter simplicem repugnare enti perfectiori, & non repugnare enti imperfectiori; sed infinitas repugnat enti perfectiori ente morali: ergo repugnat enti morali. Maior constat in qua cumque perfectione simpliciter simplicis. Minor probatur: infinitas repugnat enti physico secundū III. Godoy; sed ens physicum est perfectius ente morali, vt de se patet: ergo infinitas repugnat enti perfectiori ente morali.

49 *7. Ratio.*

Probatur septimo: si esset vnum infinitum simpliciter in aliquo genere, simpliciter repugnaret aliud infinitū simpliciter in eodem genere: ergo satisfactio Christi non est simpliciter infinita in genere moris. Antecedens patet primo: quia de ratione infiniti simpliciter in aliquo genere est secū identificare omne possibile in illo genere. Secundo: nam quia Deus est infinitus simpliciter in genere entis, simpliciter repugnat aliud infinitum simpliciter in genere entis. Tertio: nam si esset aliquod infinitum simpliciter in extensione, simpliciter repugnaret aliud simpliciter infinitum in extensione; alioquin primū non esset simpliciter infinitum. Quarto: quia hoc est de ratione cuiuscumque infiniti, vt in physica dicitur, & à D. Thoma asseritur. Verū igitur est antecedens.

50 *Consequentia probatur.*

Consequentia probatur: si esset vnum infinitum simpliciter in aliquo genere, simpliciter repugnaret per te aliud infinitum simpliciter in eodem genere; sed non repugnat simpliciter alia satisfactio simpliciter infinita in genere moris: ergo satisfactio Christi non est simpliciter infinita in genere moris. Probatur minor: non repugnat simpliciter Spiritum Sanctum assumere naturam humanam numero distinctam à natura de facto assumpta à Verbo: ergo non repugnat simpliciter alia satisfactio simpliciter infinita in genere moris. Antecedens est certum. Consequentia claret: nam si non repugnat simpliciter Spiritum Sanctum assumere naturā humanam numero distinctam à natura de facto assumpta à Verbo, non repugnat simpliciter operatio Spiritus Sancti incarnati; sed talis operatio esset simpliciter infinita in genere moris ob eādem rationem, qua operatio Christi est iuxtà III. Godoy simpliciter infinita in genere moris: ergo non repugnat simpliciter alia satisfactio simpliciter infinita in genere moris.

51 *Respondebis pro III. Godoy.*

Respondebis pro III. Godoy: quod licèt infinitum physicè, & in genere entis non possit esse nisi vnum; infinitum tamen in aliquo genere multiplicari potest. Cum ergo satisfactio Christi sit infinita solū in aliquo genere, nimirum, in genere moris, & in ratione satisfactionis, non verò physicè, & in genere entis, non repugnat posse dari aliam satisfactionem sibi æqualem, qualis esset satisfactio alterius personæ Divinæ subsistentis in aliena natura; vel inæqualē, qualis est satisfactio Angeli, vel puri hominis.

52 *Contra 1.*

Cæterum hæc solutio impugnata manet per probationes antecedentis. Vltrà quod contra primo: si infinitū physicè non possit esse nisi vnum, hoc provenit ex natura infinitatis, ratione cuius includit omnem perfectionem illius generis: ergo si satisfactio Christi sit infinita in genere moris, & in ratione satisfactionis, vt vult III. Godoy, oportet, quod infinitas illius satisfactionis includat omnem perfectionem illius generis, moris, scilicèt, & satisfactionis; aliàs non esset simpliciter infinita in linea satisfactionis; vndè si infinitum physicè, & in genere entis non possit esse nisi vnū, quia oportet, quod includat omnes perfectiones, quæ competunt enti physico, oportet etiam, quod infinitum in genere moris, & satisfactionis nequeat esse nisi vnum, cum includere debeat omnes perfectiones morali satisfactioni convenientes.

Contra 2.

Contra secundo: infinitum debet

excedere cætera, quæ sunt in linea, in qua est infinitum, v.g. si domus aliqua esset pretij infiniti, nulla alia domus posset esse maioris pretij, nec æqualis. Tum quia infinitum est incomparabile. Tum quia summum positivè est illud, quod in sua linea nō exceditur, nec habet æquale, licèt illud habere possit: ergo infinitum in sua linea nequit habere æquale, & consequentèr, tam implicat dari duo infinita in genere moris, quā in genere entis.

Contra 3. Contra tertio: de ratione intrinseca infiniti est excludere rationem partis; sed si darentur duo infinita in genere moris, haberent rationem partis; cum simul in vnum copulari possent, & vnā satisfactionem, aut vnum pretium efficere:

Contra 4. ergo non essent duo infinita, sed vnum, quod est contra suppositū. Tandem omnes repugnantiæ, quæ dicuntur de illis, de istis etiam dicuntur: ergo, &c.

53 *8. Ratio specialis.* Probatur octavo: ideò iuxtà Ill. Godoy repugnat species impressa Deum quiditativè repræsentans, quia ex eo, quod sit infinita in esse repræsentativo, sequitur esse infinitam in essendo: ergo ex eo, quod satisfactio sit infinita in esse moris, sequitur esse infinitam in esse entis. Atqui hoc non concedit Ill. Godoy: ergo nec quod sit infinita in esse moris.

54 *9. Ratio.* Probatur nono: ideò iuxtà Ill. Godoy *n.* 18 satisfactio Christi est simpliciter infinita, quia hæc est bona consequentia: *Satisfactio facta à digniori persona est dignior: ergo facta ab infinita persona est infinita*; quia dignitas satisfactionis crescit ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, & hanc vocat *n.* 19. rationem à priori pro sua conclusione. Admitto pro nunc consequentiam illam Ill. Godoy, & infero contra ipsum: ergo satisfactio facta à persona infinita secundum essentiam, erit infinita secundum essentiā. Atqui hoc est plusquam falsum: ergo etiam falsa est illius consequentia.

55 *10. Ratio.* Probatur denique conclusio: cum superioritate in ordine in satisfactione Christi absque infinitate simpliciter salvantur verba Concilij ab Ill. Godoy tradita, imò, & omnes rationes, quibus in satisfactione Christi infinita tē simpliciter probare connatur: ergo superfluit infinitas simpliciter. Consequentia est legitima. Antecedens cōstabit ex solutione eorum, quæ adducit Ill. Godoy. Pro quo sit.

§. V.

Primum argumentum Ill. Godoy ex authoritate deductum solvitur.

56 *Arguit 1.* ARguit primo Ill. Godoy *num.* 5. nam Clemens 6. *in Extravag. Vnigenitus, de pœnitentia, & remiss.* tria docet contra nostram conclusionē. Primum est: quod non solum Christus, quia Deus erat, sufficiens fuit ad satisfaciendum pro vniversis hominum peccatis, sed quod vnica gutta sanguinis eius propter coniunctionem ad Verbum ad hoc ipsum erat sufficientissima. Secundum: quod Thesaurus Ecclesiæ ex Christi satisfactione infinitus est, ob quam causam peccatorū multitudine exhauriri minimè potest. Tertium: quod merita Christi fuere infinita: ergo satisfactio Christi fuit simpliciter infinita. Antecedens constat ex verbis Pontificis ab Ill. Godoy traditis. Consequentiam verò probat primo: quia si merita Christi non fuissent infinita simpliciter, non vocarentur à Pontifice absolutè infinita. Secundo: quia si infiniti valoris non essent, formidari posset, ne Thesaurus Ecclesiæ peccatorum multitudine tandem extingueretur, & consumeretur: ergo satisfactio Christi fuit simpliciter infinita.

Consequentiā probat 1.

Secundo.

57 *Respondeo ad argum.* Respondeo: Pontificem loqui de infinitate ordinis, & negativa; non verò de infinitate simpliciter, & positiva. Primo modo est infinita satisfactio Christi, quia est in supremo ordine satisfactionis, & nulla alia maior excogitabilis est satisfactio, cum hacque infinitate stat, quod in suo ordine sit finita simpliciter, & positivè; quare, loquendo de infinitate ordinis, respondeo in forma concedendo totum, quod Pontifex affirmat, scilicèt, quod vna gutta sanguinis propter coniunctionem humanitatis ad verbum erat sufficientissima pro vniversis hominū peccatis: quod Thesaurus Ecclesiæ ex Christi satisfactione infinitus est; & quod merita Christi infinita fuere, quod est antecedens argumenti Ill. Godoy; nego tamen consequentiam; ad cuius primam probationem nego antecedens; nam vt à Pontifice vo-

Ad prob. 1. consequentiæ.

cen-

centur absolutè infinita merita Christi sufficit, quod sint infinita infinitate ordinis, & negativa.

58 *Ad secundam.* Ad secundam probationem nego antecedens: quia satisfactio infinita infinitate ordinis, & in suo ordine finita, sufficiens est pro peccatis infinitis: ergo licèt sit finita simplicitèr, exhauriri nequit multitudine peccatorum. Probatur primo antecedens: talis satisfactio habet maiorem infinitatem extrinsicè ex circunstantia personæ operantis, quam peccatum ex circunstantia personæ offensæ: ergo sufficiens est pro peccatis infinitis. Probatur antecedens: talis satisfactio, scilicèt, Christi, non habet vnde limitetur ex circunstantia personæ; bene verò peccatum ratione offensæ: ergo habet maiorem infinitatem extrinsicè ex circunstantia personæ operantis, quam peccatum ex circunstantia personæ offensæ. Probatur antecedens: persona concurrit ad valorem satisfactionis absolutè, & secundum se considerata; ad peccatum verò in ratione offensę non absolutè concurrit, sed vt cognita, quæ cognitio, cum sit finita, limitat gravitatē offensæ: ergo satisfactio Christi nō habet vnde limitetur ex circunstātia personę; bene verò peccatum ratione offensę. Ex quo.

59 *Secundo.* Probatur secundo supradictum antecedens: satisfactio infinita infinitate ordinis, & in suo ordine finita, est in ratione boni superioris ordinis, quam nostræ offensæ in ratione mali: ergo satisfactio infinita infinitate ordinis, & in suo ordine finita, sufficiens est pro peccatis infinitis. Probatur consequentia: hoc ipso, quod talis satisfactio sit in ratione boni superioris ordinis, quam nostræ offensæ in ratione mali, nulla offensa ex se potest exposcere pro adæquata compensatione illam satisfactionem; alioquin non esset superioris ordinis: ergo quātumvis offensę in infinitum multiplicentur, poterunt per eam nedum sufficienter, sed etiam excessivè compensari: ergo quamvis essent infinitæ, possunt cōpensari satisfactione in suo ordine finita; ergo satisfactio infinita infinitate ordinis, & in suo ordine finita, est sufficiēs pro peccatis infinitis.

60 *Tertio.* Probatur tertio idem antecedens: ex quolibet excessu infinitarum rerū non semper deduci debet in excedente infinitas simplicitèr, sed aliquando deducere solum valet excellentiam gradus superioris, quem nunquam res inferiores attingere possint: ergo similitèr: ex excessu satisfactionis respectu infinitarum offensarum nō valet deducere in satisfactione infinitatē simplicitèr, sed solum excellentiam gradus superioris, quem nunquam offensæ attingere possint. Consequentia paritate videtur certa. Antecedens verò probatur: ex eo, quod Angelus excedat infinitas naturas imperfectiores sub se possibiles non valet inferre in Angelo infinitatē simplicitèr, sed tantū perfectionē superioris ordinis, nunquam attingibilē à rebus ordinis inferioris: ergo, &c. Aliā solutionem, & plures simul retorsiones contra hunc modum arguendi Ill. Godoy declarabimus *tom. 3. disp. 45. §. 7. & 8.*

§. VI.

Secundo argumento Ill. Godoy occurritur.

61 *Arguit 2. à ratione.* ARguit Ill. Godoy secundo à ratione *n. 6.* Vis satisfactoria pro culpis syncathegorematicè infinitis non potest competere satisfactioni, quæ non sit valoris simplicitèr infiniti; at satisfactio Christi gaudet vi satisfactiva sufficienti pro peccatis syncathegorematicè infinitis: ergo in ratione valoris satisfactorij est infinita simplicitèr. Illatio est in forma. Minor ex inde constat; nam si tali vi non gauderet, terminaretur eius sufficientia ad determinatū numerū peccatorū; & consequentèr posit timeri, nè in tantum multiplicarentur peccata, vt terminum prefixum excederent, & extingueretur Christi satisfactio, consumereturque Thesaurus Ecclesiæ ex meritis, & satisfactionibus Christi coalescens, quod Clementi VI. adversatur. Maior autem ostenditur primo: nam idē est, merita Christi non posse multitudine peccatorum extingui, ac habere vim satisfactoriam syncathegorematicè infinitam; sed Clemens VI. ad istam inextinguibilitatem salvandam recurrit ad meritorū Christi infinitudinem: ergo huiusmodi infinitas necessaria est, vt gaudeant actiones Christi vi satisfactoria pro culpis syncathegorematicè infinitis, nec po-

Maiorem probat. 1.

test

test huiusmodi sufficientia competere satisfactioni, cuius valor simpliciter infinitus non sit.

62 *Secundo.* Secundo: nam vis effectiva physica effectuũ in perfectione inæqualiũ sine termino in infinitum non potest causæ non infinitæ physicè convenire; vnde omnipotentiæ infinitatẽ colligimus, & à posteriori probamus, quia ad effectus syncathegorematicè infinitos inæqualis perfectionis extẽditur: ergo vis effectiva moralis effectuum inęqualium sine termino convenire non potest actioni, quæ in genere moris simpliciter infinita nõ sit, & consequenter, cum vis satisfactoria pro culpis syncathegorematicè infinitis contineat moraliter effectus inæquales sine termino, actus gaudens tali virtute non poterit non esse simpliciter infinitus in valore, & morali æstimatione. *Tertio.* Tertio, & à priori probatur: nã effectus nequit suæ causæ perfectionem excedere: ergo effectus infinitus nequit in causa limitata contineri, & consequenter, vt aliqua causa gaudeat vi causativa effectuum multiplicabilium in infinitum, habere debet infinitatem moralẽ, si continentia moralis sit, vel physicam, si continentia sit physica.

63 *Respondet Scotista quidam.* Respondet quidam modernus Scotista, negando maiorem: quia sufficientia extrinsicè, & extensivè infinita non est terminabilis, nec reducibilis ad terminum, neque ad determinatum numerum, cum determinatus numerus sit extrinsicè, & extensivè finitus; & consequenter non posset formidari, nè in tantum multiplicarentur peccata, vt terminum præfixum excederent, & satisfactio extingueretur, inextinguibile si quidem, & interminabile est pretium satisfactionis extensivè, & extrinsicè infinitæ: ergo vt satisfactio Christi sit sufficiens pro culpis syncathegorematicè infinitis, non debet esse simpliciter, & intrinsicè infinita, sed sufficit, quod sit infiniti valoris extensivè, & extrinsicè, seù quod ratione alicuius circunstantiæ, seù personæ Divinæ, aut pacti careat fine, & termino in solvendis culpis; per quod satis constat, quid ad primã maioris probationẽ respondere possit Scotista prædictus.

Ad 1 prob. maioris. 64 Ad secundam probationem maioris respondet negando consequentiã, & paritatem: quia vis effectiva physica effectuum continet in se, & ex natura sua ipsos effectus; at vis effectiva moralis non eos continet in se, & ex natura sua, vt patet in moneta, quæ non continet ex natura sua effectus, quos causat ex voluntate Principis; id circo, licèt Theologi inferant: Omnipotentiã Divinam esse infinitam, quia extenditur ad effectus syncathegorematicè infinitos inæqualis perfectionis, non valet tamen inferre: merita Christi esse intensivè infinita, quia ad effectus syncathegorematicè infinitos extenduntur; quia Omnipotentia est causa physica, physicè effectiva effectuũ; merita verò sunt causa moralis, & ex Divina ordinatione; & consequenter, cum non contineant actu, & physicè remissionem peccatorum, sicut omnipotentia continet creaturas, non debent esse intrinsicè infinita, sicut omnipotentia, sed tantum extrinsicè, & extensivè, quoniam infinitum syncathegorematicum excedit extensivè, & extrinsicè infinito.

Ad 2. 65 *Ad 3.* Ad tertiam maioris probationem respondet distinguendo consequens: effectus infinitus actu, & simpliciter nequit in causa simpliciter finita contineri concedit; effectus infinitus potentialiter, & secundũ quid nequit in causa extensivè infinita moraliter cõtineri negat. Vndè, vt satisfactio Christi gaudeat vi satisfactoria sufficiente pro culpis syncathegorematicè infinitis, nõ requiritur, quod contineat valorem simpliciter infinitũ, sed sufficit, quod valor eius sit extẽsivè, & extrinsicè infinitus, ideſt, quod ratione alicuius circunstantiæ careat termino, & limitatione, sicut v. g. vt pecunia sufficiat ad emendũ quascumque res, quantumvis in valore, & pretio crescerent, nõ requiritur, quod valor eius sit simpliciter infinitus, sed sufficit, quod ratione alicuius circunstantiæ, scilicèt, personæ ementis, vel pacti, sit infinitus, & extensivè in infinitum.

66 Hæc tamen solutio eadem est in rei veritate cũ solutione pro Scotistis ab Ill. Godoy tradita *n.* 7. scilicèt, verã esse maiorẽ, si satisfactio ex se, & seclusa Dei acceptatione sit condigna pro culpis syncathegorematicè infinitis; secus autẽ si ex natura sua tali condig-

nitate

nitate non gaudeat, sed illi competat ex Divina acceptatione, quia nempe sic acceptatur à Deo, ac si esset infinita; Tunc namque necessarium nō est, vt infinita sit in morali æstimatione, & hoc secundo modo, non primo, fuisse condignam, & sufficientem Christi satisfactionem; ac pro inde vis satisfactoria illi competens pro culpis syncathegorematicè infinitis non arguit in illa valorem simpliciter infinitum.

67 *Reijcitur solutio allata.*

Huius vero solutionis falsitatem, & quantum deprimat dignitatem satisfactionis, & meritorum Christi promittit Ill. Godoy *num. cit.* ostendere *disputat. seq.* quod cum ipso nos etiam faciemus, & factum habemus *disput. antec. num.* 36. & 37. impugnata namque manet per ibi dicta, quæ hic repetere non licèt.

68 *Vera solutio.*

Vnde hac solutione ommissa, & in sua probabilitate relicta. Respondeo ad argumentum, negando maiorem, ad cuius primam probationem, distinguo maiorem: idem est, meritā Christi non posse multitudine peccatorum extingui, ac habere vim satisfactoriam syncathegorematicè infinitam, infinitate ordinis concedo maiorem; infinitate simpliciter nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam ob rationes datas *num.* 58. 59. & 60.

Ad 1. prob. maioris.

69 *Ad 2. respondeo 1.*

Ad secundam probationem respondeo primo concesso antecedenti negando consequentiam. Disparitas est: nam effectus sunt in eodem ordine cum virtute productiva eorum, ideòque ex infinitis effectibus perfectioribus, & perfectioribus arguimus infinitatem in Omnipotentia; at offensa non est eiusdem ordinis cum satisfactione Christi, sed longè inferioris, ideòque ex offensis gravioribus, & gravioribus in infinitum non arguitur infinitas in satisfactione, sed solum vis satisfactiva superioris ordinis, quæ sufficiat ad infinitas offensas condignè compensandas.

70 *Firmatur solutio.*

Doctrina hæc fundatur in regula illa Logicorum pro argumentis calculatorijs, scilicèt, quod quando ascensus, vel gradatio fit per res eiusdem ordinis, seu per additionem virtutis ad virtutem in eodem ordine, calculatur virtus infinita, vt constat exemplo de portatione ponderis, quo vtitur Scotus *in 2. distinct. 3. quæst. 10. §. ista opinio*; nam si posse portare simul plura pondera, concludit maiorem virtutem, posse simul portare infinita, concludit infinitam virtutem. Cæterum quando ascensus, vel gradatio fit per res diversis ordinis, seu non fit per gradum ad gradum eiusdem ordinis, sed transcenditur, ex vno ordine ad alium, non calculatur virtus infinita; quia totus processus effectuum possibilium non excedit finitam virtutem causæ superioris ordinis. Cum ergo offensa non sit eiusdem ordinis cum satisfactione Christi, non claudit virtutem infinitam simpliciter in satisfactione, sed solum infinitatē ordinis, seu negativā.

Imo hac ipsissima doctrina vtimur ad dicendum, quod visio omnium possibilium non esset infinita cognitio, ideòque non repugnare: beatum videre omnia possibilia. Similiter ad asserendum: quod species impressa non esset infinita, consequentèrque esse possibilem, vt in prōprijs dictum est locis. Et ne videatur, nos tantum hac vti doctrina, ipse Ill. Godoy, & omnes Theologi cum illo debent à fortiori ea vti, ne dicant: quod ad videndum Deum requiritur visio infinita, & lumen infinitum, vt in hoc claret argumento. Ad videndū aliquod obiectū requiritur aliqua virtus: ergo ad videndum obiectum perfectius virtus perfectior: ergo ad videndum obiectum infinitum infinita virtus. Respondeat Ill. Godoy. & erit nostra solutio, nam quomodocumque respondeat, semper stabit contra rationē quam nobis in præsenti obijcit.

71

Denique hac doctrina vtitur Hurtadus *disp. 11. sect. 3. §. 25.* vbi inquit: quod si homo contineret formaliter, aut eminentèr omnia animalia irrationabilia sub ipso possibilia: nō propterea esset animal infinitum, quia in ratione animalis haberet principiū, & finem, & quia in ratione talis includit multas imperfectiones essentiales. Sic similiter nos dicimus de Christi satisfactione: nam licèt contineat moraliter effectus sine termino, adhuc non est simpliciter infinita, quia includit aliquas imperfectiones in ratione satisfactionis ex alijs capitibus,

72 *Exemplis, & ad hominem firmatur solutio.*

ſcilicèt, ex bonitate, & intenſione finita actus, & alijs.

73 *Reſpond. 2. ad 2. prob.* Secundo reſpondeo ad ſecundam probationem diſtinguendo antecedens: quando effectus ſunt eiuſdem ordinis cum cauſa concedo antecedens; quando ſunt diverſi ordinis nego antecedens; diſtinguo ſimilitèr cõſequens, & ſuſſumptam, & nego conſequentiam. Solutio claret in ſole, qui continet effectus inæquales ſine termino, & non eſt infinitus, quia non ſunt eiuſdẽ ordinis cũ illo. Sic ſimilitèr in præſenti, quia ſatisfactiones cõtentæ in Chriſti ſatisfactione ſunt tantum ſatisfactiones puræ creaturæ, quę ſunt diverſi ordinis, & longè inferioris à Chriſti ſatisfactione.

74 *Ad 3.* Ad tertiam denique probationem conceſſo antecedenti diſtinguo primum conſequens: ergo effectus infinitus nequit contineri in cauſa limitata eiuſdẽ ordinis cum effectu concedo conſequentiã; ſuperioris ordinis nego conſequentiam. Diſtinguo etiam ſecundum conſequens: ergo vt aliqua cauſa gaudeat vi cauſativa effectuum eiuſdem ordinis cum cauſa multiplicabilium in infinitum, habere debet infinitatẽ moralẽ, ſi continẽtia moralis ſit, vel phyſicã, ſi phyſica concedo conſequentiã; effectuũ diverſi ordinis nego conſequentiã. Claret ſolutio ex dictis ad ſecundam probationem.

75 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Contra hanc noſtram ſolutionem replicat primo Ill. Godoy *num.* 8. nam eſtò infinita ordinis inferioris nequeant phyſice adæquare rem aliquã ordinis ſuperioris; in illa tamen, niſi phyſicè ſit infinita, phyſicè efficientèr contineri non poſſunt; aliàs ex continentia effectuũ ſine termino in Omnipotentia Divina non colligeretur eius infinitas, ſed ſolum, quod eſſet in ſuperiori ordine ad omnẽ rem creabilẽ conſtituta: ergo eſtò infinita ordinis inferioris in genere moris nequeant adæquare id, quod exiſtit in ordine ſuperiori; in illo tamen moraliter effectivè contineri non poterũt, niſi in tali genere ſit infinitum. Atqui ſatisfactio condigna pro culpis mortalibus ſyncathegorematicè infinitis continet effectivè moraliter remiſsiones peccatorũ ſine termino in infinitum: ergo non ſolum eſt ordinis ſuperioris ad offenſam mortalem, ſed etiam eſt in genere moris ſimpliciter infinita.

76 *Replicat 2.* Replicat ſecundo *n.* 9. nã ex noſtra ſolutione ſequitur, quod etiam ſi peccatum mortale ſit in ratione offenſæ moraliter infinitũ, non requiratur in ſatisfactione condigna pro illo, quod infinita ſit in genere moris, ſed ſolum quod in ſuperiori ordine ſit cõſtituta. Conſequens eſt contra omniũ Theologorũ ſententiam nullo excepto (ait Ill. God.) quem viderim: ergo ſolutio tradita eſt inſufficiens. Patet ſequela: res ordinis inferioris, etiam ſi infinita ſit, non poteſt in perfectione conſtitutũ in ordine ſuperiori, quamvis finitũ ſit, adæquare, v.g. albedo eſtò infinitè intendatur, ſi hoc ſit poſsibile, nõ adæquavit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in ſuperiori ordine eſt: ergo etiã ſi offenſa mortalis ſit moraliter infinita, non adæquabit dignitatẽ ſatisfactionis Chriſti finitã, ſemel dato, quod in ſuperiori ordine ſit, & cõſequentèr, ſi ex eo quod res ordinis inferioris non adæquet perfectionem rei ordinis ſuperioris, infertur, poſſe in illa contineri ſatisfactorie moraliter, eſtò offenſa infinitæ ſit gravitatis, poterit ſatisfactio Chriſti eſſe condigna pro illa, quamvis finita ſit in morali æſtimatione, per hoc ſolum, quod in ſuperiori ordine collocetur.

77 *Tertio.* Tertio replicat *n.* 10. nã etiã ſi actus ſupernaturales ſint ordinis ſuperioris ad omnẽ entitatẽ naturalẽ, & ad omne præmiũ naturale entitativè, non ſequitur, vnũ actũ ſupernaturalem eſſe condignũ meritum præmij naturalis ſine termino: ergo ſola ſuperioritas ordinis non ſufficit ad continentiam moralẽ ſyncathegorematicè infinitã rerũ exiſtentium in ordine inferiori.

78 *Quarto.* Replicat quarto *n. cit.* nam vt actio aliqua ſit ex ſe, & ex natura ſua cõdigna ſatisfactio pro iniuria, debet tanti æſtimari, & amari, quanti odio habetur iniuria; ſed peccata ſyncathegorematicè infinita ſunt digna odio ſine termino, & ſyncathegorematicè infinito: ergo ſolum illud opus erit de ſe, & ab intrinſeco ſatisfactio condigna pro culpis ſyncathegorematicè infinitis, quod de ſe, & ab intrinſeco ſit in finito amore dignum, & æſtimatione infinita; & conſequentèr, quod ſit infinitum in morali æſtimatione.

De-

79 *Quinto.*

Denique replicat contra nostram solutionem *num.*11.nam estò in physicis res ordinis inferioris nequeat adæquare id,quod in superiori ordine constitutũ existit,in moralibus autem hoc vniversalitèr verum non est: ergo dummodo valor satisfactorius operationum Christi infinitus simpliciter non constituatur, poterit offensarum multitudine, quamvis inferioris ordinis sint, moralitèr adæquari; & consequentèr extingui. Probat antecedens.nam licèt in physicis species inferior adæquare nequeat speciẽ superiorem, in moralibus autem id potest contingere quantum ad valorem, & æstimationem moralem,vt constat in actibus misericordię,& iustitię,qui specificè inferiores sunt ad actum Charitatis, & tamen plures actus repetiti misericordiæ,& iustitiæ,vel actus intensi, vt viginti, adæquare, imo & excedere, possunt in valore meritorio vnum actum Charitatis; peccatum etiam Charitati oppositũ est gravius specificè peccatis oppositis alijs virtutibus;& tamẽ peccata alijs virtutibus à Charitate oppositа sæpiùs repetita, vel intensissimo connatu patrata adæquare, & excedere possunt in gravitate demeritoria vnum peccatum cõtra Charitatem commissum: ergo,&c.

80 *Respondeo ad 1.replicam.*

Hæc sunt,quæ contra nostram solutionem adducit Ill.Godoy; cæterũ non obstant. Ad primam itaque replicã respondeo concesso antecedẽti, negando consequentiã,cuius disparitas claret ex dictis *n.*69.cum sequentibus, ex ibique dictis distinguo sussũptam:sed satisfactio condigna pro culpis mortalibus syncathegorematicè infinitis continet effectivè moralitèr remissiones peccatorũ sine termino in infinitum, quæ sunt diversi ordinis cum satisfactione concedo minorem; quæ sunt eius ordinis cum illa nego minorem,& consequentiam. Imò hac distinctione distingui valent antecedens consequensque huius replicæ.

81 *Instabis.*

Instabis pro Ill.Godoy:si ex continentia effectuum infinitorum non argultur infinitas in causa,quando effectus sunt diversæ rationis,non bene colligimus infinitatem Omnipotentiæ;sed hoc est falsum: ergo ex continentia effectuum infinitorum arguitur infinitas in causa, etiam si effectus sint diversæ rationis. Probatur maior: quia effectus contenti in Omnipotentia sunt etiam diversi ordinis: ergo,&c.

82 *Respondeo.*

Respondeo distinguendo antecedens:effectus contenti in omnipotentia sunt etiam diversi ordinis, & requirunt in Omnipotentia virtutẽ supræmi ordinis, vt adæquatã vim productivam illorũ concedo antecedens; & non requirunt in Omnipotentia virtutẽ supræmi ordinis, vt adæquatã vim productivam illorum nego antecedens. Itaque tunc solum arguitur infinita virtus in causa, quando effectus infiniti in illa contenti sunt in eodem ordine cum causa, vt cõvincit exemplum de portatione ponderis; vel si sunt diversi ordinis,requirunt in causa virtutem supræmi ordinis, vt adæquatam vim productivam illorum, & hęc est ratio colligendi infinitatem in Omnipotentia.

83

Ad rem igitur ex duplici tantum capite potest argui infinitas in satisfactione Christi. Prima ex eo, quod contineat remissiones peccatorũ sine termino, & ex hoc non; quia remissiones prędictę sunt satisfactiones puræ creaturæ, quæ sunt diversi ordinis, & longe inferioris. Secundo ex eo, quod sufficiat ad remittenda peccata infinita,& neque ex hoc: Tum,quia peccata sunt diversi, & inferioris ordinis. Tum,quia nõ postullant Christi satisfactionem, vt adæquatam sui compensationem, sed vt longè excedentem.

84 *Ad replicã 2.*

Ad secundam replicam respondeo concedendo assumptum, & miror Ill.Godoy dixisse:esse contra omnium Theologorum sententiam, nullo excepto, quem viderit, nam vltra hoc,quod id nos debemus asserere, & ex dictis asserimus, ex ipso contra ipsum probo,transcribẽdo verba ipsius. Ipse namque *n.* 9. sic probat assumptũ prædictum: *Res ordinis inferioris, etiam si infinita sit, non potest in perfectione constitutum in ordine superiori, quamvis finitum sit, adæquare, v. g. albedo, estò infinitè intendatur, si hoc sit possibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ, quia gratia in superiori ordine est: ergo etiam si offensa mortalis sit moralitèr infinita, non adæquabit satisfactionem Christi finitam, semel dato, quod*

in superiori ordine sit. Hæc Ill. Godoy, & ego non amplius, quia ipse fatetur, & probat, quod ipse dixit, in nullo videre.

85 *Ad 3. & 4.* Ad tertiam respondeo negando antecedens, si ille actus supernaturalis habet omnia requisita ad meritum, de quibus Augustin. *tract. de merito Christi.* Ad quartam distinguo minorem: sunt digna odio infinito extensivè concedo minorem; intensivè nego minorē, & distinguo similiter consequens, ex quo nihil contra nos; quia cum infinitate extensiva, stat finitas intensiva.

86 *Ad 5.* Respondeo denique ad quintam concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio est: nam tunc solū res inferioris ordinis possunt adæquare moraliter rem superioris ordinis, quando excessus non est valde notabilis, vt in exemplis ab Ill. Godoy adductis, & à nobis traditis *disput. antec. num.* 74. At; quando excessus est valde notabilis, nequeunt res inferioris ordinis adæquare moraliter rem superioris ordinis, vt patet de infinitis peccatis venialibus respectu mortalis. Cum ergo ita sit in præsenti, nunquam Christi satisfactio poterit adæquari, vel extingui multitudine offensarum.

87 *Retorqueo argum. 1.* Et vt hæc doctrina appareat certa, retorqueo primo argumentum contra Ill. Godoy: vnum infinitum ordinis superioris excedit plura infinita ordinis inferioris, imo, & infinita ordinis inferioris sine termino in infinitū: ergo pariter: vnum finitum superioris ordinis excedere poterit plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum; & consequenter quamvis satisfactio Christi sit moraliter finita, per hoc solum, quod superioris ordinis sit ad offensam mortalem, poterit excedere in morali æstimatione multitudinem peccatorum mortalium sine termino in infinitum; ac proinde tali multitudine exhauriri numquam poterit. Consequentia teneri videtur à paritate rationis. Antecedens autem probatur: etenim in sententia Ill. Godoy, offensa irrogata Deo est infinita moraliter, & tamen quia satisfactio Christi est in superiori ordine, & in illo infinita simpliciter, vna actio Christi Domini est superabundans satisfactio pro omnibus peccatis hominum, etsi in infinitum multiplicentur: ergo vnū infinitum ordinis superioris excedit infinita ordinis inferioris sine termino in infinitum.

88 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 13. concesso antecedenti, negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam eo ipso, quod actio aliqua sit infinita simpliciter in ratione meriti, & in ratione satisfactionis, debet habere virtutem meritoriam omnis præmij possibilis, & satisfactoriam pro omni possibili offensa; alias non erit infinita simpliciter, sed solum secundum quid. Cum ergo satisfactio Christi sit in ratione satisfactionis simpliciter infinita, fit consequens, vt æquivaleat infinities infinitæ multitudini peccatorum, quod autem finitum est, estò in superiori ordine constituatur, non potest non habere virtutem meritoriam, & satisfactoriam finitam; vnde sicut hac ratione non potest extendi ad præmia sine termino promerenda, etiam si inferioris ordinis sint, ita nec extendi potest ad satisfaciendum pro offensis sine termino in infinitum, nec illis æquivalere in morali æstimatione, quamvis offensæ inferioris ordinis sint.

89 *Contra 1.* Contra primo: vnum finitum ordinis superioris excedere potest plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum: ergo tenet paritas, & consequenter solutio data nulla est. Probatur antecedens: plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine contenta sine termino in infinitum, non sunt plusquam infinitum; sed vnum finitum ordinis superioris excedere potest infinitum ordinis inferioris: ergo, &c. Consequentia est evidens. Maior notoria videtur; quia non est aliud vltrà infinitum. Minor, in qua potest esse difficultas, concessa habetur ab Ill. Godoy *num.* 9. vt patet ex dictis *num.* 75.

90 *Contra 2.* Contra secundo: multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum non obest, vt vnū infinitum ordinis superioris excedat omnia illa infinita: ergo multiplicatio finitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum non obest, vt vnum finitum ordinis superioris excedat omnia illa finita. Antecedens

est

est III. God. Consequentia probatur: ita se habet respectu vnius infiniti ordinis superioris multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitū, ac respectu vnius finiti ordinis superioris multiplicatio finitorū ordinis inferioris sine termino in infinitū, vt liquet ex terminis; sed iuxtà concessa multiplicatio infinitorum ordinis inferioris sine termino in infinitum, non obest, vt vnum infinitum ordinis superioris excedat omnia illa infinita: ergo, &c.

91 *Contra 3.* Contra tertio, & vrgetur: ita se habet infinitum ordinis superioris respectu infiniti ordinis inferioris, ac finitu ordinis superioris respectu finiti ordinis inferioris; atqui quamtumvis multiplicentur infinita ordinis inferioris, exceduntur ab infinito ordinis superioris: ergo quantumvis multiplicentur finita ordinis inferioris, exceduntur à finito ordinis superioris: ergo vera est paritas retorsionis factæ, scilicèt, quod si vnum infinitum ordinis superioris excedit plura infinita ordinis inferioris, imo & infinita ordinis inferioris sine termino in infinitum; etiā vnū finitum ordinis superioris excedere potest plura finita ordinis inferioris, & omnia in tali ordine cōtenta sine termino in infinitum.

92 *Retorqueo 2.* Retorqueo secundo contra III. Godoy: quia peccatum mortale est in ordine superiori ad peccatū veniale, non possunt peccata venialia, etiam si infinite multiplicētur, adæquare gravitatem vnius peccati mortalis: ergo eo ipso, quod offensa mortalis sit in ordine inferiori ad satisfactionem Christi, non poterunt omnes offensæ mortales, etsi in infinitū augeantur, adæquare in gravitate dignitatē vnius actus satisfactorij Christi; & cōsequentèr, vt vna gutta sanguinis Christi, & vna Christi operatio æquivaleat offensis mortalibus sine termino in infinitum, & vt multitudine peccatorū exhauriri numquam possit, non est necessarium, quod satisfactio Christi sit infinita simplicitèr, sed sufficit, quod in superiori ordine sit constituta respectu offensæ mortalis.

93 *Respondet III. Godoy.* Respondet III. Godoy *num.* 17. negando causalem maioris, vt adæquatam; nam bonum famæ superioris ordinis est ad bona fortunæ; & tamen possunt bona fortunæ adeò crescere, adeòque multiplicari, vt excedant in morali æstimatione bonū famæ vnius hominis; & actus misericordiæ, vel iustitiæ respectu actus Charitatis inferior est specificè, & tamē potest actus misericordiæ adeò intendi, vt in ratione meriti actum Charitatis excedat in sententia non alligante præmiū essentialis beatitudinis solis actibus Charitatis; & furtum, v. g. quod respectu odij Dei est inferius specificè, potest adeò ex alijs capitibus crescere, vt odium Dei in ratione demeriti excedat: quod ergo omnia peccata venialia nequeant adæquare in morali æstimatione vnum peccatum mortale non est præcisè, quia peccatum mortale est in ordine superiori, sed quia peccatum veniale, vtpotè levis offensa, non potest adeò crescere intensione, aut multitudine, vt Deo displiceat simplicitèr, sed tantū secundū quid; & consequentèr remanens intrà limites peccati venialis nō potest tollere gratiam, nec amicitiā Divinā; alias transiret ad rationē peccati mortalis; peccatū autē mortale simplicitèr displicet Deo, & peccata mortalia sine termino in infinitum displicent infinitè simplicitèr, ideoque obsequium infinitè simplicitèr non placens, & non placens sine termino non potest æquivalere offensis mortalibus sine termino in infinitum. Ex quo fit, vt nisi satisfactio Christi Domini sit placens Deo infinitè simplicitèr, & cōsequentèr simplicitèr infinita in morali æstimatione, esse non posse condigna pro culpis mortalibus sine termino in infinitum, nec illis æquivalere.

94 *Contrà.* Contra: ideò iuxtà solutionem non possunt peccata venialia, etiam si infinitè multiplicentur, adæquare gravitatem vnius peccati mortalis, quia peccatum veniale, vtpotè levis offensa, non potest adeò crescere intensione, aut multitudine, vt Deo displiceat simplicitèr. Sussummo nunc: atqui hic est excessus valde notabilis inter peccatum veniale, & mortale: ergo ideò non possunt peccata venialia, etiam si infinitè multiplicentur, adæquare gravitatem vnius peccati mortalis, quia inter peccatum veniale, & mortale est excessus valdè notabilis. Sussummo iterum: atqui hæc est nostra so-

ſolutio *num.* 85. tradita ad replicam quintam Ill. Godoy: ergo vera eſt data ſolutio, & conſequentèr replica illius nulla eſt.

95 Solum itaque reſtat ad efficatiam huius replicæ, & totius noſtræ doctrinæ contra Ill. Godoy, quod intèr ſatisfactionem Chriſti, & offenſam ſit exceſus valde notabilis, quod ipſe negare non poteſt: nam iuxtà ipſum aſſerentem: Chriſti ſatisfactionem, & offenſam eſſe ſimplicitèr infinitam, ita infinita offenſa diſtat ab infinita Chriſti ſatisfactione, quod etiam ſi infinitè multiplicentur offenſæ, numquam poſſunt adæquare valorem ſatisfactionis Chriſti, hæc namque ſemper eſt in ſuperiori ordine, & ſuperabundans pro omnibus offenſis hominum. Si ergo hoc aſſerit Ill. Godoy conſequentèr ad illius principia; ad noſtra etiam conſequentèr aſſerimus: ita finitam offenſam diſtare à finita Chriſti ſatisfactione, quod etiam ſi in infinitum multiplicentur offenſæ, numquam adæquare valebunt valorem ſatisfactionis Chriſti, quia ſemper hæc eſt in ſuperiori ordine, & ſuperabundans pro omnibus offenſis hominum; datur enim inter ſatisfactionem Chriſti, & offenſam exceſus valde notabilis, vt ex dictis claret.

96 *Retorqueo* 3. Retorqueo tertio contra Ill. Godoy: etſi ſatisfactio ſit ſimplicitèr infinita, poteſt adæquari, imò excedi à multitudine offenſarum: ergo nec ſuperabundans erit, nec condigna, contra ipſum, & omnes. Probatur antecedens: res inferioris ordinis poſſunt adæquare, imo excedere rem ſuperioris ordinis; ſed offenſæ ſunt tãtum inferioris ordinis reſpectu ſatisfactionis Chriſti: ergo, &c. Maior in terminis traditur ab Ill. Godoy impugnando noſtram ſolutionem *num.* 11. ab ipſoque tàm *num. cit.* quàm *num.* 17. exemplis probatur. Minor eſt evidens. Cõſequentia ſine dubio legitima. Reſpondeat Ill. Godoy, & pro nobis contra ſe reſpondebit.

§. VII.

Occurritur tertio argumento Ill. Godoy.

97 *Arguit* 3. ARguit tertio Ill. Godoy *num.* 18. ratione, qua vſus eſt D. Thom. *quodlibet* 2. *quæſt.* 2. *artic.* 2. creſcit enim ſatisfactionis dignitas ad incrementum dignitatis perſonæ ſatisfacientis; quo circa diſcoopertio capitis à Rege facta in recompenſationem iniuriæ alicui irrogatæ pluris æſtimatur, quam genuflexio viri nobilis Regiam dignitatem non attingentis, & illius humiliatio pluris habetur humiliatione Plebeij, quia Rex equitem, & eques Plebeium ſuperant in perſonali dignitate. Cuius ratio eſt: nam licèt perſona operans non ſit principium *quo* operationum; eas tamen operatur vt *quod*, iuxtà communem Philoſophorum ſententiam aſſerentium: actiones eſſe ſuppoſitorũ, ſeu ſubſiſtentium, non ſolum denominativè, ſed etiam effectivè, & elicitivè, vt *quod*; ſed dignitas perſonæ Chriſti ſatisfacientis eſt ſimplicitèr infinita: ergo ſatisfactio Chriſti accipit ab illa infinitam dignitatem ſimplicitèr, & valorem ſatisfactorium ſimplicitèr infinitum.

98 *Reſpondeo.* Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo maiorem: dignitas ſatisfactionis creſcit ad dignitatem perſonæ ſatisfacientis arithmethicè, ſeu ad æqualitatem nego maiorem; geometricè, & ſecundum proportionem concedo maiorem, & conceſſa minori, nego conſequentiam. Ad probationem nego antecedens, quia in noſtra opinione nihil certiùs, quã quod actiones ſunt ſuppoſitorum denominativè tantum; formalitèr verò, & elicitivè ſunt ſingularium, vt latè defenſabimus in quæſtionibus ſelectis. Itaque licèt certum ſit, ſatisfactionem creſcere ex dignitate perſonę ſpeciali modo, & pluſquam obiectivè, nunquam tamen creſcit ad æqualitatem, ideòque non valet inferre: perſona eſt infinita ſimplicitèr: ergo, & ſatisfactio. Solum enim creſcit ſecundum proportionem, ex quo ſolum deducitur infinitas ordinis, & negativa, vt dictum eſt.

99 *Ratio ſolutionis.* Ratio huius eſt: quia valor ſatisfactionis non oritur ex ſola perſonę dignitate, ſed etiam ex alijs circunſtantijs, ſcilicèt, ex intẽſione operis, libertate, duratione, loco, obiecto, & alijs; atqui hæc ſunt finita, & limitata: ergo limitationem cauſant in opere; ergo opus ab his omnibus egrediens nõ eſt ſimplicitèr infinitũ. Maior, & minor ſunt

cer-

certæ. Secunda consequentia legitima. Prima verò claret ex regula illa vniversali, quam posſui *num.* 3. pro prima probatione.

100 *Insurgit Ill. Godoy* 1. Contra hanc solutionē insurgit primo Ill. Godoy *n.* 20. ad hominē contra nos: ex eo, quod offensa non crescat arismethicè ad incrementū dignitatis personę offensæ, sed solū geometricè, inferimus, puram creaturā posſe pro illa condignè satisfacere: ergo satisfactio à pura creatura exhibita potest adæquare gravitatē offensæ. Tunc sic: ergo si satisfactio non crescit arismethicè, sed tantū geometricè ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis, poterit adeò crescere satisfactio purę creaturæ, vt adæquet satisfactionem Christi. Probatur hæc consequentia: si distantia personæ offensę à persona creata satisfaciente nō obstat, quo minus satisfactio adæquare posſit gravitatē offensæ: ergo nec distantia personæ Christi satisfacientis à persona satisfaciēte creata poterit impedire, quo minus satisfactio creaturę adæquare valeat Christi satisfactionē, siquidē nec persona Christi, nec Divina offensa tribuūt infinitatē in opere.

101 *Respondeo.* Respondeo ommittendo antecedens, & consequentiā primam. Nego secundā, & eius probationem, quia intèr satisfactionem Christi, & satisfactionem puræ creaturæ est maior distantia, quā intèr offensam, & satisfactionem puræ creaturæ, vt clarebit ex dicendis disputatione sequenti, dum satisfactionē Christi esse superabundantem probabimus; vndè non valet paritas: satisfactio puræ creaturæ potest adæquare gravitatem offensæ: ergo & Christi satisfactionem; quia non est eadem distantia.

102 *Retorqueo replicam.* Et vt videat Ill. Godoy retorsionē contra nos esse retorsionē contra ipsum, retorqueo: ex eo, quod satisfactio puræ creaturæ posſit adæquare gravitatem offensę, non sequitur, posſe adæquare Christi satisfactionē: ergo ruit replica. Probatur antecedens: gravitas offensæ iuxtà Ill. Godoy nequit adæquare satisfactionem Christi; alioquin hęc nō esſet superabundans: ergo ex eo, quod satisfactio purę creaturæ posſit adæquare gravitatem offensæ, non sequitur, posſe adæquare satisfactionem Christi. Respondeat ipse, & erit pro nobis solutio.

103 *Insurgit* 2. Secundo insurgit Ill. Godoy contra prædictam nostrā solutionem *n.* 21. nā vel persona Christi satisfaciens præstat se ipsa immediatè dignitatem, aut valorem satisfactioni à se exhibitæ; vel non? Si primum: præstat illi infinitum valorē. Si secundum: dare nequit valorem inexequabilē à satisfactione à pura creatura exhibita: ergo vel fateri debemus, opera Christi Domini esse valoris satisfactorij simplicitèr infiniti, vel negare tenemur, quod gaudeant valore inadæquabili à satisfactione præstita à pura creatura. Minor pro prima parte patet: inde namque inferimus, personam, esto infinita sit, non valorare infinitè operationes, quia in illas immediatè non influit, sed medio principio finito *quo*: ergo si aliquam dignitatem, vel valorem se ipsa immediatè communicat operi satisfactorio, cessat ratio limitationis, & consequentèr communicabit illi dignitatem infinitam, & infinitum valorem.

104 Deinde eadem minor pro secunda parte probatur ab ipso: nāprincipium *quo* mediante persona Christi influit dignitatem in opera, est eiusdē rationis cum principio *quo* satisfactionis præstitæ à pura creatura, nempè, gratia habitualis, quę licèt in gradu intēsiori communicata fuerit humanitati Christi, quā alijs; potuit tamen de potentia absoluta in eadem intensione, & in maiori creaturæ communicari: ergo si persona Christi nullum valorē præstat operibus humanitatis immediatè se ipsa, sed omnem cōmunicat mediante principio *quo* limitato, & finito, nullus valor reperitur in illis, quem opus à pura creatura elicitum adæquare non posſit de potentia Dei absoluta: si, vt potest, Deus communicet puræ creaturæ gratiam æquè intensam cum illa, quam de facto præstitit humanitati Christi.

105 *Respondeo.* Respondeo: quod persona Christi influit immediatè moralitèr in operationes illius, quatenùs persona operans moralitèr est quasi forma propriæ operationis; cæterum non sola persona influit immediatè, sed aliæ circunstantiæ enumeratæ *n.* 98. ideòque, vt ibi dixi, satisfactio Christi nō est simplicitèr infinita. Ex quo in for-

ma distinguo primã partem maioris: persona Christi satisfaciens præstat se ipsa, & sola immediatè dignitatẽ, aut valorẽ satisfactioni à se exhibitæ nego maiorem; præstat se ipsa, & non sola concedo maiorem; & nego minorem, quia vt persona Christi præstaret satisfactioni valorẽ infinitũ, debebat se sola immediatè prẽstare valorẽ, quin aliud finitũ immediatè præstaret, quod non habet ex dictis *n. cit.*

106 *Insurgit 3.* Insurgit tertio contra allatam solutionem *n.* 23. persona operans significat proprias operationes: ergo si est infinita, infinitã dignitatem illiscommunicabit, si vnde limitetur non habet; sed persona Verbi est infinita, & non habet à quo limitetur: ergo prẽstat operibus infinitã dignitem. Antecedens est certum: nam operationes Regis Regiam ab ipso capiunt dignitatem, & operationes Christi Theandricæ, & Dei viriles à Patribus appellantur. Consequẽtia est legitima. Minorem verò probat discurrendo per triplex caput, à quo possit provenire limitatio; sed quia quantũ ad nos attinet primũ est solum ad rem, ommissis duobus, probatur minor: limitatio principij *quo* elicientis operationes non limitat influxum personæ: ergo persona Verbi est infinita, & non habet à quo limitetur. Probatur antecedens: principium *quo*, etsi eliceat entitatem operationum, dignitatẽ verò a persona operante sumendã nõ elicit, nec efficienter causat: ergo limitatio principij *quo* elicientis operationes non limitat influxum personæ.

107 *Respondeo.* Respondeo negando minorem, & antecedens probationis, vt constat ex toties dictis. Ad probationem concedo antecedens, & nego consequentiam; quia licèt principium *quo* non causet dignitatẽ à persona proveniẽtem; causat dignitatem provenientẽ ab ipso, quæ cum infinita sit, limitationem causat in Christi satisfactione ob primã rationem nostrę conclusionis, & ex pluries dictis. Hęc sunt ab Ill. Godoy adducta, quę soluta, & impugnata manent, quin in hoc amplius immorari liceat; tum: quia in reliquis ab ipso adductis nõ dissentimus; fatemur namque cum ipso: personã Verbi valorare Christi operationes, quid quid sit de conceptu, sub quo valorat, quod ad finitatem, vel infinitatem in satisfactione inferendam non conducit. Tum: quia duo corollaria, quæ tradit, contra nos non militant, vt liquet ex ipsis. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *locis* vbi disputatio præcedens.

DISPVTATIO QVARTA.

An Christi satisfactio fuerit de se sufficiens pro peccatis omnium hominum?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ.

Num. 1 *Suppono 1.* SVppono primo: quod in actionibus Christi tria reperiuntur, scilicèt: valor, meritum, & satisfactio. Hæc vltima duo differunt propriè loquendo: nam meritum dicit ordinem ad mercedem; satisfactio verò ad iniuriam compensandã. Meritum respicit commodum eius, qui meretur; satisfactio autem honorem, & recompensationem eius, cui fit, & offertur. Valor verò est invtroque, & ferè coincidit. Imò meritum, & satisfactio non solum differunt, sed etiam separari possunt; quia potest dari satisfactio ita pura, quæ rationem meriti non includat, & est illa, quæ per se ipsam extinguit debitũ, vt qui restituit pecuniã ablatam, incuius restitutione nulla includitur ratio meriti. Satisfactio verò, quæ simul est meritoria, est illa, quæ per se ipsam formalitèr debitum nõ extinguit, sed meretur aliquid, per quod extinguatur, & talis est quæcumque Christi satisfactio; nã

per

per ipsā Christus nobis meruit gratiā sanctificantem, per quam formaliter extinguitur peccatum; vndè actiones Christi esse meritorias, & simul satisfactorias respectu nostri, est manifestū

2 Suppono secundo: Christum satisfeciſſe pro peccato generis humani, cuius oppositū sentiunt Iudæi credentes: Christum non animarum, sed corporum tantum esse Redemptorem, & etiam Pelagiani, qui negantes culpam originalem, redemptionē consequētèr negabant, & denique alij, qui peccatum originale admittentes, negant tamen Christum nos à iugo, & seruitute Diaboli liberasse. Hos omnes cōtra fidē errasse, pluribus claret Scripturę testimonijs, sed hęc duo sufficiāt. Primum est Psalm. 106. *Dicant nunc, qui redempti sunt à Domino, quos redemit ex manu inimici.* Secundum est D. Pauli ad Titum 2. *dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Accedat etiā Trid. *Sess. 6. cap. 2.* vbi hoc est diffinitū.

3 Suppono tertio: Christum satisfeciſſe pro peccatis hominum, non solū quoad culpam, sed etiam quoad pœnam illorum peccatis debitam. Hoc claret ex Isaia 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Ratio est: nam Diabolus in pœnam peccati potestatē accipit deducendis homines in infernum; sed ab hac pœna liberantur per Christi satisfactionem: ergo Christus satisfecit pro peccatis hominum, non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnā peccatis illorum debitam. Nec ex hoc licèt inferre cū Luthero, & alijs Hæreticis, nullam propriam satisfactionem esse nobis necessariam, quia Christus pro nobis quoad culpam, & pœnam satisfecit. Non inquam licèt; quia Christus pro nobis obtulit suam satisfactionē, non excludendo satisfactionem nostram, sed voluit, quod non alitèr sua satisfactio adultis prodesset, nisi illorum etiā satisfactio intercederet, cuius insufficientia per abundantiam satisfactionis Christi suppletur.

4 Suppono quarto: Christi satisfactionem fuiſſe absolutè sufficientem, imò & superabundantem, abstrahendo à modo, scilicèt, an id habuerit ex natura sua, seu ab intrinseco, vel an ex acceptatione extrinseca, & pacto Dei. Hoc claret ex Psalm. 129. *Et copiosa apud eum redemptio* Et ad Romanos capit. 5. *Vbi abundavit delictum, superabundavit, & gratia.* Nec oppositū tenūt Durādus, vt ait Ill. Godoy in præsenti *n.* 3. licèt hoc ipsi ab aliquibus imponatur.

5 Suppono denique quinto, vt loquamur de modo, de quo est difficultas: quod sicut meritum ex Scoto *quolib. 17. §. de secundo dico*, duplicem dicit relationem rationis, vnam ad voluntatem Dei, vt acceptantis; & alteram ad bonum, pro quo acceptatur; ita similitèr: satisfactio dicit duplicem relationem. Vnam ad debitum, pro quo fit; & alteram ad personam, cui fit. Hac suppositione facta clarissimè resolvetur difficultas.

6 In qua duplex circunfertur Theologorū sententia. Prima docet: Christi satisfactionem ex se, & ab intrinseco non fuiſſe sufficientem pro peccatis hominū, sed solum esse condignā ex acceptatione Divina. Hæc opinio tribuitur Scoto *in 3. dist. 19. quæst. 1. §. in ista quæstione. Et in 4. dist. 15. quæst. 1. §. quantum ad istum*, pro ipsaque Ill. Godoy *n.* 4. citat Fabrum, Radam, & Castillo, aitque esse discipulis Scoti communem, licèt dubitet: an acceptationem requirant ad æqualitatem satisfactionis Christi cum remissione culpæ; an solum in ordine ad Deum efficacitèr obligandum.

7 Vera tamen sententia distinguit conformitèr ad dicta *num.* 5. & docet: quod satisfactio, vt dicit relationē ad debitum peccatorum, est ex se ab intrinseco, & ex natura sua indenpendentèr à pacto, & Divina acceptatione, condigna, sufficiens, & superabundans pro peccatis omnium hominum non solum futuris, quæ finita sunt; sed etiam si in infinitum forent multiplicanda. Vt verò satisfactio dicit relationem ad personam, cui fit, est condigna, sufficiens, & superabundans ex Divina acceptatione duntaxàt. Sic Scotus suprà citatus ab Ill. Godoy, quam sententiam ipse etiam tenet *n.* 5. cum D. Thoma ab ipso citato.

8 Hæc sententia alijs terminis ab aliquibus explicatur: dicunt enim, quod satisfactio Christi ex se, & ab intrinseco est condigna in actu primo independentèr à Divina acceptatione; nō verò in actu secundo; ideſt, actu obligante Deum ad remittendam offensā.

Sic

Suppono 2.

Suppono 5.

1. Sētentia.

2. Sētentia.

D. Thom.

Scotus.

Ill. Godoy.

Sic Mastrius *in 3. disp. 4. quæst. 3.* Et Ill. Godoy *n. 4. & 6.* satisfactio in actu primo est satisfactio, vt dicit relationem ad debitum; satisfactio verò in actu secũdo est satisfactio, vt dicit retionẽ ad personã, seu creditorẽ; vndè synonoma sunt, & pro eodẽ vsurpatur.

9 Licèt autem cum Ill. Godoy in opinione conveniamus, quia dissidium inter Doctores non est; ab ipso tamen in duobus dissentimus. Primo: in eo, quod Scotum pro prima opinione citet, & Scotistas aliquos id asserere sentiat. Secundo: in ratione, qua probanda est superabundantia satisfactionis Christi. Vndè ad vtrũque investigandũ, vtrũque est resolvendũ. Sit igitur.

§. II.

Satisfactionem Christi fuisse ex se, secluſſa extrinseca acceptatione in actu primo condignam, authoritate Scripturæ, & Scoti, ratione-que probatur.

10 1. *Conclusio* SIt prima conclusio: *Satisfactio Christi, vt dicit relationem ad debitum, est ex se, & ab intrinseco independenter à Divina acceptatione condigna pro peccatis* (seu quod idem est) *est in actu primo condigna.*

Prob. 1. ex Scriptura. Probatur primo conclusio ex Scriptura: nam Psalm. 119. dicitur: *Copiosa apud eum redemptio.* 1. Corinth. 6. *Empti estis pretio magno.* Ad Hæbreos 9. *Exauditus est pro sua reverentia*, vbi legunt Ambros. *de Incarnat. cap 6.* & Chrisost. *hom. 9 ad Hæbreos: Exauditus est propter suam dignitatem.* Ad Romanos 5. *Gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundavit.* Ex quibus verbis rationem pro conclusione conficit Ill. Godoy *num. 6.* quam in ipso videndam relinquo, & alias Scripturæ authoritates ommitto.

11 *Si dicas. Contra 1.* Si autẽ dicas: hæc; & alia loca intelligi suppositа Divina acceptatione. Cõtra primo: si Christi satisfactio non esset condigna ex se, & ab intrinseco, peccatũ Adami excederet in condigtate satisfactionem Christi; sed hoc est falsum ex locis allegatis: ergo satisfactio Christi est condigna ex se, & ab intrinseco secluſa acceptatione Divina. Probatur maior: peccatum Adami ex se, & ab intrinseco condignè infecit totam naturam: ergo, &c. Probatur consequentia: quod ex se condignum est, excedit in condignitate illud, quod ex se condignum non est; sed per te peccatũ Adami ex se, & ab intrinseco cõdignè infecit totã naturã: ergo, &c.

12 *Replicabis. Contra 1.* Nec dicas: peccatum Adami non ex se, sed ratione peccati infeciſſe totam naturam. Nam incontrarium obest: quia pactum Dei cum Adamo non dedit condignitatem peccato: ergo ex se, & ab intrinseco peccatum Adami infecit totam naturam. Probatur antecedens: Pactum Dei cũ Adamo solum fuit necessarium, vt voluntates posterorum continerentur in illius voluntate, vt in capite morali: ergo pactum Dei cum Adamo non dedit condignitatem peccato.

13 *Contra 2.* Contra secundo: si Christi satisfactio ex se, & ab intrinseco secluso pacto non esset condigna, nullo modo esset necessaria Incarnatio; sed hoc est falsum: ergo satisfactio Christi ex se, & ab intrinseco est condigna secluſa acceptatione. Probatur maior: per pactum opera puri hominis essent etiam cõdigna ad satisfaciendum: ergo, &c.

Contra 3. Contra tertio satisfactio Christi fuit perfecta; alioquin non esset copiosa; sed si ex se, & ab intrinseco secluso pacto non esset condigna esset imperfecta: ergo est condigna ex se, & ab intrinseco secluso pacto. Probatur minor: satisfactio condigna ex solum Dei acceptatione est imperfecta in ratione satisfactionis: ergo, &c. Probatur antecedens: solutio condigna ex solum acceptatione creditoris est imperfecta in ratione solutionis, nam non solvit æquale debitọ ex se, & ab intrinseco: ergo paritèr.

Contra 4. Contra quarto: si Christi satisfactio ex se, & ab intrinseco secluso pacto non esset condigna, nec posset dici *copiosa*, nec nos diceremur: *Empti pretio magno*; sed hoc est contra Scripturam: ergo est condigna. Probatur maior: ex pacto, & Dei acceptatione quçlibet operatio hominis, adhuc minima, esset cõdigna, & quçlibet res posset hoc modo dici pretiũ magnũ: ergo, &c.

14 *Prob. 2 conclusio ex Scoto.* Probatur secundo conclusio: ex Scoto *in 3. dist. 19. cit.* vbi loquendo de merito, & satisfactione Christi ait: *Quod si illud meritum esset alterius personæ*, scilicèt, creatæ, *tunc, nec ratione operis, nec ratione operantis fuisset congruitas acceptationis illius pro infinitis*: ergo Christi satisfactio ratione personæ habuit cir-

cunſ-

cunstantiam infinitam: ergo independēter à peccato fuit condigna ex mēte Scoti. Itē: Doctor Subtilis *in 3. dist. 20. cit. litt. F.* hoc idem probat ex illo Psalmi: *Copiosa apud eum redemptio.* Deindè *in 4 dist. 15. quæst. 1. §. quantum ad istum*, ait: *Non dispossuit Deus sibi reconciliare inimicum, nisi per obsequium magis gratum, quam offensa eius erat sibi displicens, & tale obsequium eius est passio Christi, & meritum eius*: ergo ex Scoto satisfactio Christi ex se, & ab intrinseco est condigna pro peccato generis humani independentèr à Divina acceptatione.

15 *Prob. 3 cōclusio ratione.*

Probatur tertio conclusio ratione: satisfactio ex se adæquans gravitatem offensæ est condigna ab intrinseco; sed talis est Christi satisfactio: ergo ex se, & ab intrinseco est condigna pro peccato generis humani independentèr à Divina acceptatione. Probatur minor: valor satisfactionis crescit ex dignitate personæ satisfacientis, sicut gravitas offensæ ex dignitate personæ offensę: ergo quantū ex partę personę offensæ crescit gravitas offensæ, tantū ex parte personæ satisfacientis crescit satisfactio Christi: ergo satisfactio Christi est condigna ab intrinseco. Antecedens est certum. Prima consequētia patet ex eo, quod vtraque persona, offensa, scilicèt, & satisfaciens, est infinita. Secunda legitimè infertur.

§. III.

Argumenta ex Scoto deducta, & alia, quæ contra conclusionem militant, solvuntur.

VIsso iam: conclusionem suprà positam esse expræssè de mente Scoti, in quo ab Ill. Godoy discedimus, vt magis hoc claresçat, quæ ex ipso oppoñi possunt, & alia, quæ contra conclusionē militāt, solvenda veniūt, etsi intentū operis ad hoc nō obliget.

16 *Arguit 1.*

Arguitur itaque primo: meritum ex Scoto consistit in acceptatione; nam *in 3 dist. 19. §. in ista quæst.* ait: meritum esse tale, quia acceptatū; non verò acceptatum, quia meritum; & hac ratione tenet *in 4. dist. 15. quæst. 1. §. quantum ad istum* purum hominem per gratiam Dei potuisse satisfacere Deo ad æqualitatem ex acceptatione Dei: ergo Divina acceptatione secluśa Christi satisfactio non est ex se, & ab intrinseco condigna. Respondeo primo: Scotum loqui de merito, & satisfactione in actu secundo, seu vt dicit relationem ad personam; nō verò in actu primo, seu vt dicit relationē ad debitum, de quo dixi *n. 5. & 8.* Et quod hæc sit mens Scoti patet primo: nam ex eisdem locis cōtra nos obiectis probavi ex Scoto conclusionem, vt claret ex *num. 14.* Secūdo: quia Scotus nunquam dixit: Divinam acceptationem esse totale meriti constitutivum; sed esse meriti complementū. Respondeo secundo: Scotū loqui de acceptatione habituali, quę est ipsa gratia habitualis; no autē loqui de acceptatione actuali, quæ est pactū, & de qua hic loquimur. Hoc pro nunc sufficiat; latiùs verò de hoc agere ad tractatū de merito pertinet.

Respondeo 1.

Respondeo 2.

17 *Arguit. 2.*

Arguitur secundo: nam Scotus *in 3. cit.* valorem satisfactionis Christi ex circunstantia personę vocat congruitatem, & posteà accedente Divina acceptatione vocat condignitatē: ergo condignitas ex Scoto oritur ex acceptatione. Respondeo: Scotum vocare congruitatem, & non condignitatē, quia stante toto valore, & dignitate satisfactionis Christi non obligatur Deus ad concedendum id, ad quod valebat Christi satisfactio, quia hæc obligatio in Deo solum oriri potest ex sua acceptatione.

Respondeo.

18 *Arguit. 3. Respondeo.*

Arguitur tertio: satisfactio Christi apud Scotum non fuit perfecta, & riguroſa: ergo nec condigna. Explico Scotum: satisfactio Christi non fuit perfecta, & riguroſa per exclusionem misericordiæ, & gratiæ creditoris cōcedo; ratione æqualitatis cum debito nego; ex quo solum sequitur: Christi satisfactionē nō fuisse ex toto rigore iustitię, quia intervenit gratia creditoris, vt cōstabit *disput. sequent.* non verò non esse condignam, & æqualem debito, de quo agimus in præsenti.

19 *Arguit. 4.*

Arguitur quarto: satisfactio solum crescit ex dignitate personæ satisfacientis, quando persona est intrinsica, & propria naturæ; sed in Christo persona est extrinseca, & adventitia humanitati: ergo Christi satisfactio non crescit ex dignitate personæ satisfacientis, quando persona est intrinsica, & propria naturæ: ergo Christi satisfactio non est ex se condigna pro peccatis. Respondeo negando maiorem; quia suppositum Divinum gerit

Respondeo.

Respondeo 1.

vi-

vices creati, ideòque actiones Christi ita tribuuntur suppositò Divino, sicut tribuerentur creato, si humanitas in ipso subsisteret.

20 *Arguit. 5.* Arguitur quinto: si Christi satisfactio esset condigna, ita digna esset: vt si Deus gloriam conferret omnibus hominibus, & omnia peccata remitteret, adhuc ad hoc esset condigna satisfactio; sed Deus gloriam non omnibus confert, nec omnia peccata remittit: ergo ideò est, quia satisfactio Christi non est condigna. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: adhuc ad hoc esset condigna in actu primo, seu vt dicit relationem ad debitum concedo maiorem; in actu secundo, seu vt dicit relationem ad personam nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similiter consequens.

Explicatur Itaque dignitas, & æqualitas pretij est quid distinctum ab acceptatione, vt dictum est, & claret hoc exemplo: nam centum aurei condigni sunt, imò & superabundantes ad emendā vnam vinam pani, & tamen indiget acceptatione; nam si Dominus pani nolit, nō tenetur dare. Sic similiter in Christi satisfactione. Ipsa namque condigna, & superabundans est, vt omnibus conferatur gloria, & peccata omnia remittantur; cæterum indiget acceptatione, vt Deus hoc faciat; nam si nolit, non tenetur, & hæc est ratio, cur Christus non meruit quoad efficatiam omnibus gloriam, imo nec Dœmonibus, nec damnatis, nec pro eis satisfecit, quia, scilicèt, Deus non ordinavit Incarnationem, & opera Christi ad hunc effectum.

21 *Arguit. 6. Antecedens prob. 1.* Arguitur sexto: maior est gravitas peccati, quam dignitas satisfactionis Christi: ergo Christi satisfactio nō est ex se condigna pro peccatis. Probatur antecedens primo: peccatum est contra Deum secundum naturā Divinam; satisfactio verò est à Christo secundū naturam humanā; sed natura Divina *Secundo.* est infinitè superior, & humana infinitè inferior: ergo, &c. Probatur secundo: peccatum est contra Deum in natura, & in persona infinitum; sed Christus in natura humana, in qua satisfaciebat, est finitus: ergo, &c. Probatur *Tertio.* tertio idem antecedens: peccatum meruit condignè in actu primo carē tiam vnionis humanitatis ad Verbū; sed opera Christi, nec in actu primo merentur vnionem humanitatis ad Verbum; quia principium meriti nequit cadere sub merito: ergo idēquod prius. Probatur quarto: peccatum est infinitū ex duplici capite, scilicèt, ex parte personæ offensæ, & ex vilitate offendentis, qui infinitè distat ab eo; sed Christi satisfactio solum est infinita ex parte personæ, non verò ex parte humanitatis: ergo maior est gravitas peccati, quam dignitas satisfactionis Christi. *Quarto.*

22 *Respondeo ad argum. & ad 1. prob. antec.* Respondeo negando antecedens, ad primā probationē distinguo maiorem: satisfactio est à Christo secundū naturam humanā solam nego maiorem; vt vnitā Verbo concedo maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam. Vndè Christus, nec satisfecit præcisè, vt Deus, nec præcisè, vt homo, sed vt homo Deus, ita quod in intrinseca ratione satisfactionis includatur humanitas, vt eliciens actiones, & suppositum Divinum, vt principiū *quod* illas dignificans, & hæc est ratio, cur Christi satisfactio est æqualis pro offensa. *Ad 2. & 4.* Ad secundam probationē, & similiter ad quartā concedo præmissas, & nego consequentiā, quia semel, quod Christus habeat infinitam dignitatem personæ, dignitas, quæ derivatur in eius operationes, non solum adæquat, verum, & excedit gravitatē offensę desumptam ex infinitate Dei, tàm in natura, quàm in persona, & ex infinita inferioritate hominis peccantis, tàm in persona, quàm in natura. Ratio huius est: quia peccatum ex his capitibus habet vndè limitetur eius gravitas; non verò Christi satisfactio, vt dicam infrà in probatione secundæ conclusionis.

23 *Ad 3.* Ad tertiam probationem distinguo minorem: opera Christi, nec in actu primo merentur vnionem humanitatis ad Verbū de fectu æqualitatis moralis cum vnione nego minorem; ratione dependentiæ essentialis ab illa, tanquam à principio sui concedo minorem, & nego consequentiā. Itaque Christum non mereri vnionē hypostaticam est solum, quia principiū meriti nequit cadere sub merito, quæ est ratio in argumento adducta; non verò quia opera eius non sint æqualia moraliter cum prædicta vnione, &

hoc erat necessarium, vt eius satisfactio non esset condigna.

Firmatur. Firmatur hæc doctrina, scilicèt: Christum non mereri vnionem hypostaticã, non provenire ex deffectu æqualitatis moralis suorum operum cum prædicta vnione. Nam opera Christi Domini habuerunt valorem, & dignitatem ad merendam de condigno Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti; sed horum Incarnatio eiusdem dignitatis, & æstimabilitatis est cum Incarnatione Verbi: ergo Christum non mereri vnionem hypostaticam, non provenit ex deffectu æqualitatis moralis suorum operum cum prædicta vnione.

24 *Dices 1.* Dices primo contra responsionem primæ probationis: suppositum Diuinum non influit in satisfactionem Christi: ergo non est principium *quod* significans eius operationes. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: non influit physicè, & realitèr concedo antecedens: moralitèr, ac denominativè nego antecedens, & consequentiam; quia hoc sufficit, ad eas significandas, & eius valorem tribuendum. Ratio est: nam quia suppositum Diuinum terminat, & subtentat naturam humanam, operationes ab hac elicitæ tribuuntur ipsi supposito, vt *quod*: ergo eas significat. Probatur consequentia: persona operans moralitèr est quasi forma propriæ operationis: ergo significat eas. Probatur consequentia: ideò operationes Christi à Patribus vocantur Deificæ, & Theandricæ, quia persona operans moralitèr est quasi forma propriæ operationis; sed hoc est, personam significare operationes Christi: ergo eas significat.

25 *Dices 2.* Dices secundo: licèt Christus satisfecerit pro nobis, vt homo Deus; tamen quod fieret homo, Deus non habuit ex meritis, sed ex Dei misericordia, & ordinatione: ergo non est ex se condigna. *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti, distinguendo consequẽs: ergo satisfactio Christi non est ex se condigna per exclusionem misericordiæ concedo consequentiam; ratione æqualitatis cum debito nego consequentiam. Ex quo nihil contra nos, vt dictum manet *num.* 18.

26 *Arguitur 7.* Arguitur septimo: si per impossibile essent duo Dij, & vnus offenderet alium, Christi satisfactio ad summum adæquaret gravitatem offensę irrogatæ Deo ab altero Deo; sed gravitas offensæ irrogatæ Deo à creatura est maior gravitate irrogata Deo ab alio Deo: ergo Christi satisfactio non adæquat gravitatem offensæ irrogatæ Deo à creatura: ergo non est ex se cõdigna pro peccatis hominum. Probatur minor: gravitas offensæ crescit ex vilitate personæ offendentis; sed creatura vilis est respectu Dei: ergo gravitas offensæ irrogatæ Deo à creatura est maior gravitate irrogata Deo ab alio Deo. Ommitto gratis maiorem, *Respondeo.* nego minorem, & ad eius probationẽ distinguo antecedens: ex vilitate personæ tantum crescit gravitas offensæ nego antecedens; ex vilitate personæ, & cognitione magis perfecta concedo antecedens, & nego consequentiam; nam augmentum, quod habet gravitas offensæ irrogatæ à creatura ex vilitate personæ, haberet gravitas offensæ irrogatæ ab illo Deo ficto ex cognitione perfectissima illius.

27 *Arguitur 8.* Arguitur denique: si Christus moralitèr peccasset, nõ potuisset ad æqualitatẽ pro suo peccato satisfacere: ergo nec nunc potuit pro alienis. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam: ratio autẽ, cur in illa hypotesi nõ posset pro suo peccato satisfacere, sumenda est ex dicendis in quæstionibus selectis, vbi hanc difficultatem pertractare, promisimus *disp. 2. n. 21.* Ratio vero, cur de facto ad æqualitatem satisfecit, sumitur ex probatione nostræ conclusionis, *num. 15.*

§. IV.

Fuisse superabundantem satisfactionem Christi probatur, & contra Ill. Godoy ex eius doctrina superabundantem non fuisse ostenditur.

28 *2. Cõclusio.* SEcunda conclusio: *Satisfactio Christi Domini fuit ab intrinseco, ex se, & ex natura sua, & omni acceptatione secluſa superabundans pro peccato generis humani* (seù quod idem est) *fuit in actu primo superabundans.* Et quidem superabundantem fuisse satisfactionem Christi absolutè nulli Theologorum est dubium, sed omnibus exploratum. Constat enim ex illis verbis Psalm. 129. *Et copiosa apud*

eum redemptio. Et insuper ex illo Isaiæ *cap.* 40. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* Ac denique ex Iob *cap.* 6. illis verbis: *Vtinam appenderentur peccata, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris hæc graviora apparet.* Quod moraliter à Lyra, & ab alijs Interpretibus de Christo Domino exponitur, quod, scilicèt, Passio illius maior fuerit omnium hominum peccatis. Ex quibus testimonijs, & alijs pluribus manifestè colligitur; à nullo posse negari, fuisse satisfactionē Christi absolutè superabundantem pro peccatis omnium hominum.

29 *Probatur* 1

Quod autem superabundans fuerit ex natura rei, & ab intrinseco, & non ex Divina acceptatione, quod asserit nostra conclusio, ostenditur primo: nā illa superabundantia concedenda est satisfactioni Christi, quæ satisfactioni puræ creaturæ repugnat; sed superabundantia solū ex Divina acceptatione pro peccatis omniū hominū non repugnat satisfactioni creaturæ; bene tamē superabundantia ab intrinseco: ergo hæc est concedenda satisfactioni à Christo Domino exhibitæ. Consequentia est bona. Maior constat: nā satisfactioni Christi superabundantia conceditur propter excellētiā, & dignitatē vnionis humanitatis ad Verbū: ergo est superabundantia sine tali vnione repugnans, & consequentèr attribuēda est satisfactioni Christi superabundantia repugnans satisfactioni à pura creatura elicitæ. Minor probatur: nā superabundantia ex Divina acceptatione cōsistit in eo, quod Deus satisfactionem, de se non superabundantē, pro superabundanti acceptet; sed non repugnat, Deū satisfactionem à pura creatura elicitam, quamvis de se superabūdans non sit, pro superabundanti acceptare: ergo, &c.

30 *Prob.* 2.

Deinde probatur: nam ex eodē capite, ex eisdēque principijs convenit satisfactioni Christi, quod sit superabundans pro peccatis omniū hominū, & quod sit condigna, sufficiens, & æquivalens pro illis; sed quod sit condigna, equivalens, & sufficiens convenit satisfactioni Christi ab intrinseco, vt conclusione præcedenti monstravimus: ergo etiā superabundantia, & excessus convenit satisfactioni Christi ratione valoris intrinseci, & non ab extrinseco ex Divina acceptatione. Præterea: nam acceptatio creditoris non dat valorē satisfactioni pro iniuria, sicuti nec dare potest valorē solutioni pro pecunia recepta sola extrinseca acceptatio illius, cui pecunia debetur; alias, si creditor, cui centum debetur, quinquaginta pro centū, tanquā sufficientē solutionē liberaliter acceptaret, solutio illa dicenda esset valoris sufficientis ad perfectè debitū extinguendū: ergo, si Divina acceptatione suppositā, satisfactio Christi fuit superabundantis valoris pro peccatis omniū hominum, ante acceptationē valore superabundanti gaudebat, & consequentèr superabundans fuit ab intrinseco, & ex natura sua.

31 *Dices.*

Si autē obijcias: peccatū est simplicitèr infinitū: ergo satisfactio Christi nequit esse superabundans. Consequētia patet: nā vnū infinitū non est maius alio. Nego antecedens *ex dictis disp.* 1. & ex dicendis *n.* 50. & 51. ex quibus constabit: esse tātū infinitū in ordine, negativè, seù secūdū quid, id est, quod ex parte personæ offensæ nequeat dari maior offensa, quā peccatū, quomodo est infinita Christi satisfactio, quia ex parte personæ satisfacientis nequit dari maior satisfactio. Nec ex hoc valet inferre: Christi satisfactionem non esse superabundantē peccato, quia licèt vtriq; tribuatur infinitas ordinis, satisfactio est superioris ordinis, ideoque maior. Nec obest, quod vnū infinitū nequeat esse maius alio, quia hoc est de infinito simplicitèr; non autem de infinito tantū in ordine, & secūdū quid; nam sicut datur vnus ordo superior alio, ita & vnum infinitum in ordine superius alio. Quod autē Christi satisfactio sit superior respectu peccati, dicemus *num.* 50 & 51.

Respondeo.

32 *Ad hominē contra Ill. Godoy probatur Christi satisfactionē non esse ex se superabundantē.*

Licèt autem in hac conclusione nobiscum Ill. Godoy conveniat; est tamen inter nos, & illum aliqua differentia; nos namque conclusionē statuimus, quin aliquid ad hominē contra nos argui possit; cæterum Ill. Godoy liber non est, vt contra ipsum ad hominem aliquid obijcere possimus. Vnde ad hominem contra ipsum probo: Christi satisfactionem non esse ex se, & ab intrinseco superabundantem. Peccatum in sententia huius Docto-

ris est simpliciter infinitum: ergo vt satisfactio Christi sit ex se superabundans, debet esse plusquam simpliciter infinita. Atqui hoc est falsum: ergo opinione suppositâ de infinitate simpliciter peccati, satisfactio Christi nō est superabundans ex se. Prima consequentia probatur primo: vt satisfactio Christi (suppositâ opinione prædictâ) sit ex se æqualis, debet esse simpliciter infinita: ergo vt sit superabundans, debet esse plusquam simpliciter infinita. Probatur secundo dicta consequentia: si satisfactio superabundans non deberet esse plusquam simpliciter infinita, satisfactio simpliciter finita æquivaleret peccato simpliciter infinito; sed hoc est apud omnes falsum: ergo, &c.

33 *Respōdet 1. Ill. Godoy.* Hoc argumentum, etsi alijs terminis sibi obiecit Ill. God. *n.* 37. ad quod duplicē adducit responsionē *n.* 39. & 40. quæ sic applicatur terminis, & formæ, in qua à nobis factum est argumentū. Primo itaque respondet *n.* 39. concessō antecedenti, negando consequentiam, ad cuius primā probationē concessō etiam antecedenti, negat consequentiam. Ad secundam probationē negat maiorem. Doctrina illius est: nam licèt vnū infinitū alio maius quantitative non sit; potest tamē vnū infinitū alio perfectius esse, illudque excedere in qualitate essentiali, vt constat in auro, & argento infinitis, si forte darentur; nā infinitū argentū estò in quantitate non excederetur ab auro infinito; in qualitate tamē, & perfectione essentiali infinitū aurū, infinitū argumentum excederet. Infinita etiā hominū multitudo, etsi in numero non excederet infinitā multitudinē animaliū irrationaliū, essentialiter autē, & in perfectione essentiali negari non potest, quod infinita hominū multitudo multitudinē infinitā animaliū excedat. Ex eo ergo, quod gravitas offensæ mortalis infinita sit, & similiter dignitas operationū Christi, ad summum sequitur, non dari inter illa excessum quantitativum, non autem, quod non detur excessus in qualitatē, & perfectione essentiali, & ille est sufficiens, vt opera Christi Domini sint, non solum æquivalens, & condigna, sed etiam superabundans satisfactio pro offensa.

Impugnatur tamen hæc solutio: excessus satisfactionis Christi iuxtà hanc solutionem est in qualitate, & perfectione essentiali; sed hic excessus, si non arguit, satisfactionē Christi esse plusquam simpliciter infinitam; infert ad minus: satisfactionem Christi esse æquivalentem, imo & superabundantem, etiam si sit simpliciter finita, quod est contra Ill. Godoy: ergo ruit solutio. Probatur minor quoad secundam partem: etiam si Christi satisfactio esset simpliciter finita, excederet in qualitate, & perfectione essentiali gravitatem infinitam offensæ: ergo excessus satisfactionis Christi in qualitate, & perfectione essentiali infert, satisfactionem Christi esse superabundantem, etiam si sit simpliciter finita. Probatur antecedens exemplis ab Ill. Godoy traditis: etiam si aurum esset simpliciter finitum, & hominū multitudo esset simpliciter finita, aurum excederet argentum infinitum, & multitudo hominum infinitam multitudinem animalium excederet in qualitate, & perfectione essentiali: ergo, &c. Consequētia illata legitimè est ex exemplis Ill. God. 34 *Impugnatur.*

Antecedens autem est manifestū: numquam enim argentum, quantumvis infinitum, pervenire potest ad qualitatem, & perfectionem essentialem auri; nec multitudo animaliū, quantumvis infinita, potest pervenire ad qualitatem, & perfectionem essentialem hominis; alioquin, nec argentum esset argentum, nec animalia; sed argentum esset aurum, & animal esset homo. Licèt autem ita manifestum sit antecedens, illud probo ad hominem contra Ill. Godoy: ipse namque *disp. præc. num.* 9. docet: quod albedo estò infinite intendatur, si hoc sit possibile, non adæquabit perfectionem gratiæ finitæ: ergo iuxta ipsum etiam si gratia finita sit, excederet in qualitate, & perfectione essentiali albedinem infinitam: ergo similiter. 35

Respondet secundo *num.* 40. distinguendo de infinitis in eodem genere, & in diverso genere; ait namque: quod infinitas satisfactionis Christi est in genere valoris, & boni; infinitas gravitatis offensæ est in genere mali moralis: ex quo solum sequitur, quod 36 *Respōdet 2.*

in genere mali, seù gravitatis offensivæ nihil detur maius; non autē quod comparata satisfactione Christi in valore cum offensa in gravitate non sit maior valor satisfactionis Christi gravitate offensę: sicut si daretur linea infinita in genere lineæ, solum sequeretur, non esse dabilem lineam maiorem, maior autem quantitas esset possibilis, nempe, quantitas corporis infiniti, quod infinitum esset secundum trinam dimensionem. Et si daretur actus misericordiæ infinitus in linea misericordiæ, solum sequeretur, in tali linea nihil dari maius, non autem quod actus charitatis infinitus in genere dilectionis, maioris dignitatis non esset; & de facto inter Divinas perfectiones, pro vt virtualitèr inter se distinctas, quamvis omnes in sua linea infinitæ sint, inæqualitas tamen virtualis à Theologis recognoscitur. Vnde intellectus provt virtualitèr à voluntate distinctus, virtualitèr volūtatē excedit: & Divina dilectio provt virtualitèr ab actu misericordiæ distincta, virtualitèr illum excedit: & natura Divina virtualiter excedit omnes perfectiones attributales Dei.

Iuxtà quam doctrinam ad nostrum argumentum respondebit negando consequentiam; ad cuius primam probationem etiam consequentiam negabit; & ad secundam negabit maiorem; quia vt satisfactio Christi sit superabundās, necessàriū non est, quod sit plusquam simplicitèr infinita, sed sufficit, quod sit infinita in genere perfectiori, valoris, & boni.

37 *Impugnatur solutio.*

Hæc tamen solutio impugnatur: excessus satisfactionis Christi iuxtà hanc solutionem consistit in genere perfectiori; sed hic excessus, vel arguit, satisfactionem Christi esse plusquam simplicitèr infinitā; vel infert, esse superabundantem, etiam si sit simpliciter finita: ergo ruit solutio. Vtraque pars minoris probanda est exemplis ab Ill. Godoy traditis. Infinitum namque secundum trinam dimensionem comparatum infinito secundum vnam tantum dimensionem est plusquam infinitum; nam vltrà infinitatē secundum vnam dimensionem, habet infinitatē secundum duplicem aliam dimensionem: ergo iuxtà hoc exemplum excessus satisfactionis Christi arguit, Christi satisfactionem esse plusquam simplicitèr infinitam, quod est prima pars minoris. Secunda pars probatur: nam excessus actus charitatis respectu actus misericordiæ provenit ex eo, quod actus charitatis, pro vt virtualitèr distinguitur ab actu misericordiæ, est perfectior, sicut de intellectu respectu voluntatis, dilectionis respectu misericordiæ, & naturæ respectu attributorū tenet Ill. God. in solutione; atqui hoc excessus infert: actū charitatis esse superabundantem; etiā si sit simplicitèr finitus, quia num quā actus misericordiæ adæquabit in perfectione actū charitatis, vt demōstratū est: ergo iuxtà hæc exempla excessus satisfactionis Christi infert: Christi satisfactionē esse superabundantem, etiam si sit simplicitèr finita.

Denique vtraque solutio impugnatur: nullū infinitum est maius alio quātitativè: ergo solū in qualitate, & perfectione essentiali potest vnū infinitum esse maius alio. Antecedens cū consequentia est Ill. God. in solutione. Sussummo nunc: atqui satisfactio Christi est simplicitèr infinita, & etiā peccatū: ergo satisfactio Christi non quātitativè, sed qualitate, & perfectione essentiali excedit peccatum. Tunc sic: sed hic excessus infert: satisfactionē Christi esse superabundantē, etiā si sit simplicitèr finita: ergo ruit vtraque solutio Ill. God. Hęc sussumpta probata manet *n.* 34. exēplis de auro, & homine, eodemque modo probatur de charitate respectu actus misericordię; de intellectu respectu voluntatis; de Divina dilectione respectu actus misericordię; & denique de natura Divina respectu attributorū, quę sunt exēpla ab Ill. God. in vtraque solutione adducta. Convincitur ergo exempla pro solutione tradita probare manifeste: Christi satisfactionē esse superabundantem, etiam si sit simplicitèr finita, & consequentèr nullam esse vtramque solutionem.

38 *Vtraque solutio impugnatur.*

§. V.

Ratio à priori examinatur, & ab Ill. Godoy adducta refellitur.

HOc itaque circa conclusionem ab Ill. Godoy statutam ex eius doctrina examinato, examinare restat rationē pro conclusione, vt nihil sine

39

exa-

examine relinquamus. In reddenda autem ratione à priori superabundantiæ ab intrinseco in satisfactione Christi maximè variant Authores. Ill. Godoy adducit aliquas, quas refutat *num.* 34. & 35. Suam ergo videamus, & refutemus.

40 *Ratio à priori Ill. God.*

Ill. itaque Godoy *num.* 36. sic rationem à priori format: valor satisfactionis Christi ab intrinseco, & ratione sui excedit gravitatem offensæ mortalis in morali æstimatione: ergo ratione sui, & ab intrinseco est superabundans satisfactio pro illa. Consequentia est nota. Antecedens probatur: nã gravitas offensæ mortalis fundatur in vnione affectiva cum Divina Maiestate offensa, ex eo, quod per peccatum Deus affectivè subijcitur offensori; valor autẽ satisfactionis Christi fundatur in vnione physica mediata personæ Verbi operantis, & satisfacientis cum operationibus ab humanitate elicitis, eo quod persona infinita, & Divina satisfaciens se ipsam mediatè subijcit Deo per peccatũ offenso; sed valor in vnione physica fundatus maior est in morali æstimatione gravitate fundata solum in vnione affectiva: ergo valor satisfactionis Christi maior est ratione sui, & secluſa acceptatione extrinseca Dei, gravitate offensæ mortalis.

41 *Confirmatur.*

Quod etiam confirmat: nam ab eadem forma perfectiori modo vnita perfectior effectus præstatur, quod probat duplici exemplo. Primum est: actus increatus, si meritorius esset, foret maioris valoris meritorij, quam actus Christi Domini media humanitate eliciti, quia nempè, etsi eadem sit forma valorans operationes Christi creatas, & quæ valoraret tunc casus increatas operationes; illis tamen cõveniret per essentiam, actibus verò Christi Creatis, non per essentiam, sed per communicationem convenit. Secundum est: Deitas humanitatem, & Deum in se ipso sanctificat, & non sanctificat æquè humanitatẽ, ac Deũ, vt docet communis sententia; sed Deitas, vt valorans operationes Christi, præstantiori modo vnitur cum illis, quam Maiestas offensa cũ actu offensivo sui, eo quod vnio, & informatio illa moralis fundatur in vnione physica immediata cum humanitate, & mediata cum operationibus ab humanitate elicitis; actui verò offensivo vnitur Maiestas offensa, illumque informat moraliter, informatione fundata in vnione tantum affectiva, affectivaque subiectione: ergo plus valoris præstat persona Verbi operationibus ab humanitate elicitis, quam gravitatis Maiestas offensa offensæ irrogatæ in Deum, & consequenter satisfactio Christi est superabundans pro offensa.

42 *Reijcitur 1 ratio Ill. Godoy.*

Hæc tamen ratio Ill. Godoy reijcitur primo: maior vnio non dat maiorem perfectionem: ergo ruit ratio. Probatur antecedens: formalitates Divinæ (suppositâ earum formali distinctione); maiori vnione identitatis realis vniuntur, quam formalitates creatæ (suppositâ earum formali distinctione) sed hæc maior vnio non dat maiorem perfectionem Divinis formalitatibus: ergo maior vnio non dat maiorem perfectionem. Maior patet: quia suppositâ distinctione formali inter Divina, & creata prædicata, Divina identificãtur vnione reali summa, quod non habent creata prædicata. Minor probatur: illa maior vnio non dat maiorem simplicitatem Divinis formalitatibus: ergo non dat maiorem perfectionem. Probatur antecedens: suppositâ distinctione formali inter formalitates Divinas datur in Deo iuxtà Ill. Godoy, & alios Thomistas formalis compositio; sed hæc dumtaxat compositio reperitur inter formalitates creatas, suppositâ earum distinctione formali: ergo illa maior vnio non dat maiorem simplicitatem Divinis formalitatibus.

43 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundo: non minus est potens dignitas personæ offensæ ad gravificandum actum offensivum sui, quam dignitas personæ satisfacientis, ad valorandum actum satisfactorium: ergo quando persona offensa est Divina, non minus gravificat actum offensivum sui, quam persona Divina satisfaciens valorat actum satisfactorium. Antecedens est Ill. Godoy in præsenti *num.* 10. hacque ratione probat: satisfactionem Christi esse condignam, & æqualem. Sussummo nunc: atqui gravitas offensæ Divinæ est gravitas offensæ personæ Divinæ: ergo illius gravitas secundum se adæquat in æsti-

matione morali valorem satisfactionis personæ Divinæ: ergo talis satisfactio non est superabundans.

44 *Reijcitur 3* Tertio reijcitur: data hypotesi, quod Christus Dominus peccasset mortaliter, Christi satisfactio non esset superabundans. Atqui tunc casus valor satisfactionis Christi fundaretur in vnione physica mediata personæ Verbi operantis, & satisfacientis cum operationibus ab humanitate elicitis: ergo talis physica vnio non est ratio à priori superabundantiæ, satisfactionis Christi. Probatur maior: in hypotesi data valor satisfactionis Christi non esset ab intrinsico maior, quam gravitas offensæ mortalis: ergo data hypotesi Christi satisfactio non esset superabundans. Probatur antecedens: in data hypotesi valor satisfactionis Christi, & gravitas offensæ mortalis fundarentur in vnione physica mediata personæ Verbi cum operationibus ab humanitate elicitis; nã cũ persona Verbi physice immediate vniatur cũ humanitate assumpta, quæ est principium operationũ Christi, physicè mediate vnitur cũ talibus operationibus; atqui stante eadẽ vnione valor satisfactionis Christi non esset ab intrinseco maior, quam gravitas offensæ mortalis: ergo in data hypotesi valor satisfactionis Christi non esset maior ab intrinseco, quam gravitas offensæ mortalis. Maior iam est probata. Minor est vnica III. Godoy à priori ratio. Consequentia videtur clara.

45 *Respondebis 1. pro III. Godoy.* Respondebis pro III. Godoy primo: hoc argumentum non esse contra rationẽ ab ipso datã; ratio ab ipso tradita est: quod ab vnione perfectiori perfectior præstatur effectus, quod nõ evenit in casu dato; nam tunc valor satisfactionis Christi, & gravitas offensæ mortalis ab illo commissæ fundarentur in eadem vnione, scilicèt, in vnione physica mediata cum persona Verbi. Optimè. Arguo sic contra ipsum: ergo data hypotesi Christi satisfactio non esset superabundans: ergo licèt nostrum argumentum non sit contra rationem, quam à priori assignat III. Godoy pro superabundantia satisfactionis Christi, est tamen contra conclusionẽ ab ipso statutã *n.* 31. scilicèt, Christi satisfactionẽ fuisse superabundantẽ. Atqui hoc nequit concedere Doctor præcictus; quia in quacumque hypotesi debet salvare superabundantiam satisfactionis Christi, vt nos salvare debemus: ergo dato, quod virtute argumenti præcicti ratio III. God. non evanescat; evanescit tamen conclusio illius, quod nobis sufficit.

Contra.

46 *Respondebis 2.* Respondebis secundo pro eodem negando suppositum maioris, scilicèt, quod data hypotesi, quod Christus peccasset mortaliter, satisfaceret. Sed contra: nam hæc suppositio. *Si Christus mortaliter peccasset, satisfaceret*, debet admitti, vt examinetur ratio à priori superabundantiæ satisfactionis Christi: ergo ruit responsio. Probatur primo antecedens: nam talis suppositio non repugnat per locum ab intrinseco, vt de suppositione, quod Spiritus Sanctus non procederet a Filio, & de pluribus alijs diximus *tom. 3. in 1. sentent. disp. 92.* quod ibi concedit III. Godoy ad investigandam rationem à priori distinctionis realis Spiritus Sancti a Filio: ergo dicta suppositio debet admitti, vt examinetur ratio à priori superabundantiæ satisfactionis Christi. Probatur secundo: quia nos admittimus præcictam suppositionem, vt examinetur ratio à priori superabundantiæ satisfactionis Christi: ergo illam admittere debet III. Godoy.

Contra.

47 *Reijcitur 4* Reijcitur quarto: calor perfectiori modo vnitur cum igne, quam cum lapide; sed non ob hoc præstatur perfectior effectus à calore vnito cum igne, quam à calore vnito cum lapide: ergo ab eadẽ forma perfectiori modo vnita non præstatur perfectior effectus, & consequentèr à perfectiori vnione non provenit superabundantia satisfactionis Christi. Vtraque consequẽtia tenet. Minor est certa; nã effectus præstitus à calore vnito cum igne, & à calore vnito cum lapide est eiusdem perfectionis, vt ex terminis patet. Maior verò probatur: calor vnitur cum igne connaturalitèr, quomodo non vnitur cum lapide; sed id, quod connaturalitèr vnitur, vnitur perfectiori modo, quam id, quod connaturalitèr nõ vnitur: ergo calor perfectiori modo vnitur cum igne, quã cum lapide. Maior, & consequentia tenent. Minor vltrà hoc, quod certa videtur, probatur: nam Deitas, quæ connaturalitèr sanctificat Deum, perfectiori modo

Deum

Deum sanctificat, quam humanitatē, quam (dato, quòd sanctificet) connaturalitèr non sanctificat: ergo, &c.

48 *Reijcitur 5* Et ex hoc reijcitur quinto: calor, vt quatuor, existens in igne non excedit in virtute calorem, vt quatuor, existentem in lapide; atqui calor, vt quatuor, perfectiori modo vnitur cum igne, quam cum lapide, vt demonstravimus: ergo perfectior vnio non conducit ad perfectiorem virtutem: ergo nec ad perfectiorem effectum: ergo satisfactio Christi non est maioris valoris, quā gravitas offensæ, quia in vnione perfectiori, scilicèt, physica, fundatur: ruit ergo ratio ab Ill. Godoy allata. *Reijcitur 6* Reijcitur denique: frigus, vt quatuor, existens in aqua non expellit calorem, vt quatuor, existentem in lapide: ergo nec illum in activitate superat. Antecedens cum consequentia patet: nam vt vnum contrarium expellat aliud, v. g. frigus calorem, non tantum debet adæquare in activitate, sed etiam superare. Atqui frigus existens in aqua perfectiori modo vnitur cum illa, quam calor cum lapide, vt probatum manet: ergo perfectior vnio non est ratio superandi in activitate: ergo nec superabundantiæ satisfactionis Christi.

49 *Exemplis Ill. Godoy respōdetur.* Neque exempla in confirmatione ab Ill. Godoy adducta ipsi fabent: nam neque actus increatus in suppositione facta esset maioris valoris meritorij, neque Deitas in opinione ommissa perfectius Deū sanctificaret, ob vnionem perfectiorem, vt constat ex dictis; sed quia actus increatus est infinitus à se, & per essentiam, similitèrque Deitas à se, & per essentiam est Sancta, quod independentèr ab hac, vel illa vnione habent; alioquin infinitas, & sanctitas à se, & per essentiam, omniaque Divina prædicata, quæ à se sunt, & per essentiam, hoc haberent ratione vnionis, quod est falsum; esse namque à se, & per essentiam habent Divina prædicata per exclusionem principij effectivi, quod est maxima perfectio, & ratione cuius excedunt in perfectione omnes res creatas, vt apud omnes est certum.

50 *Vera ratio à priori.* Quare modo dicendi Ill. Godoy omnisso, & in sua probabilitate relicto, ratio à priori pro nostra, & communi sententia in hunc modum est formanda: satisfactio Christi est maior, quam peccatum in ratione offensæ: ergo est superabundans. Probatur antecedens: Christi satisfactio habet maiorem infinitatem extrinsicè ex circunstantia personæ operantis, quam peccatum ex circunstantia personæ offensæ: ergo satisfactio Christi est maior, quam peccatum in ratione offensæ. Probatur antecedens: licet Christi satisfactio habeat vndè limitetur, ne sit simpliciter infinita, tamen ex circunstantia personæ operantis non habet vndè limitetur; sed peccatum habet vndè limitetur ex circunstantia personæ offensæ: ergo, &c. Maior est certa: nam valor satisfactionis crescit ex dignitate personæ absolutè sumptæ, quia est circunstantia formalis, idest, persona se habet quasi forma valorans. Minor claret: nam gravitas offensæ non sumitur ex dignitate personæ offensæ absolutè sumptæ, sed pro vt est condignita, quia est circunstantia obiectiva, idest, persona offensa se habet per modum obiecti; sed cognitio est finita, & limitata: ergo limitationem causat in gravitate peccati: ergo Christi satisfactio habet maiorem infinitatem extrinsicè ex circunstantia personæ operantis, quā peccatum ex circunstantia personæ offensæ.

51 Hinc clare deducitur: Christi satisfactionem esse in superiori ordine, quam peccatum in ratione offensæ, quia cum eius infinitas (sicut infinitas peccati) sit infinitas ordinis, quæ est quædam infinitas negativa, & secundum quid, hoc ipso, quòd habeat maiorem infinitatem, quam peccatum, est in superiori ordine respectu illius. Et hæc est ratio, cur Christi satisfactio est superabundans pro peccatis.

DISPVTATIO QVINTA.

Vtrum ſatisfactio Chriſti fuerit ex toto rigore iuſtitiæ?

§. I.

Supponuntur neceſſaria, ſententiæ referuntur, & vera eligitur.

Num. 1 *Status controverſiæ declaratur.*

SAtisfactionem Chriſti eſſe condignam, æqualē,& ſuperabundantem cum communi Theologorum ſententia monſtravimus, in eoque cum omnibus Theologis convenit Ill. Godoy diſputationibus antecedentibus; quia tamen, vt ſatisfactio aliqua ſit de rigore iuſtitiæ, plura prætèr æqualitatē requiruntur, in dubium vertitur: An Chriſti ſatisfactio ſit ex toto rigore iuſtitiæ? Seu quod idem eſt, An in Chriſti ſatisfactione inveniantur omnes conditiones ad riguroſam iuſtitiam requiſitę. Pro quarum declaratione.

2 *1. Notabile*

Suppono primo: quod licèt omnes conditiones ad ſatisfactionem ex toto rigore iuſtitiæ requiſitę in diffinitione ſatisfactionis ab Scoto tradita,& à nobis declarata, & explicata *diſp. 2. n. 1. & 2.* implicitè includantur; quia tamen in ipſa non explicantur, eas declarare opportet, vt meliùs dicenda intelligantur,& difficultas reſolvatur.

3 *2. Notabile*

Suppono ſecundo: quod ad ſatisfactionem ex toto rigore iuſtitiæ ſeptem requiruntur conditiones. Prima conditio eſt: quod ſatisfactio non ſuppona gratiam creditoris; ſeu quod non fiat ex acceptis gratis à creditore; vel quod non fundetur in gratia, & liberalitate creditoris. Ratio eſt: tum: quia ſi debeo centum, & creditor contentus eſt quinquaginta, non ſatisfactio æqualitèr. Tum quia iuſtitia,& gratia opponuntur ex illo Apoſtoli: *Si ex operibus: ergo non ex gratia.* Vndè quantum gratię miſcetur, tantū minuitur de perfectione iuſtitiæ. Hæc cōditio explicatur ab Scoto in illis verbis: *æquivalentis.*

7. Conditiones ad ſatisfactionē ex rigore iuſtitiæ requiſitæ.

Prima.

4 *Secunda.*

Secunda conditio eſt: quod fiat ex bonis alio titulo non debitis creditori; & ratiō eſt: nam per ſolutionem, vt quatuor ratione cenſus, non poteſt ſatisfieri alio debito, vt quatuor ratione emptionis; ideòque in diffinitione ſatisfactionis poſſuit Scotus han particulam: *alias indebiti.*

Tertia conditio eſt: quod ſatisfactio fiat non ex bonis ipſius creditoris, ſed ex bonis proprijs ipſius debitoris. Ratio eſt: nam quod meum non eſt, non poſſum in alterum transferre: ergo neque cum illo ſatisfacere. Notādum eſt pro huius intelligentia duplex ius reperiri, ſcilicèt, ius ad rem, & ius in re. Primum eſt ad adquirendam poſſeſsionem, & dominium, tàm morale, quàm phyſicum. Secundum eſt, quando moralitèr, & phyſicè rē poſſidemus. Quando ergo dicitur, ſatisfactionem non debere fieri ex bonis creditoris, intelligitur de bonis, ſuper quæ creditor habet ius in re; nam ſi tantum habeat ius ad rem, non obeſt riguroſæ ſatisfactioni, vt claret in reſtitutione libri furati, quæ eſt perfecta ſatisfactio, & tamen creditor habebat ius ad rem in librum. 5 *Tertia.*

Quarta conditio eſt: quod bona, quibus fit ſatisfactio, non ſint ſub dominio vtriuſque, ſcilicèt, creditoris, & debitoris, ſeu vt alij explicant, requiritur iurium alteritas. Ratio eſt: nam ſi bona ſunt ſub dominio creditoris, ſatisfaciens nihil illi tribuit. Deindè: nam riguroſa ſatisfactio eſt riguroſa iuſtitia; ſed hęc includit perfectam iurium alteritatem; ob hoc enim ait Ariſtot. 5. *Ethic. cap.* 1. inter Patrem, & Filium, Dominum, & Servum iuſtitiā ſimplicitèr reperiri non poſſe, quia nec Filius, nec Servus eſt ſui iuris reſpectu Patris, & Domini. Hæc etiam conditio includitur in illa particula: *alias indebiti*; nam quod eſt ſub dominio creditoris, eſt illi debitum. 6 *Quarta.*

Quinta conditio eſt: quod ſatisfactio fiat immediatè ab ipſa perſona offendente. Sexta eſt: quod talis ſit ſatisfactio, vt nequeat ab offenſo ex iuſtitia non acceptari. Septima denique 7 *5. 6. & 7. conditio.*

eſt:

est: quod satisfactio sit ad alterum re, vt docet Aristot. *cit. cap.* 1. 2. & 6. vbi ait: iustiam, & iniustiam eiusdem ad se ipsum esse non posse, quod tenent cū illo omnes Philosophi, & Theologi.

8 Ex his autem conditionibus, quæ ad satisfactionem ex toto rigure iustitiæ requiruntur, quarta coincidit cum tertia. De quinta mentionem non facit Ill. Godoy. De sexta agit *disp.* 7. & de ea ibi nos etiam agemus. Septimā optimè salvat *num.* 26. vndè remanet difficultas de quatuor primis conditionibus; an, scilicet, tres suprà positæ conditiones ad rigorem iustitiç in satisfactione exactæ concurrerint. Qua in re duplex inter Theologos circunfertur sentia. Prima docet: Christi satisfactionem non solum fuisse perfectam condignitate, sed etiam de toto rigore iustitiæ, eo, quod non solū fuit æqualis, & superabundans pro offensa, sed etiam omnes conditiones exactę ad rigorē iustitię in satisfactione Christi cōcurrunt ita Ill. God. *n.* 3.

1. *Sētentia*

Ill. Godoy.

9 Secunda sententia docet: satisfactionem Christi fuisse quidem perfectam de rigore meriti, & condignitatis, quia æqualis, & superabundans fuit pro offensa irrogata Deo; non autem fuisse ex toto rigore iustitiæ, eo, quod nulla ex conditionibus exactis ad rigorem iustitiæ illi conveniat. Sic Magister Subtilis *in* 3. *dist.* 19. & 20. *Et in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. cuius sententia pro conclusione statuitur, probandaque à nobis est discurrendo per tres primas conditiones ad iustitiam rigurosam requisitas.

2. *Sētentia*

Scotus.

Conclusio.

§. II.

Probatur conclusio ex prima conditione.

10 PRobatur primo conclusio: prima conditio ad satisfactionē ex toto rigore requisita est, quod satisfactio non fundetur in gratia creditoris; sed hæc conditio defficit Christi satisfactioni: ergo satisfactio Christi nō est ex toto rigore iustitiæ. Maior patet: nā iustitia, & gratia opponuntur, ideòque quantū gratiæ miscetur, tantum minuitur de perfectione iustitiæ. Minor claret: quia fundatur in gratia vnionis facta humanitati, & auxilijs à Deo liberalitèr illi collatis. Consequentia infertur.

Probatur 1. conclusio

Huic probationi ex hac conditione depromptæ variè respondent Adversarij, quorum responsiones adducit, & optimè impugnat Ill. Godoy *à n.* 39. *vsque ad n.* 44. ipse verò duplicem adducit solutionem. Singularem vnam, & communem aliam. Vtraque tamen est à nobis reijcienda. 11

Respondet itaque primo *n.* 45. distinguendo maiorem: ad satisfactionē ex rigore iustitiæ requiritur non fundari in creditoris gratia supplente defectum dignitatis in actu satisfactorio, & suprà illius valorem, & dignitatem acceptante concedit maiorē: requiritur non fundari in creditoris gratia dante operi satisfactorio dignitatem, illudque ad æqualitatem valorante negat maiorem, & sub eadem distinctione minoris negat consequentiam; nam licèt satisfactio Christi Domini fundetur in gratia vnionis facta humanitati, & Christo ratione illius; hęc tamen gratia non est supplens defectū dignitatis in operibus satisfactorijs à Christo, vt homine elicitis, nec acceptans opera satisfactoria Christi suprà valorem, & dignitatem illorum, sed gratia dans operibus valorem, & dignitatem, non solum adęquantem gravitatem iniuriç irrogatę Deo, sed etiā excedentem, & superabundantem in morali æstimatione; & id circo non obstat rigori, & perfectioni iustitiæ in satisfactione Christi, in prædicta gratia fundari, imò ex illa habet, quod potuerit esse condigna pro peccato generis humani. 12

Respond. 1. Ill. Godoy.

Hæc solutio Ill. Godoy est tantum in terminis singularis; est enim eadem cum solutione aliquorum distinguentium sic maiorem: prima conditio ad satisfactionem ex toto rigore iustitiæ requisita est, quod satisfactio non fundetur in gratia creditoris concomitāte satisfactionem concedo maiorem; quod non fundetur in gratia antecedente satisfactionem nego maiorem: & cum eadem distinctione distinguūt minorem; & negant consequentiam ob eadem rationem. Hoc fatetur Ill. Godoy *num. cit. in fine.* 13

Eadem solutio alijs terminis proposita.

Impugnatur primo solutio allata: satisfactio ex rigore iustitiæ non solū requirit æqualitatem solutionis, sed etiam alias conditiones: ergo falsum est, quod ea solum gratia minuat per- 14

Impugnatur 1. solutio Ill. Godoy.

fectio-

fectionem iustitiæ, quæ minuit æqualitatem solutionis: ergo etiam gratia non minuens æqualitatem solutionis impedit rigurosam iustitiam: ergo licèt gratia valorans non minuat æqualitatē solutionis, impedit rigurosam iustitiam: ergo ruit solutio. Impugnatur secundo, & vrgetur: satisfactio illa, quæ totalitèr omnem gratiam creditoris excludit, est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quæ aliquam gratiā necessario supponit, non est ex rigore iusttitiç. Antecedens est certū, & consequentia ab oppositō legitima.

Impugn. 1.

15 *Respondeo 2.*

Respondet secundo Ill. Godoy *n.* 49. aliter distinguendo maiorem: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiritur, quod non fundetur in gratia creditoris facta satisfacienti concedit maiorem; quod non fundetur in gratia creditoris alteri facta negat maiorem, & distinguit minorem: satisfactio Christi fundatur in gratia vnionis, & gratia auxiliante factis humanitati concedit minorem; factis supposito Verbi satisfacientis negat minorem, & consequentiam, quia humanitas nō est quæ vt *quod* satisfecit: licèt autem respectu humanitatis gratia vnionis, gratia habitualis, & gratiæ auxiliantes sint gratiæ; quia ei ratione sui non debentur; respectu suppositi Verbi, quod satisfecit, vt *quod*, gratiæ non sunt; suppositum enim Verbi suscipiendi gratiam capax no est, sed omnia illi sunt debita, & ideo satisfecit ex toto rigore iustitiæ, non solum per exclusionē gratiæ concommitantis, sed etiam per exclusionem gratiç antecedentis.

Solutio in falsa nititur doctrinæ.

Cæterum hæc solutio in falsa nititur doctrina; falsum enim est, quod satisfaciens, vt *quod* elicitivè sit Verbū, seu persona; quia actiones eliciuntur à natura, & solum denominativè expectant ad suppositum, vt in nostra sententia est inconcusum, cæterum ab hoc præscindendo.

16 *Impugn. 1.*

Reijcitur primo hæc solutio: natura, & non suppositum, est principium formalè liberè satisfaciendi; sed natura fundatur in gratia: ergo, & principium formalè liberè satisfaciendi. At qui in satisfactione maximè attenditur ad principium formalè liberè satisfaciendi: ergo cum hoc fundetur in gratia, etiam satisfactio ab illo procedens fundatur in gratia: ergo non est ex rigore iustitiç. Hęc vltima consequentia probabitur in tertia impugnatione. Reijcitur secūdo: quod procedit à Verbo, vt à supposito humanitatis, fundatur in gratia; sed sic procedit Christi satisfactio: ergo Christi satisfactio fundatur in gratia, & consequentèr nō est de rigore iustitiæ. Probatur maior: quod procedit à Verbo, vt à supposito humanitatis, fundatur in gratia vnionis gratis, & liberalitèr collata: ergo fundatur in gratia. Atqui si fundatur in gratia, non est de rigore iustitiæ, vt sequenti impugnatione monstrabimus: ergo Christi satisfactio non est de rigore iustitiæ. *Impugn. 2.*

Reijcitur tertio: satisfactio Christi procedit à natura, saltim, vt à principio *quo*; sed hoc fundatur in gratia: ergo satisfactio Christi, vt procedens à principio *quo*, fundatur in gratia: ergo non est ex rigore iustitiæ. Probatur hæc consequentia: satisfactio, quæ attentis principijs *quo*, & *quod* non fundatur in gratia, est ex rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quæ, vt procedens à principio *quo*, fundatur in gratia, non est ex rigore iustitiæ. Antecedens est certum, & consequentia ab oppositō legitima. *Impugn. 3.*

Denique nostra conclusio ex hac conditione probatur, & quælibet solutio, sivè adducta, sivè adducenda impugnatur: satisfactio Christi fundatur in aliqua gratia: ergo satisfactio Christi non est ex toto rigore iustitiæ. Probatur consequentia: satisfactio, quæ non fundaretur in gratia, esset ex iustitia magis rigurosa; sed per te satisfactio Christi fundatur in aliqua gratia: ergo non est ex toto rigore iustitiæ. Probatur consequentia: nulla satisfactio potest esse ex iustitia magis rigurosa, quam illa, quæ sit ex toto rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quæ iustitia magis rigurosa non est, non est ex toto rigore iustitiæ; sed Christi satisfactio, vtpote, fundata in aliqua gratia, non est ex iustitia magis rigurosa: ergo non est ex toto rigore iustitiæ.

17 *Alia probatio conclusionis.*

§. III.

Ex secunda conditione probatur conclusio.

PRobatur secundo conclusio: secunda conditio rigurosæ iustitiæ est, quod fiat ex bonis alio titulo

18 *Probatur 2. conclusio.*

non

non debitis creditori; sed hæc cõditio defãcit Christi satisfactioni: ergo satisfactio Christi non est de rigore iustitiæ. Consequentia est legitima. Maior claret ex dictis *n.* 4. & est à Theologis communitèr recepta. Minor verò probatur: omnia Christi opera sunt Deo debita titulo gratitudinis, obedientiæ, religionis, & aliorum: ergo prædicta condictio defficit satisfactioni Christi.

Huic probationi ex hac conditione desumptæ variè respondent adversarij, quos optimè impugnat Ill. Godoy *à num.* 58. *vsque ad* 65. ipse verò singularem adducit solutionẽ, à nobis nunc declarandam, & impugnandam.

19 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet itaque *n.* 66. quod quando tituli, ex quibus opus aliquod debetur, sivè omnes iustitiæ sint, sivè diversarum virtutum, non multiplicant materiam, sed incidunt supra eandẽ, posse vno opere omnibus ex rigore satisfieri, vt constat his exemplis; si enim quis debeat loco sacro centum ex contracto emptionis, & venditionis, & voveat Deo, se illa centum debita loco sacro soluturum, vnica centũ solutione satisfacit titulo religionis ex voto, & titulo iustitiæ ex contractu; quia vterque ille titulus eandẽ materiam concernit, & supra eandem materiam cadit. Insuper: si quis Petro, v. g. ex contractu debeat centum, & promittat, se illa intrà tale tempus soluturum, quæ promissio à Petro creditore acceptetur, vnica tantum solutione satisfacit duobus iustitiæ titulis, orto, scilicèt, ex contractu, & orto ex promissione acceptata; quia vterque, & si iustitiæ sit, cadit supra eandẽ materiã: licèt autem operationes Christi debitæ fuerint titulo obedientiæ, & titulo fide iusoris pro hominibus; quia tamen isti tituli supra easdẽ actiones cadebant, potuit Christus eisdem operationibus, & titulo obedientiæ & titulo iustitiæ, ex rigore satisfacere, Deumque ex iustitia obligare ad remissionem offensæ.

20 *Ad formã reducitur solutio.*

Ex hac Ill. Godoy doctrina in forma ad nostram probationem respondebit distinguendo maiorem: conditio rigurosæ iustitiæ est, quod fiat ex bonis alio titulo non debitis, si tituli materiam multiplicent concedit maiorem; si cadant supra eandem materiam negat maiorem; negat minore, & distinguit similitèr probationem; negatque consequentiam; quia tituli, ex quibus operationes Christi debentur, eandem materiam concernunt.

Hæc tamen solutio impugnatur primo: licèt possit vnico opere satisfieri duplici titulo cadenti supra eandem materiam; tamen ratione operis alio titulo debiti creditori, non potest creditor obligari ex iustitia; sed Christi satisfactio fuit Deo creditori alijs titulis debita: ergo nequit Deus ex illa obligari ex iustitia: ergo non fuit ex rigore iustitiæ. Minor, & consequentia tenent. Maior verò probatur: opus alio titulo debitum creditori, est proprium ipsius creditoris; sed ratione operis proprij creditoris nequit creditor ex iustitia obligari; quia nemo ex iustitia obligatur per id, quod est suum proprium, vt manifeste claret: ergo, &c.

21 *Impugn. 1.*

Dices cum Ill. Godoy *n.* 71. maiorẽ ad summum esse veram de opere finito moralitèr, quod sicut ob sui limitationem in æstimatione morali non potest duplici titulo adæquari, & duplici æquivalere obligationi; ita non potest, si à creditore alio titulo exigatur, ipsum obligare ad præmium aliquod conferendum, vel iniuriam remittendam; non autem esse veram in opere infinitæ dignitatis simplicitèr, qualia sunt opera Christi, quę ratione infiniti valoris, sicut possunt pluribus titulis sufficientèr occurrere: ita, licèt à Deo vno titulo exigatur, possunt ipsum ex iustitia obligare, vel ad præmium conferendũ, ad quod à Christo ordinantur, vel ad remittẽdã offensã.

22 *Dices cum Ill. Godoy.*

Sed licèt falsitas huius solutionis satis constet ex dictis *disp.* 3. vbi contra ipsum monstravimus: Christi satisfactionem non esse simplicitèr infinitam; tamen data, pro nunc hac infinitate. Contra: nam licèt infinitas satisfactionis sufficiat ad satisfaciendum pluribus debitis quoad æqualitatem, insufficiens est ad satisfaciendum ex rigore iustitiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: illa satisfactio infinita erat Deo debita alijs titulis: ergo, &c. Antecedens est certum. Consequentia est notoria in vi huius conditionis ad rigurosam iustitiã requisitæ.

Contra.

Impugnatur secundo prædicta so-

23 *Impugn. 2.*

lutio:

lutio: ſatisfactio, quæ fieret ex bonis alio titulo non debitis, eſſet ſatisfactio ex rigore iuſtitiæ: ergo ſatisfactio, quæ fit ex bonis alio titulo debitis, non eſt ex rigore iuſtitiæ. Antecedens eſt indubitatum. Conſequentia ab oppoſito eſt legitima.

24 Nec exempla ab Ill. Godoy in ſolutione adducta faciunt ad rem: quia non dubitamus, vnica ſolutione poſſe ſatisfieri duplici titulo cadenti ſuprà eandem materiã, quando creditores ſunt diſtincti, vt optimè probãt exempla illius; cæterum negamus: poſſe ſatisfieri ex rigore iuſtitiæ duplici titulo, quando creditor eſt vnus, & idẽ, eique alio titulo debetur ſolutio, vt claret ex dictis. Sed vt hoc melius percipiatur, in forma contra nos formo ſolutionem Ill. Godoy.

25 *Dices cum Ill. Godoy.* Dices cum Ill. Godoy. quando tituli cadunt ſuprà eandem materiã poteſt vnica ſolutione ſatisfieri titulo religionis ex voto, & titulo iuſtitiæ ex contractu, vt claret in exemplis adductis *n.* 19. ſed tituli, ex quibus operationes Chriſti debẽtur, cadũt ſuprà eandẽ materiã: ergo potuit Chriſtus eiſdẽ operationibus titulo obediẽtiæ, & titulo rigoroſæ iuſtitiæ ſatisfacere.

26 *Reſpondeo.* Reſpondeo diſtinguendo maiorẽ: quando tituli cadunt ſuprà eandem materiam, & ſub diverſis creditoribus, quorum nulli debetur ſolutio ratione duplici tituli, poteſt vnica ſolutione ſatisfieri titulo religionis ex voto, & titulo iuſtitiæ ex contractu concedo maiorem; quando tituli cadunt ſuprà eandem materiam, & ſub vno creditore, cui alio titulo debetur ſolutio, poteſt vnica ſolutione ſatisfieri titulo religionis ex voto, & titulo iuſtitiæ ex contractu nego maiorẽ; diſtinguo minorem: cadunt ſuprà eãdem materiam, & ſub vno creditore, cui alio titulo debetur ſolutio concedo minorem; & ſub diverſis creditoribus nego minorem, & conſequentiam. Nec amplius probant exempla tradita, vt liquet ex ipſis.

27 *Inſtat probationem Ill. Godoy.* Inſtat tamen Ill. Godoy probationem contra nos *n.* 66. prædicta noſtra probatio, vel convincit: Chriſtum nõ ſatisfeciſſe ad æqualitatem; vel non probat: non fuiſſe de rigore iuſtitiæ; ſed vtrũque eſt contra nos: ergo ruit dicta probatio. Probat aſſumptum: nã ex debitis alio titulo id circo nõ poteſt fieri ſolutio ex rigore iuſtitiæ, quia multiplicatis titulis nõ adæquat vnica ſolutio obligationem ex illis multiplicatam, vt conſtat exemplo illius, qui promiſit loco ſacro centũ, & poſtea ex contractu emptionis eidem loco ſacro ſolvendi alia centum debitum contraxit; in hoc enim caſu ideò vnica centum ſolutione vtrique titulo ſatisfieri non poteſt, quia centũ non adæquant ducenta, & hæc ſunt, quæ debentur ex illo duplici titulo: ergo eſſe opus duplici titulo debitum, eatenùs ſolum obſtare poteſt in ſatisfactione rigori iuſtitiæ, quatenùs obſtat illius æqualitati, tollitque ab illa æqualitatem cum offenſa irrogata, licèt non abſolutè ſumpta; bene tamen, vt ſimul concurrente cum obligatione ex alijs titulis orta; ac proindè ex eo, quod operationes Chriſti Deo creditori fuerint alijs titulis debitæ, vel probatur: non fuiſſe ad æqualitem ſatisfactorias pro offenſa irrogata Deo, vel non poteſt convinci: ex rigore iuſtitiæ ſatisfactorias non fuiſſe.

28 *Reſpondeo.* Reſpondeo negando aſſumptum, ad cuius probationem nego antecedens: nã ideò ex dictis alio titulo nequit fieri ſolutio ex rigore iuſtitiæ, quia quod eſt debitum alio titulo creditori, eſt proprium ipſius creditoris, & nequit creditor obligari ex iuſtitia per id, quod eſt proprium ipſius, vt diximus *n.* 21. Nec vim facit exemplum contra ſatisfactionẽ Chriſti, quia quãtum tituli multiplicentur, omnibus adæquat, imò & ſuperexcedit Chriſti ſatisfactio ex dictis. Vndè licèt eſſe debitum alio titulo in Chriſti ſatisfactione impediat rigoroſam iuſtitiã; non tamen perfectam æqualitatem, nec ſuperabundantiam ob rationes datas diſputatione præcedenti, cõtra quod, quęcũque paritas perſonę creatę nihil facit, ob dignitatem perſonæ Chriſti.

29 *Retorqueo.* Deindè retorqueo inſtantiam contra Ill. Godoy: opera præcepta ſunt Deo debita titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ, & aliorum; ſed hæc titulorum multiplicatio non impedit, quod per illa mereamur de condigno gloriam apud Deum: ergo multiplicatio titulorum non impedit æqualitatem meriti ad præmium: ergo nec ſolutionis ad debitum: ergo falſa eſt

illa

illa causalis Ill. Godoy: ideò ex debitis alio titulo non potest fieri solutio ex rigore iustitiæ, quia multiplicatis titulis non adequat vnica solutio obligationem ex illis multiplicatam.

30 *Adhuc instabis.* Instabis adhuc pro Ill. Godoy: creatura potest Deo satisfacere pro suo peccato per actū Deo aliàs indebitū: ergo & Christus: ergo saltim ex defectu huius cōditionis nō defficiet Christi satisfactio à rigore iustitiæ. Antecedens est Scoti *in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. §. quantum ad istum artic.* *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: aliàs in debitū titulo obedientiæ, vel religionis concedo antecedens; titulo dominij, & proprietatis nego antecedens; distinguo similitèr primū cōsequens, & nego secundū; & hoc solū est, quod vult Scotus *cit.* nam solum intendit: creaturam de potentia Dei absoluta posse satisfacere per actum non præceptum, consequentèrque indebitum titulo obedientiæ, & religionis dumtaxat.

31 *Alia instantia suprà reiecta.* Aliam solutionem ad nostram probationem ex hac secunda conditione deductam tradit Ill. Godoy *n. 73.* ex Ferrara, Soto, Vicentio, Nazario, & Granado, quam ommitto, quia illam etiam dedit ad primam probationem, & est omninò eadem cum posita *n. 15.* quæ *n. 16.* impugnata manet.

§. IV.

Probatur conclusio ex tertia, & quarta conditione.

32 *Probatur 3 conclusio.* PRobatur tertio conclusio: tertia conditio ad riguosam iustitiam requisita est: quod fiat non ex bonis ipsius creditoris, sed ex bonis proprijs ipsius debitoris, in quæ creditor nullum habeat ius, dominiū, vel possessionem; atqui hæc conditio defficit satisfactioni Christi: ergo Christi satisfactio non fuit ex toto rigore iustitiæ. Probatur minor: opera Christi satisfactoria sunt sub dominio Dei; nam omnia sunt res creatæ: ergo hæc conditio defficit satisfactioni Christi. Alitèr formatur prædicta probatio ex quarta conditione: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiritur, quod bona, quibus fit satisfactio, non sint sub dominio vtriusque, scilicèt, creditoris, & debitoris, seu vt alij explicant, requiritur iurium alteritas; sed hoc defficit Christi satisfactioni: ergo non fuit ex toto rigore iustitiæ. Cōsequentia est legitima. Minor probatur, vt probata manet minor probationis antecedentis. Maior vtriusque rationis constat ex dictis *num. 5. & 6.*

33 *Proponitur hæc ratio, vt ab Ill. Godoy.* Hæc ratio proponitur ab Ill. Godoy *n. 76.* sub hac forma: satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ex bonis proprijs debitoris, seù satisfacientis; sed Operationes Christi non fuerunt bona propria ipsius, vt hominis, qua ratione satisfecit, sed sub perfectissimo dominio Dei creditoris: ergo nō fuit de toto rigore iustitiæ. Maiorē tradūt Anselmus, Ricardus, Scotus, Durandus, Capreolus, Ferrara, & Sotus, estq̄ communis. Consequentia est bona, & minor nō minus apperta videtur: sicut enim nullum ens creatū subterfugere potest causalitatē Dei; ita nec potest nō esse sub illius dominio supræmo, quod suprà causalitatem fundatur, & æqualitèr cū illa se extēdit; opera autē quibus Christus satisfecit, aliquid creatū sunt, & consequentèr sub dominio Dei creditoris perfectissimo existūt, cum quo non stat, quod sub dominio Christi satisfacientis extiterint; non enim potest vnius, & eiusdē rei duplex dominus, & dominium duplex dari.

34 *Alitèr proponitur.* Quod argumentū in hac parte præcipuū (prosequitur Ill. God.) alijs terminis solet proponi: nā satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ad alterū iure, & dominio; sed satisfactio Christi ad alterū iure, & dominio non fuit: ergo nec fuit ex rigore iustitiæ. Consecutio est legitima. Minor certa; etenim satisfactio Christi fuit aliquid creatū: ergo pendens à Deo; tum: vt ab excitante; tum: vt ab adiuvante; tum denique: vt per illā physicè agente, vel saltē vt illā concursu simultaneo causante, & consequentèr erat sub dominio perfectissimo Dei in illius efficientia, & causalitate fundato. Ex quo vlterius fit, non fuisse ad alterum iure, & dominio.

Maior autem probatur: nam Arist. *lib. 5. Ethic. cap. 5. & 6.* ideò negat: inter Patrem, & Filium non emancipatum posse propriam reperiri iustitiam circa rem familiarē, quia filius non emācipatus suprà illam non habet dominium à dominio Patris distinctum: ergo propria, & riguosa iustitia petit esse inter extrema distincti iuris, & dominij, & consequentèr petit esse ad al-

terum aleitate iuris, aleitateque dominij. Et ratione suadetur: nam per contractum iustitiæ ab vno in alterum dominium transfertur; sed si extrema diversi dominij non sint, non potest huiusmodi translatio exerceri, vt ex ipsis terminis constat: ergo propria, & riguroſa iustitia petit esse ad alterum iure, & dominio, ideſt, inter duos, quorum vterque dominio distincto gaudeat, & vno ab altero independenti, nec illi subordinato.

Huic rationi sic, vel sic efformatæ varijs modis occurritur ab Authoribus contrariæ sententiæ, quorum solutiones tradit, & reijcit Ill. Godoy *à num. 77. vsque ad* 88.

35 *Respondet Ill. Godoy.*

Ipse verò *num* 90. respondet distinguendo maiorem: satisfactio ex rigore iustitiæ petit esse ex proprijs satisfacientis positivè concedit maiorem; privativè subdistinguit: antecedentèr, absolutè, & concomitantèr sub aliquo modo speciali concedit maiorem; privativè absolutè negat maiorem; & sub eadem distinctione, & subdistinctione minoris, negat consequentiam; nam satisfactio Christi fuit propria ipsius positivè, & sub illius dominio positivo ratione libertatis, & antecedentèr negativè absolutè, quatenùs ante quam à Christo, vt homine, eliceretur, sub actuali Dei dominio non erat, & concomitantèr negativè, non absolutè, sed sub aliquomodo speciali, quatenùs, & si à Deo esset efficientèr causata, non tamē erat ab illo elicitivè virtualitèr, liberè, & denominativè, qualitèr à Christo processit, & qualiter fuit illius; fuit enim Christi, vt viventis per illam, liberè per illam volentis, & liberè satisfacientis, quibus modis Dei, vt creditoris, non fuit.

36 *Ad probationem aliter efformatam.*

Et ex his ad eandem probationem alijs terminis propositam distinguit maiorem: satisfactio ex rigore iustitiæ debet esse ad alterùm in re positivè concedit maiorem; privativè subdistinguit: antecedentèr absolutè, & concomitantèr sub aliqua ratione speciali concedit maiorem; omnino privativè negat maiorem; & sub eadem distinctione, & subdistinctione minoris, negat consequentiam, ideſt, quod petit esse ad alterum iure, hoc est, quod ille, cui satisfactio fit, habeat ius distinctum à iure debitoris satisfacientis; non tamen petit, quod fiat ex his, quæ talitèr sint propria satisfacientis, vt nulla ratione sint sub creditoris dominio, sed sufficit, quod modo aliquo sint sub dominio satisfacientis, quomodo sub dominio creditoris non sint.

37 *Explicatur*

Hanc solutionem explicat Ill. Godoy *n.* 89. & ait: ad iustitiam riguroſam sufficere, quod sit ex proprijs satisfacientis positivè, ideſt, quod quando fit satisfactio, sub dominio satisfacientis sit, & antecedentèr negativè absolutè, ideſt, quod ante quam exhibeatur liberè à satisfaciente, sub dominio creditoris noñ fuerit, & concomitantèr privativè, non absolutè, sed sub aliqua ratione speciali, ideſt, quod quando satisfactio exhibetur, sit aliquo modo sub dominio satisfaciētis, quomodo non sit sub dominio creditoris.

Quæ omnia (prosequitur idem) in satisfactione Christi concurrunt; fuit enim actus Christo Domino liber, & consequentèr sub illius dominio existēs titulo libertatis; homo enim ratione liberi arbitrij est suorū actuū dominus, & ante quā exhiberetur à Christo, sub dominio actuali Dei creditoris nō erat, sed in libertate Christi, vt hominis, fuit cōstitutū, actū satisfaciētē elicere, & cōsequentèr ab illius libertate pendebat, talē actū sub dominio Dei actuali constituere. Ac denique: & si postquam extitit, fuerit sub dominio Dei creditoris titulo creationis, & efficientiæ; non tamen fuit Dei creditoris, vt libere volentis per actum voluntatis à Christo Domino elicitum, nec vt suppositi illum elicientis: quomodo exiſtebat sub dominio Christi debitoris; Christus enim per actum voluntatis media humanitate elicitum denominabatur libere volens, & suppositum Verbi, vt humanitatem terminans, omnes actus humanitatis, vt *quod* efficiebat, & eliciebat, & ab illis denominabatur iuxtà illorum qualitatem, nimirum, ab actu intellectus intelligens, ab actu voluntatis volēs, ac proindè satisfactio Christi fuit ex proprijs ipsius concomitantèr privativè, non absolutè, sed sub aliqua ratione speciali; quia nimirum aliquo modo erat sub dominio Christi, vt satisfacientis, quomodo sub

dominio Dei, vt creditoris non erat, quod ad rigorem iustitiæ in satisfactione sufficere, constat.

38 *Solutio Ill. God. ad pauciora redacta.*

Tota hæc verborum confusio, qua vtitur in solutione Ill. Godoy reducitur ad responsionem Thomistarum antiquorum paucis, & clarissimis verbis dicentium: Christum, vt hominē, habuisse perfectū ius libertatis in suos actus, & hac ratione fuisse perfectum dominum illorum, ideoque super illos fundare rigorosam iustitiam cū Deo; seu vt alij dicunt: Christus satisfecit per opera, quæ titulo libertatis erant sub dominio illius; nam hac ratione Christus erat dominus suorum actuum, quod sufficit ad satisfactionem, & rigorosam iustitiam.

39 *Impugnatur 1.*

Impugnatur primo prædicta Ill. Godoy solutio: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiritur, quod ita fiat ex bonis proprijs debitoris, quod creditor in illa nullum habeat ius, & dominium; sed hoc deficit in Christi satisfactione: ergo ruit allata solutio. Minor claret ex solutione Ill. God. nam iuxta illum nō absolutè, sed sub aliquo tantummodo speciali Christus erat dominus suorum actuum: ergo aliquomodo erant sub dominio Dei: ergo Deus aliquod ius, vel dominium habebat in actus Christi. Maior vero probatur: ad satisfactionem ex rigore iustitiæ requiritur perfecta iurium alteritas; sed quando creditor habet aliquod ius, vel dominium in bona debitoris, non reperitur perfecta iurium alteritas: ergo, &c. Minor probatur: quando creditor nullum habet ius, vel dominium in bona debitoris, reperitur perfecta iurium alteritas: ergo è contra, &c.

40 *Impug. 2.*

Impugnatur secundo: satisfactio, quæ fit ex bonis ita proprijs debitoris, vt nullo modo sint sub dominio creditoris, est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quę fit ex bonis, quæ aliquomodo sunt sub dominio creditoris, non est satisfactio ex rigore iustitiæ. Atqui talis est iuxta Ill. Godoy Christi satisfactio: ergo Christi satisfactio non fuit ex rigore iustitiæ, & consequenter ruit solutio tradita. Antecedens est certum. Consequentia ab oppositō legitima. Sumpta est ipsius Doctoris, & consequentia infertur. Impugnatur tertio: satisfactio, quæ fit ex bonis ita proprijs debitoris, vt creditor in illa nullū habeat ius, & dominium, est satisfactio ex rigore iustitiæ: ergo è cōtra: satisfactio, quæ fit ex bonis, in quæ creditor aliquod habet ius, & dominium, non est satisfactio ex rigore iustitiæ; sed talis est Christi satisfactio iuxta Ill. Godoy: ergo Christi satisfactio non fuit ex rigore iustitiæ: ergo ruit solutio.

Impug. 3.

Quarto impugnatur, ad rigorosam iustitiam nō sufficit dominium libertatis, sed requiritur dominium perfectæ alteritatis, & proprietatis; sed Christus in opera satisfactoria, licèt habuisset dominium libertatis; nō tamen habuit dominium perfectæ alteritatis, & proprietatis: ergo Christi satisfactio non fuit ex rigore iustitiæ. Maior constat: alioquin inter Patrem, & Filium, Dominum, & servum reperiri posset rigorosa iustitia contra Arist. 5. *Ethic. cap.* 1. nam filius, & servus habent dominiū libertatis in sua opera. Minor est certa: quia nō minus opera Christi sunt propria Dei, quam opera filij, & servi sunt propria Patris, & Domini. Cōsequentia est legitima.

41 *Impug. 4.*

Impugnatur quinto: dominium libertatis in efficiendo, vel non efficiēdo non sufficit ad rigorosā iustitiam, sed requiritur, vt factū non sit sub dominio creditoris, ita vt statim, quod factū sit, debeatur creditori: ergo nec dominiū Christi in opera satisfactoria sufficit, vt eius satisfactio sit ex rigore iustitiæ: ergo nulla est solutio Ill. Godoy. Secunda consequentia ex prima manifestè infertur. Prima autē claret: nā dominiū Christi est tantū dominiū libertatis, eiusque opera statim, vt facta sunt, debētur Deo. Antecedēs probatur: licèt Ancila habeat dominium libertatis in concipiendo, vel nō concipiendo, tamē, quia si semel cōcepit, partus est ipsius domini, per hunc non potest Ancila Domino ex rigore iustitiæ satisfacere: ergo, &c.

42 *Impug. 5.*

Vt denique videatur: totā doctrinā, quā pro responsione adducit Ill. God. vim nostræ probationis non tollere, impugnatur sexto, vttendo eisdē terminis, quibus ipse vtitur in solutione: ideò Christi satisfactio iuxtà solutionē fuit ex rigore iustitiæ, quia fuit propria Christi positivè ratione libertatis, & antecedētèr negativè absolutè,

43 *Impug. 6.*

quatenus antequā à Christo eliceretur, sub actuali Dei dominio nō erat, & cōcomitāter negativè nō absolutè, sed sub aliquo modo speciali, scilicèt quatenus erat ab illo elicitivè, virtualiter, liberè, & denominativè; fuit nāq; Christi, vt vivētis per illā, libere per illā volentis & satisfaciētis; atqui hæc omnia reperiūtur in operibus filij respectu Patris, & servi, vel Ancilæ respectu domini: ergo inter Patrē, & filiū, servū & dominū dabitur rigurosa iustitia, quod est contra Ill. Godoy in hoc Phylosophum sequentem. Maior, & consequentia tenent.

Minor autē, inqua est tota difficultas, probatur: opera filij (idē dicendū de servo) sunt propria illius positive ratione libertatis, & antecedentèr negativè absolutè, quīa ante quam a filio eliciantur, sub actuali Patris dominio non sunt; & concomitantèr negativè, nō absolutè, sed sub aliquo modo speciali, quia sunt ab illo elicitivè virtualiter, libere, & denominativè; sunt nāque filij, vt viventis per illa, libere per illo volentis, & operantis; atqui hæc sunt, quæ in Christi satisfactione reperiuntur: ergo hæc omnia reperiuntur in operibus filij respectu Patris, & servi, vel Ancilæ respectu Domini.

44 *Dices 1. pro Ill. Godoy.* Dices primo pro Ill. God. dominiū Dei in actus Christi non impedit dominiū privatū Christi in eosdē actus: ergo nec impedit, quod per illos satisfaciat ex rigore iustitiæ. Consequētia patet: nā satisfactio de rigore iustitiæ nititur proprio dominio. Antecedens probatur: dominiū Dei est dominiū diversæ rationis à dominio privato creaturæ: ergo dominiū Dei in actus Christi nō impedit dominiū privatū Christi in eosdē actus. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: nō impedit dominiū privatū libertatis concedo antecedens; dominiū perfectæ alteritatis, & proprietatis nego antecedens, & consequentiā; nā ad satisfactionē ex rigore iustitiæ requiritur dominiū perfectæ alteritatis, & proprietatis, quin sufficiat dominiū libertatis, vt constat exemplis allatis *n.* 41. & 42. ex quibus fiat retorsio. Distinguo etiā probationē antecedentis: dominiū Dei est diversę rationis à dominio privato creaturæ, in ipsoque imbibitū cōcedo antecedens; nō imbibitū in ipso nego antecedens, & distinguo consequens, vt distinxi. Distinguo etiā probationem consequētiæ: satisfactio de rigore iustitiæ nititur proprio dominio alteritatis, & proprietatis concedo; proprio dominio libertatis nego. Solutio claret ex dictis. *Retorqueo.*

45 *Dices 2.* Dices secundo pro eodem: libertas Christi efficit, vt Deus adquirat ius, & dominiū in actus liberos humanitatis: ergo Christus habet in suos actus non solū dominiū libertatis, sed etiā proprietatis: ergo de rigore iustitiæ satisfecit. Probatur antecedens: Deus non adquirit ius in actū, nisi in re sit elicitus; sed elicientia actus Christi in Christi libertatè consistebat: ergo libertas Christi efficit, vt Deus adquirat ius, & dominium in actus liberos humanitatis. *Respōdeo 1.* Respondeo primo negādo antecedens: quia libertas nostra non est causa, cur Deus adquirat ius actuale in actus nostros libere elicitos, sed tantū pura conditio, qua posita Deus ex se habet ius in illos ratione vniversalis, & suprēmi dominij, quod habet in omnia; sicut productio frutus ex arbore non est traditio iuris in dominū arboris, sed tantū pura conditio, qua posita per idem ius, quod in arborem habebat, dominium quoque actuale adquirit in fructus arboris.

Respōdeo 2. Respondeo secundo ommittendo antecedens, & negando consequentiā; quia ad dominium proprietatis, quod ad rigurosam iustitiam requiritur, non sufficit, quod sit in potestate creaturę efficere, vel nō efficere opus, sed requiritur, quod opus factū no sit sub dominio Dei, vt claret ex dictis *n.* 42. & in exemplo filij *n.* 41. Et ratio est: quia si opus statim, vt factū est, debetur Deo titulo creationis, & conservationis, non potest creatura suprà illum iustitiam fundare, quia nemo iustitiam perfectā, & dominium proprietatis fundare potest suprà id, quod est alterius, vt optimè declarant exē. pla prædicta.

46 *Dices 3.* Dices tertio pro ipso: hac responsione solū probari: Deum ex se habere ius in actus Christi, postquam sunt eliciti; non vero antequam eliciātur: ergo saltim ratione huius dominij antecedentis, quod Christus habeat eos eliciendi, vel non eliciendi, poterat rigurosam iustitiā fundare. Proba-

tur

tur antecedens: nam sicut antea erat in libera Christi potestate eos elicere, vel non elicere, ita erat sub pleno eius dominio: ergo hæc responsio solum probat: Deum ex se habet ius in actus Christi postquam sunt elicit; non verò ante quam eliciantur.

47 *Respõdeo 1.* Respondeo primo negando antecedens: quia in tantum actus voluntatis nostræ, antequam eliciantur, sunt in nostra potestate, & dominio, in quã tum habemus concursum Dei paratũ ad eos eliciendos, vel non eliciendos; vnde antequã eliciantur, habet Deus independenter à creatura plenũ dominium in causam productivam, & consequenter in actus ab ea producibiles, ratione cuius dominij, etiam antequam eliciantur, iure possunt à Deo exigi, vt sui, non minus, quam à Patre, & Domino exigi possunt opera libera filij, & servi ante quam eliciantur.

Respõdeo 2. Respondeo secundo ommittendo antecedens, & negando cõsequentiã: quia illud Christi dominum antecedens est tantum dominium libertatis, quod insufficiens est ex totiès dictis ad rigurosam iustitiam fundandam.

Denique respond. Denique argumentum probat: filium, & servum fundare posse rigurosam iustitiam in Patrem, & Dominũ, quia habent dominium antecedens ad eliciendos, vel non eliciendos suos actus, vt *n.* 43. demonstravimus.

48 *Dices 4.* Dices denique pro illo: ad verum meritum sufficit, quod operans habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei: ergo similiter: ad veram iustitiam sufficit, quod operãs habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: ad verum meritum quoad condignitatem, & æqualitatem sufficit, quod operans habeat dominium libertatis in suos actus, etiam si actus illi cadant sub dominio Dei concedo antecedens; quoad rigurosam iustitiam nego antecedens, & distinguo similiter consequens; nam ob eandem rationem, qua negamus satisfactionem Christi ex rigurosa iustitia, negamus etiam meritum hominis apud Deum ex iustitia rigurosa.

§. V.

Solvitur fundamentum Ill. Godoy.

49 *Arguit Ill. Godoy.* ARrguit Ill. Godoy *n.* 3. nam iuxtà Scripturam, & Patres, Christus satisfecit pro hominibus satisfactione ex iustitia perfecta; sed nequit esse satisfactio ex perfecta iustitia, nisi sit de rigore iustitiæ. ergo satisfecit ex toto rigore iustitiæ. Consecutio est legitima. Minor constat; etenim defectus à rigore iustitiæ est defectus à perfectione iustitiæ: ergo si satisfactio Christi fuit de perfecta iustitia, fuit de toto illius rigore, nec vlla ex cõditionibus exactis ad rigorẽ iustitiæ defuit. Probatur maior ex D. Paulo 1. ad Corinth. 1. Vbi de Christo loquens ait: *Qui factus est nobis sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Et ad Rom 3. illis verbis: *Quem* (nempe Christum) *proposuit propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ.* Ex quibus apertè constat: Christum pro peccatis hominum satisfeciſſet ex iustitia; sed non ex iustitia imperfecta, aliàs imperfectè pro nobis satisfeciſſet: ergo satisfactio Christi fuit ex iustitia perfecta. Consonant Ecclesiæ Patres. Augustinus *lib. 13. de Trinitate*, vbi docet: Diabolum à Christo non potentia, sed iustitia victum, & superatum fuisse. Id ipsum docet *cap. 14. & lib. de Civit. Dei cap. 20. Et in Inchirid. cap. 49.* Basilius *homilia 25.* Cyprianus *in expositione symboli.* Athanasius *lib de Incarnatione.* Anselmus *lib 2. cur Deus homo*, & alij, quos lato calamo refert Vincentius *vbi suprà.*

Respondeo. 50 Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: iuxtà Scripturam, & Patres Christus satisfecit pro hominibus satisfactione ex iustitia perfecta quoad æqualitatem concedo maiorem; quoad exclusionẽ gratiæ, aliarumque conditionum, quæ ad rigurosam iustitiam requiruntur nego maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Itaque aliud est, satisfactionem esse ex perfecta iustitia; & aliud esse ex toto rigore iustitiæ. Ad primum sufficit æqualitas, vel condignitas; ad secundum verò requiruntur conditiones enumeratę. Primũ habet Christi satisfactio, ideoque est ex perfecta iustitia, vt *disp. seq.* ostendemus. Secundum deficit satisfactioni Christi, vt ex nostris claret

probationibus: ideoque non est de rigore iustitiæ.

51 *Replicat 1. Ill. Godoy.* Contra hanc solutionem replicat primo Ill. Godoy *n.5* nam melius explicantur Scripturæ Sacræ, & Sanctorum PP. verba, concesso Christi satisfactioni, quod sit perfecta ex toto rigore iustitiæ, quam solum ei concessa perfectione condignitatis, & æqualitatis, & alias, ex eo, quod non solum æqualitas, sed etiam rigor iustitiæ ei attribuatur, nullum absurdum, vel inconveniens infertur: ergo accipienda sunt Scripturæ, & PP. verba de perfecta iustitia, non solū perfectione æqualitatis, seu condignitatis, sed etiā perfectione rigoris iustitiæ, ita, vt conditiones omnes ad rigorem iustitiæ in satisfactione exactæ in satisfactione Christi convenerint.

52 *Respondeo.* Respondeo negando antecedens ob rationes nostræ conclusionis; imo ex hoc sequeretur: Deum non habere supremum dominiū in opera Christi satisfactoria. Deinde: prædicta opera non esse Deo debita titulo gratitudinis, obedientię, religionis, & aliorum. Denique sequeretur: satisfactionem Christi non fundari in gratia vnionis facta humanitati, & auxilijs a Deo liberaliter illi collatis, quæ omnia sunt absurda, & erant necessaria, vt Christi satisfactio esset de rigore iustitiæ.

53 *Replicat 2.* Replicat secundo *n.cit.* nam conditiones requisitæ, vt satisfactio sit de toto rigore iustitiæ, etiam necessariæ sunt ad perfectam æqualitatem: ergo vel satisfactio Christi non fuit perfecta quoad æqualitatem, vel fuit de toto rigore iustitiæ. Probatur antecedens: eo ipso, quod restitutio in humanis non sit ad alterum, nec excludat gratiam creditoris, nec ex proprijs fiat, nec sit ex alio titulo indebitis æqualis esse non potest: ergo omnes conditiones requisitæ ad rigorem iustitiæ, requiruntur etiam ad æqualitatem.

54 *Respōdeo 1.* Respondeo primo ad replicam negando antecedens, & eius probationē: quia satisfactio potest esse ad æqualitatē, quin in ipsa reperiantur conditiones requisitæ ad rigorē iustitiæ; nā potest satisfactio esse æqualis interveniēte gratia creditoris, & debito alijs titulis, vt concedunt omnes Theologi, propter hoc distinguentes satisfactionem duplicem. Vnam quoad æqualitatem; & alteram ex rigore iustitiæ, vt cum ipsis diximus *n.1.* & etiam fatetur Ill. Godoy *num.1.*

55 *Declaratur 1.* Declaratur hoc primo: libera donatio non tollit condignā satisfactionē; sed tollit satisfactionē ex rigore iustitiæ: ergo conditiones requisitæ ad satisfactionē ex rigore iustitiæ non sunt necessariæ ad satisfactionē æqualem. Probatur maior: si debitor satisfaciat ex bonis antea sibi a creditore donatis, satisfacit ad æqualitatē, & non ex rigore iustitię; ergo libera donatio nō tollit condignā satisfactionē. Probatur antecedēs: ille debitor reddit æquale, intervenīente gratia creditoris: ergo, &c. Declaratur secūdo: quod opus satisfactorium sit debitū alijs titulis, nō tollit æqualitatē; sed tollit rigorē iustitię: ergo conditiones requisitæ ad satisfactionē ex rigore iustitię no sunt necessariæ ad satisfactionē quoad æqualitatē. *Declaratur 2.*

Declaratur 3. Declaratur denique: ad satisfactionē quoad æqualitatem solum requiritur æqualitas satisfactionis ad offensam, vndecunque proveniat æqualitas illa; sed ad satisfactionē ex rigore iustitiæ requiritur vltra æqualitatē, quod sit ex alias indebitis & quod no fundetur in gratia creditoris: ergo plus requiritur ad satisfactionē ex rigore iustitiæ, quā ad satisfactionē quoad æqualitatem.

56 *Respōdeo 2. retorquendo argumentū.* Respondeo secundo retorquendo argumentum contra Ill. God. ex verbis ipsius in initio adductis, quæ hic tranſcribo: *Non defeciſſe ſatisfactionem Chriſti a rigore iuſtitiæ ex defectu æqualitatis conſtat ex dictis diſp. præc. vbi non ſolum æquivalentem, ſed etiam ſuperabundantem fuiſſe cum communi Theologorum ſententia monſtravimus, in eoque conveniunt omnes Theologi dubijs antecedentibus pro noſtra ententia relati; quia tamen, vt ſatisfactio aliqua ſit de rigore iuſtitiæ præter æqualitatem requiruntur plura, vt quod ſit ad alterum iure, & ex non acceptis gratuito a creditore, ex proprijs, & ex non debitis, vt communiter aſſerunt Theologi; id circo examinata in præcedentibus infinitate ſatisfactionis Chriſti, & illius ſufficientia, & ſuperabundantia, in dubium in præſenti voeamus: an fuerit non ſolum æqualis, & ſuperabundans, ſed etiam adeò perfecta in ratione ſatisfactionis, vt fuerit de toto rigore iuſtitiæ, id eſt, an in illa omnes conditiones ad rigorem iuſtitiæ in ſatisfactione exactæ concurrerint?* Si. ad litteram Ill. Godoy *in præf. n.1.*

57 Quis itaque non mirabitur Ill. Godoy hæc adducere *n.* 1. & posteà *n.* 5. adducere replicã suprà positam, quæ sunt omninò contradictoria. Videantur, hæc videantur illa, & sine fatigatione discursus luce clarius constabit: replicam, quam contra nos facit, contra ipsum facere, ad solutionemque ex toto rigore iustitiæ teneri. Hæc est contra Ill. Godoy superabundans solutio, & retorsio. Et hæc de ista *disput.* applicanda litteræ Magistri *locis*, quibus præcedentes applicantur.

DISPVTATIO SEXTA.

An Christi satisfactio fuerit ex virtute iustitiæ?

§. I.

Necessaria supponuntur, & sententiæ declarantur.

Num. 1 SAtisfactionem Christi non fuisse de toto rigore iustitiæ vidimus *disp. præced.* quia autẽ aliud est, esse de toto rigore iustitiæ, & aliud esse ex virtute iustitiæ, id circò præsentem disputationem statuimus, in examen vocantes: An Christus ex virtute iustitiæ satisfecerit pro hominibus, & an satisfactio illius fuerit ex virtute iustitiæ, vt ab illa regulatus, & ad quã speciem iustitiæ talis virtus pertinuerit. Et licèt litigium in disputatione cum Ill. Godoy non habemus, eam tractare necessariũ est. Primo: vt dicta *disp. antec.* magis claréscant. Secundo: vt dicenda *seq. disp.* facilius intelligantur. Ob hæc ergo motiva examinanda est disputatio præsens; brevius tamen, quã Ill. God. illã pertractat. Pro qua.

Status disput. apperitur.

2 *Quid sit iustitia in communi.* Animadvertendum est, quod iustitia est virtus illa, quæ ad alterum ordinatur, seu quæ versatur circà operationes, ad differentiam aliarum virtutum, quæ versantur circà se ipsas, seu circà passiones, vt fortitudo, temperantia, &c. Ideoque dixit Aristotel. 5. *Ethic. cap.* 3. *Quod iustitia est virtus ad aliũ.*

3 *Tripliciter acccipitur.* Tripliciter autem iustitia sumi solet, scilicèt, communissime, communitèr, & propriè. Primo sumitur pro omni actione recta, quo sensu, qui rectè agit, dicitur etiam rectè agere. Secundo modo sumitur pro quacũque virtute inclinante ad reddendum alteri debitum, quo pacto omnis virtus, quæ respicit alterum, dicitur iustitia, quia reddit illi debitũ, vt religio, pietas, obedientia, &c. Solumque opponitur virtutibus, quę circà se ipsas versantur. Tertio modo sumitur pro ea virtute speciali, cuius munus est constituere æqualitatem inter aliquos secundum rationẽ debiti strictè sumpti, seu pro virtute speciali inclinante voluntatem ad reddendum alteri ius strictè debitum ad ęqualitatem, ideòque eius obiectum est ius alteri legali debito obstrictum.

4 *Differentia inter has iustitias.* Est tamen magna differentia inter iustitiã secundo, & tertio modo captam; licèt enim vtraque reddat debitum, tamen virtutes spectantes ad iustitiam secundo modo deficiunt à iustitia propriè dicta. Tum: quia non respiciunt æquale. Tum: quia non respiciunt debitum legale, & strictum, sed morale tantum, quorum vtrumque est contra rationẽ iustitiæ tertio modo. Primum patet in religione, pietate, & obedientia, quæ ex Arist. *cit.* nequeunt reddere debitum ad æqualitatem; quia semper est maius ius Deo debitũ à religione; Parentibus à pietate, & superioribus ab obedientia. Secundo claret in eisdem virtutibus, quę non respiciunt debitum legale, & strictum, sed solum morale. Pro quo.

5 *Duplex est debitum.* Advertendum est: quod duplex est debitum. Morale vnum, & alterum legale. Morale est, quod oritur ex recta ratione, & in sola virtutis honestate fundatur, vt quod Deo detur cultus, & superioribus obedientia. Legale est, ex quo oritur obligatio reddendi æquale ex aliqua lege, vt qui abstulit quatuor, reddat quatuor. Debitũ mo-

rale

rale reddit quelibet virtus. Legale verò solũ iustitia tertio modo sumpta.

6 *Iustitia stricte capta quid sit.*

Hæc iustitia strictè capta, quæ secundum Iuristas est *Constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*, id est, reddens vnicuique, quod suum est, & illi debetur, dividitur in legalem, cõmutativam, & distributivam. Legalis est, quæ servat ius communitatis illesum, & non respicit personam particularem, ideoque vocatur iustitia generalis. Commutativa est, quę respicit præcisè æqualitatem arithmeticam inter datum, & acceptum. Distributiva est, quæ respicit æqualitatem geometricam secundum qualitates personarum, vt Rex, qui militi dat duo, & Duci quatuor.

7 1. *Suppositum.*

His igitur de iustitia animadversis, vt ad difficultatem proximius accedamus, tria vt certa, & extra controversiam supponanda sunt. Primũ est: non omnes actus satisfactorios Christi fuisse elicitos à virtute iustitiæ; cum namque satisfecerit per actus charitatis, obedientiæ, humilitatis, & cæterarum virtutũ in eius anima residentium, & tales actus non eliciantur à virtute iustitiæ specialis, sed illorum cuilibet sua specialis virtus pro principio *quo* elicitivo respondeat, virtus charitatis pro elicienda dilectione Dei, virtus obedientiæ ad actum obedientiæ eliciendũ, & sic de alijs, manifestè fit consequens, non omnes actus satisfactorios Christi ad virtutem iustitiæ specialis pertinuisse elicitivè, nec ab illa fuisse elicitos; eiusdem nãque actus duplex principium proximum elicitivum specificè distinctum non datur. Vndè cum iustitia specialis à cæteris virtutibus distinguatur specificè, non potest ad illarum actus elicitivè concurrere. Cuius rei exemplum in nobis manifestum habemus; licèt enim virtus pœnitentię infusæ in animabus iustorum resideat ad satisfaciendum imperfectè Deo pro offensa in ipsum comissa; non tamen omnes actus, quibus Deo satisfaciunt, à virtute pœnitentiæ elicitivè procedunt: satisfaciunt nãque Deo per actus charitatis, qui tamen non à pœnitentia, sed à charitate, quæ in veriori, & frequentiori sententia est virtus à pœnitetia specificè distincta, eliciũtur.

8 Secundum est, quod actus, quibus Christus satisfecit, ab alijs virtutibus imperari potuerunt. Tum: quia vna virtus imperat actus alterius in ordine ad proprium obiectum, propriumque motivum, v.g. religio ex motivo cultus Divini, quod est proprium obiectum illius, imperat aliarum virtutũ actus, & ex motivo bonitatis Divinæ, vt dilectæ amicabiliter, actus aliarum virtutum à charitate imperantur. Potuit ergo Christus Dominus actus, quibus satisfecit, imperare ex motivis diversarum virtutum. Tum etiam: nam Christum satisfeciſſe ex motivo obedientię est apud Theologos constans, iuxta illud ad Philipens. *c. 2. ℣. 4. Factus obediens vsque ad mortem, mortẽ autem Crucis.* Ex quo patet: mortem, qua præcipuè pro hominibus satisfecit, subijsse ex motivo obedientiæ, & consequenter ex imperio illius; non enim potest vnius virtutis actus alterius motivũ attingere, nisi illius subijciatur imperio: ergo si sustinẽtia mortis, quę fuit actus fortitudinis, fuit ex motivo obedientiæ, ex obedientiæ imperio processit.

2. *Suppositum.*

Tum denique: nam in moriendo pro hominibus suam maximã dilectionem ostendit, iuxta illud Ioann. *15. ℣. 13. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis*: mors Christi, & consequenter satisfactio illius, ex imperio charitatis processit: non enim potest charitas manifestari per actũ, qui ab illa, saltim imperativè non sit; ac proindè actus satisfactorij Christi non solum à virtute iustitiæ specialis, sed etiam ab alijs virtutibus processerunt imperativè.

9 3 *Suppositum.*

Tertium, quod indubitatum supponimus, est: quod charitas, obedientia, cæteræque virtutes exerceri possunt ex motivo satisfaciẽdi Deo, quia vna virtus potest esse materia respectu alterius, vt si quis reddit Deo obediẽtiam ex intentione, vt ad æqualitatẽ reddat, quod debet, quia abstulit obedientiam à Deo, tunc materialiter est obedientia, formaliter verò est iustitia, quia soluit debitum legale.

10 *Apperitur difficultas.*

His itaque præmissis, difficultatis punctus consistit in eo, an, scilicèt, detur in Christo virtus iustitiæ specialis, mediante qua eliciatur propositum satisfaciendi Deo pro peccatis hominum ex motivo speciali, nempè, constituendi æqualitatẽ inter satisfactio-

nem,

nem, & offensam, sicut datur in illo virtus charitatis ad Deum diligendũ, & ad ipsum colendum virtus religionis constituitur; consequenterque per prædictã virtutem iustitiæ omnes actus satisfactorij regulentur, quatenus tendunt ad prædictam æqualitatem constituendam, ad eum modum, quo etsi per actus omnium virtutum pro peccatis proprijs homines satisfaciãt imperfectè Deo, datur in illis in veriori sententia Theologorum virtus pœnitentiæ infusa ab alijs virtutibus specifice distincta ad eliciendum satisfaciendi propositum ex particulari, & speciali motivo, videlicèt, destruendi peccatum, & offensam Deo irrogatam, per quã actus aliarũ virtutũ, vt satisfactorij sunt regulantur, & ex prędicto fine, & motivo imperantur.

11 *Referuntur sententiæ.*

In quo duæ versantur Theologorũ sententiæ. Prima est negativa, quam tenent Authores, quos citat Ill. Godoy *n.* 5. Secunda est affirmativa. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. vbi satisfactionem, & pœnitentiam ad speciem iustitiæ revocat, vt est specialis virtus, à cæteris distincta. Sic etiam D. Thom. & Thomistæ, pro quibus Ill. God. *n.* 7.

§. II.

Prima conclusio statuitur, & probatur.

12 1. *Conclusio.*

PRima conclusio: *Satisfactio Christi fuit actus veræ, & propriæ iustitiæ.*

Probatur 1

Probatur primo: ratio formalis satisfactionis ex iustitia speciali est auferre inæqualitatem redendo æqualitatem ex intentione reddendi æquale; sed Christus reddit æquale, vt constat *ex disp.* 4. & illud reddit ex intentione satisfaciendi, fuit namque fidei iusor, qui ad solvendum debitum tenetur ex iustitia: ergo Christus satisfecit per actum propriæ iustitiæ: ergo eius satisfactio fuit veræ, & propriæ iustitiæ.

Prob. 2.

Probatur secundo: satisfactionem exhibere offenso ad resarciendam iniuriam illi illatam, est actus iustitiæ propriæ, & specialis; sed hanc Christus exhibuit Deo: ergo satisfactio Christi fuit actus veræ, & propriæ iustitiæ. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur: nam satisfactio Christi potuit procedere imperativè, vel elicitivè à virtute iustitiæ, vt constat ex dictis *num* 8. ergo Christus resarcivit iniuriam illatam Deo per actum iustitiæ propriæ, & specialis. Probatur tertio conclusio: Christus satisfecit Patri ex motivo resarciendi illi iniuriã irrogatam: ergo satisfecit per actum propriæ iustitiæ. Probatur consequẽtia: actus ille, vtpotè bonus, honestus, & difficilis, est actus alicuius virtutis specialis; sed non alterius, nisi iustitiæ: ergo Christus satisfecit per actum propriæ iustitiæ.

Prob. 3.

13 *Respondet Bazquez* 1. *Cõtra* 1.

Respondet Bazquez primo negando maiorem; quia satisfactio Christi est actus omnium virtutum. Contra primo: nã licèt satisfactio Christi fiat per opera omnium virtutum, hoc nõ tollit, quod sit actus specialis virtutis; ergo ruit solutio. Probatur antecedens primo: quod omnes virtutes sint materia satisfactionis Christi, non tollit, quod satisfactio sit formalitèr actus specialis virtutis, vt constat ex dictis *n.* 8. & 9. ergo, &c. Probatur secundo: quod adoratio fiat (idem de obedientia) per opera omniũ virtutũ, hoc nõ tollit, quod sit actus specialis virtutis, scilicèt, religionis: ergo similitèr.

14 *Contra* 2.

Contra secundo: datur in nobis virtus specialis ad satisfaciendũ Deo pro peccatis: ergo satisfactio Christi est actus virtutis specialis: ergo non est actus omnium virtutum. Antecedens est ipsius Bazquez, qui *tom.* 4. *in* 3. *part. quæst.* 85. *artic.* 2. tenet: nostram satisfactionem esse actus virtutis pœnitentiæ, quæ specificè distinguitur ab alijs. Consequentia est legitima.

15 *Respondet* 2. *Contra* 1.

Respondet secundo Bazquez negando minorem; quia dato, quod Christi satisfactio sit actus specialis virtutis, non est actus iustitiæ, sed religionis. Contra primo: religio respicit, tanquam finem propriũ, & formale motivum, cultum Deo debitum; non verò resarciendi iniuriam Deo illatam; sed hoc est motivum satisfactionis: ergo satisfactio non est actus religionis. Contra secundo: licèt reddere Deo cultum sit actus religionis, illum tamen reddere ex motivo resarciendi iniuriã illatam ad religionem non pertinet: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: religio non præsupponit peccatum: ergo, &c. Antecedens claret: nam in Angelis viatoribus, & primis Parentibus in statu innocentiæ non fuit peccatum; & fuit in illis actus

Contra 2.

vir-

virtutis religionis. Consequentia est certa. Contra tertio: peccator reddit Deo cultum pro peccatis ex motivo resarciendi iniuriam; sed hic non est actus religionis, sed pœnitentiæ, vt fatetur ipse Bazquez *citatus*: ergo Christus ex religione non satisfecit pro nostris peccatis.

Contra 3.

16 *Solutio aliorum refutatur.*

Hinc refutata manent placita aliorum dicentium: Christi satisfactionē pertinere ad virtutem obedientiæ, alterius vè virtutis; vltrà quod refutantur hac generali ratione: satisfactio ex sua ratione formali præcindit à ratione formali cuiuscumque alterius virtutis: ergo satisfactio est actus specialis virtutis: ergo distincta à qualibet alia; ergo nulla sunt placita prædicta. Probatur antecedens primo: nulla virtus respicit solam compensationem pro peccato; sed hanc respicit satisfactio: ergo, &c. Probatur secundo: quælibet alia virtus habet suam rationem formalem à satisfactione distinctum: ergo, &c.

17 *Arguitur 1.*

Contra conclusionem arguitur primo: Christus satisfecit per actus omnium virtutum: ergo non ex speciali virtute: ergo Christi satisfactio non est actus veræ, & propriæ iustitiæ. Secunda consequentia legitimè infertur ex prima. Prima autē ex antecedeti. Antecedens verò probatur: nam quilibet actus Christi fuit satisfactorius: ergo Christus satisfecit per actus omnium virtutum. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: Christus satisfecit per actus omnium virtutum moraliter ommitto antecedens; formaliter nego antecedens, & distinguo similiter probationem, negoque consequentiam. Claret solutio *ex num.* 8. & 9.

18 *Arguitur 2.*

Arguitur secundo: iustitia non est eiusdem ad se ipsum; debet enim esse ad alterum ex Aristotele 5. *Ethic. cap.* 2. & 3. sed Christus sibimet satisfecit: ergo non ex iustitia: ergo Christi satisfactio nō est actus propriæ, & veræ iustitiæ. *Respondeo 1.* Respondeo primo distinguendo maiorē: iustitia non est eiusdem ad se ipsum in natura concedo maiorem; in supposito nego maiorē; nam ad iustitiam sufficit, quod sit ad alterum in natura, licèt non in supposito, & in hoc nihil facit Aristoteles; cum non cognovisset vnum suppositum in duabus naturis.

Respondeo secundo retorquendo argumentum: obedientia nō est eiusdem ad se ipsum; similiterque religio, & aliæ plures virtutes; sed Christus sibimet obedivit, sibique ipsi cultum reddit: ergo in Christo non fuit obedientia, & religio, quod est expræsse contra Scripturam.

19 *Respond. 2.*

Alia sunt argumenta, quæ militant contra iustitia inter Deum, & Christū repertam, quæ solventur disputatione sequenti, dum inquiramus: an Deus satisfactionem Christi acceptaverit ex iustitia stricta. Alia sunt; quæ probare connantur: peccatum non esse iniustitiam contra Deum; quæ in falso nituntur fundamento; omne enim peccatum est iniustitia stricta in Deum, ideòque cum Scoto sentimus: peccatorem ex iustitia teneri ad satisfaciēdum pro peccato, quod idem habet III. Godoy in præsenti *n.* 114. Alia denique probant: non esse satisfactionē Christi ex toto rigore iustitiæ, quod non est cōtra nos, vt visū est *disp. antec.*

20 *Argumenta ommissa.*

§. III.

Duplex alia conclusio statuitur, & probatur.

21 *2. Conclusio. Probatur.*

Secunda conclusio: *Hæc specialis virtus, à qua satisfactio Christi procedit, reducitur ad iustitiam commutativam.* Sic habet *n.* 35. III. Godoy, & fere omnes Authores. Probatur: iustitia commutativa respicit æqualitatem; sed Christus per satisfactionem reddit æquale pro debito peccati, imò & superabundantèr: ergo specialis virtus, à qua procedit satisfactio Christi, reducitur ad iustitiam commutativam.

22 *3. Conclusio. Probatur.*

Tertia conclusio: *Virtus iustitiæ, ex qua Christus satisfecit, est diversæ specei à iustitia commutativa.* Sic etiam III. Godoy *num.* 115. & probatur: iustitia hominis erga Deum est diversæ rationis à iustitia inter ipsos homines versante: ergo virtus iustitiæ, ex qua Christus satisfecit, est diversæ speciei à iustitia commutativa humana. Probatur antecedens: inter Deum, & homines est diversa ratio dati, & accepti, ablati, & restituti, commercij, iuris, translationis, & commutationis, ab ea, quæ inter homines datur: ergo iustitia hominis erga Deū est diversæ rationis à iustitia inter ipsos homines versante.

23

Ex hoc manifestè colligitur: iusti-

tiam,

Iustitia ex qua procedit satisfactio Christi est punitiva.

tiam, ex qua Christus satisfecit, esse specificè diversam à iustitia humana, quia eodem modo philosophandum est de iustitia Christi erga Deum, ac de iustitia hominis ad Deum, sivè Dei ad homines. Hæc itaque iustitia Christi erga Deum, quæ ad iustitiam commutativā reducitur ex dictis *num.* 21. propriùs vocatur iustitia vindicativa, seù punitiva, non ratione proprij delicti, sed alieni propter fidei iussionē. Hoc patet: licet enim iustitia Dei erga homines ad commutativam reducatur; tamen propriùs vocatur remissiva, & condonativa: ergo similitèr: licèt iustitia Christi erga Deum ad iustitiam commutativam reducatur, propriùs tamē vocatur iustitia vindicativa, seù punitiva modo explicato.

24 *Arguitur.* Arguitur: virtus ex qua Christus satisfecit, est detestatio peccati, sivè proprij, sivè alieni: ergo est eiusdē rationis cum nostra pœnitentia. Probatur consequentia: detestatio peccati est ratio formalis pœnitentiæ; nam quod sit proprij, vel alieni est materialis differentia; sed virtus, ex qua Christus satisfecit, est per nos detestatio peccati, sivè proprij, sivè alieni: ergo est eiusdē rationis cum nostra pœnitentia. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiam, ad cuius probationem nego maiorem; quia ratio formalis nostræ pœnitentiæ est detestatio proprij peccati; non enim detestamur peccatum vt sic, sed peccatum, vt à nobis patratum. Imò satisfactio Christi habuit æqualitatem cum peccato, & superabundantiam, quod non habet nostra satisfactio. Vndè nostra vocatur pœnitentia; non verò Christi satisfactio.

25 *Corollarium.* Ex his concluditur: satisfactionem Christi elicitam esse à virtute specialis iustitiæ, quæ propriùs vocatur vindicativa, seù punitiva, & reducitur, ad iustitiam commutativam; estque specificè distincta à pœnitentia, religione, & cęteris alijs virtutibus, vt ex dictis claret, ex quibus refutatæ manent opiniones contrariorum; & latiùs videri possunt in Ill. Godoy in hac *disp* per totam, quia nobis in hoc amplius immorari non licèt, vtpotè in nulla conclusione ab illo dissentientes.

DISPVTATIO SEPTIMA.

An Deus satisfactionem Christi acceptaverit ex iustitia stricta, & speciali?

§. I.

Referuntur sententiæ, & statuitur prima conclusio.

Num. 1 HÆc disputatio eadem est ac illa: *An in Deo sit admittenda iustitia comparatione creaturarum?* Quæ est communis ad acceptandam satisfactionem pro offensa, & ad retribuendam mercedē pro meritis. Vndè si Deus ex iustitia mercedem pro meritis non retribuit; nec satisfactionem pro offensa ex iustitia acceptabit. Pro huius tamen decisione supponenda sunt, quæ de iustitia, eiusque acceptatione, & divisione supposita manent *disput. præced. à n. 2. vsque ad 7.* in præsentique non loqui de iustitia communissimè, nec communitèr accepta; sed de iustitia propriè, & strictè capta, idest, pro ea speciali virtute, cuius munus est cōstituere æqualitatem inter alios secundum rationē debiti strictè sumpti, de quo locutus est Arist. 5. *Ethic.* & expræsiùs à Iuristis diffinitur dicendo: *Est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*, seù redens vnicuique, quod suum est, & illi debetur.

2 1. *Sententia* In hac disputatione, vt ad meum facit intentum, duæ versantur oppositę sententiæ Prima est absolutè affirmativa, scilicèt: Deum satisfactionem Christi acceptasse ex iustitia stricta, & speciali. Sic Ill. Godoy *num.* 4. pro illa citans D. Thom. *in 2. sent. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. Et in 4 sentent dist. 46. quæst. 1. artic. 1. Et 1. contra Gentes capit. 93. Et 1.* *Ill. Godoy.*

2. Sententia

part. quæst. 21. artic. 1. Secunda partim est affirmativa, & partim negativa. Affirmat namque: Deum satisfactionem Christi acceptasse aliquomodo ex motivo iustitiæ; & negat: acceptationem ex iustitia stricta, & speciali. Sic

Scotus.

Scotus in 4. dist. 46 quæst. 1. & ego cum ipso. Pro cuius declaratione sit.

3 Conclusio.

Prima conclusio. *Deus acceptavit satisfactionem Christi ex iustitia propriè dicta, distincta à fidelitate, & gratitudine, quæ est iustitia latè, seu metaphoricè dicta.* Probatur primo: si Deus merita condigna iustorum præmiat ex iustitia propriè dicta, ex iustitia propriè dicta satisfactionē Christi acceptavit; sed iustorum merita Deus remuneratur ex iustitia propriè dicta: ergo satisfactionē Christi ex hac virtute acceptavit. Cōsequētia est legitima. Maior est ita certa, vt nullus Theologorū ab ea dissentiat; nā si respectu alicuius datur in Deo iustitia propriè accepta, non potest respectu Christi negari; cum illius satisfactio non solum æqualis, sed etiam superabūdans sit pro offensa Deo irrogata.

Probatur 1 conclusio.

4 Minor probat. 1.

Minor autem probatur primo ex illis testimonijs Scripturæ, in quibus iustitia Deo attribuitur in meritis iustorū remunerādis. 2. ad Thimot. 4. illis verbis: *Superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Ad Hæbreos 6. ibi: *Non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri.* Vndè D. August. *lib. 4. contra Iulianū cap. 3.* sic habet: *Deus ipse* (quod absit) *erit iniustus, si ad eius Regnum verus non admittitur iustus. Et libro de Natura, & Gratia cap. 2.* sic ait: *Non est iniustus Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ.* Atqui prædicta testimonia congruentius explicātur de iustitia propriè dicta, & aliàs ex hac interpretatione, congruentiorique acceptione nullum sequitur absurdum, vel inconveniens, vt ex solutione argumentorum constabit: ergo merita iustorum Deus remuneratur ex iustitia propriè dicta.

5 Respondent contrarij.

Respondent contrarij prædicta Scripturæ, & Patrum testimonia intelligenda esse de iustitia latè, & impropriè sumpta, provt coincidit cum fidelitate, in quo sensu, & acceptione testimonium D. Pauli explicuit Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 16.* his verbis: *Atque ideò bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditèr promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda; hæc est enim illa corona iustitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse, ajebat Apostolus, à iusto Iudice sibi reddenda, &c.* Quibus verbis illud *corona iustitiæ*, & illud *à iusto Iudice*, ex quibus inferri poterat, retributionem meritorum iustorū esse actum iustitiæ in Deo, interpretatur Cōciliū de fidelitate, ex qua merita iustorū præmiat.

6 Impugnatur responsio 1.

Hæc tamen solutio per probationes minoris suprà posita, quas proximè formabimus, impugnabitur. Nec verba ex Concilio adducta illis fabent; nam ibi Tridentinum, & si affirmet reddi iustis mercedem à Deo ex fidelitate illis verbis: *Ex Dei promissione*, & illis: *Fidelitèr reddenda*; non tamen negat, reddi etiam ex alia virtute, quę stricta iustitia sit, & pars subiectiva illius, imò ex tali virtute reddi iustis coronam iustitiæ satis indicat Concilium, dum ait: *Ipsorum bonis operibus reddenda*; promissio namque sub conditione operis onerosi, & condigni propriæ iustitiæ fundat obligationem, vt ex proximè dicendis constabit: ergo ex verbis Tridentini male prædicta interpretatio colligitur, nec ex illis difficultas argumenti elevatur.

Secundo.

Deindè: D. Thom. super testimonium Pauli ad Timoth. *lect. 2.* explicans illa verba *Corona iustitiæ*, sic arguit: *Vita æterna ex gratia datur, vt constat ex Paulo ad Roman. 6.* illis verbis: *Gratia Dei vita æterna: non ergo ex iustitia.* Cui difficultati occurrit dicendo: *Quod est ibi gratia quantum ad radicem merendi*; quia nempè meritum gratiam supponit, & ex illa procedit, *iustitia quantum ad actum, qui procedit ex voluntate.* Sentit ergo D. Thomas vitam æternam iustis intuitu meritorum collatam non esse gratiam formalitèr, sed solum radicalitèr, quia merita fundantur in gratia, & in illa radicantur; at si virtus, ex qua Deus merita iustorum præmiat, esset iustitia tantum potentialis, recursus ad istam distinctionem necessarius non esset ad componenda testimonia Pauli; nam id, quod ex iustitia tantum potentiali redditur, esse potest gratia, non solum in radice, sed etiam in se ipso formalitèr, vt constat

in

in gratia habituali iustificante, quæ datur à Deo homini se in ipsum convertenti, illumque dilligenti ex iustitia potentiali, nempè, ex fidelitate; & tamen non solum in radice, sed etiam in se ipsa formalitèr rationem gratiæ sortitur: ergo non loquitur Paulus in prædictis testimonijs de iustitia potentiali, sed de propria, & riguroſa.

Tertio. Denique: prædicta interpretatio impugnatur ex eodem D. Thoma ad Hæbre. 6. *lect.* 3. vbi explicans 2. Pauli testimonium, sic ait: *Dicendum est, quod duplex est meritū. Vnum, quod innititur iustitiæ, & istud est meritū condigni. Aliud, quod soli misericordiæ innititur, quod dicitur meritū congrui.* At si meritum condigni nō propriæ, sed potentiali iustitiæ, inniteretur, Deusque condigna iustorū merita ex iustitia solū potentiali præmiaret, discrimen à D. Thoma statutū inter meritum condignum, & congruū non posset veritatem habere, cum misericordia, cui meritum congruum innititur, iustitia potentialis sit, vt pote virtus ad alterum sine illis conditionibus, quæ ad propriam iustitiam desiderantur, in quo ratio potentialis consistit: ergo iustitia, de qua loquitur D. Paul. cui innititur meritum condignum, & ex qua Deus præmiat merita condigna iustorum, non est potestativa, seu potentialis, sed propria, riguroſa, & subiectiva iustitia.

7 *Probatur 2. dicta minor.* Probatur secundo suprà dicta minor: merita iustorum Deus non remuneratur ex pura fidelitate: ergo ex iustitia propriè dicta. Probatur antecedēs: pura fidelitas habet præcisè æqualitatē doni cum promissione, vel facti cum dicto; sed retributio meritorum habet plusquam æqualitatē doni cum promissione: ergo, &c. Probatur minor: retributio meritorum vltra promissionē, seu promissionis adimpletionem, habet æqualitatem cum valore meritorum, quæ ab homine sunt exhibita: ergo, &c.

8 *Prob. 3.* Probatur tertio suprà posita minor: Deus tribuit gratiā contritis ex pura fidelitate: ergo Deus merita iustorum remuneratur ex iustitia propriè dicta. Antecedens patet: nam remissio peccatorū datur ex fidelitate vltimæ dispositionis ad iustificationem, vt patet ex omnibus Scripturæ locis, vbi remissio peccatorum promittitur contritioni, vt Ioel 2. *Convertimini in toto corde vestro.* Et Zachar. 1. *Convertimini ad me, & convertam ad vos.* Consequentia verò probatur: alio, & diverso modo Deus remuneratur merita iustorum, ac tribuit gratiam contritis; sed Deus tribuit gratiam iustorum ex pura fidelitate: ergo Deus merita iustorum remuneratur ex iustitia propriè dicta. Probatur maior: retributio meritorum, scilicèt, gloria, habet rationem coronæ, quam non habet gratia; alioquin gratia non esset, vt inquit Apostolus: ergo, &c.

9 *Prob. 4.* Probatur quarto dicta minor: pactum sub conditione operis oneroſi, & condigni inducit in promittente obligationem distinctam ab obligatione orta ex fidelitate, adimpleta conditione adimplendi rem promissam; sed Deus pactum fecit cum iustis de præmio illis conferendo sub conditione meritorū de condigno, quam conditionem adimpleverunt iusti: ergo Deus remuneratur opera iustorum virtute à fidelitate distincta: ergo ex iustitia propriè distincta. Probatur maior: pactum sine conditione operis oneroſi inducit in promittente obligationem ortam dumtaxat ex fidelitate, adimpleta conditione adimplendi rem promissam: ergo, &c.

10 *Prob. 5.* Probatur quinto eadem minor: in remunerandis meritis iustorum datur in Deo præter debitum fidelitatis aliud debitum strictiùs illo; sed hoc debitum non est aliud, nisi ex iustitia propriè dicta: ergo Deus merita iustorum remuneratur ex iustitia propriè dicta. Consequentia est legitima. Præmissæ autem sunt probandæ. Probatur itaque minor: nam debitum strictiùs debito fidelitatis, vel est debitum ex iustitia propriè dicta, vel ex iustitia riguroſa; sed non est debitum ex iustitia riguroſa, vt conclusione sequenti demonstravimus: ergo est debitum ex iustitia propriè dicta. Maior verò primi syllogismi probatur: nam, vt diximus *num.* 8. in conferenda gratia dicitur Deus fidelis, & in conferenda gloria dicitur iudex iustus; at qui, si in remunerandis meritis iustorum non datur in Deo præter debitum fidelitatis aliud debitum strictiùs illo, Deus in conferenda gloria non diceretur iustus iudex: er-

go in remunerandis meritis iustorum datur in Deo præter debitum fidelitatis aliud debitum strictius illo. Consequentia est legitima. Maior est D. Pauli, vt dictum manet. Minor patet ex se, & ex dictis, præsertim *num.* 8.

11 *Respondent aduersarij* 1. Respondent primo aduersarij: prædictam nostram probationem saluari, concedendo in Deo iustitiam latè sumptam, vel methaphoricè acceptam, provt coincidit cum fidelitate; nec esse necessarium dari in Deo iustitiam proprie dictam, quia hæc cernit simpliciter contra pactum, seu æqualitatem simpliciter. Cæterum hæc solutio satis refutata manet per dicta, quia aliud de nobo addatur; *Impugnatur.* Claritatis tamen gratia impugnatur: quod est debitum ex sola fidelitate, non est debitum, vt merces, & corona, vt satis de se patet, & probatum manet; alioquin etiam gratia posset dici merces, & corona, quia cadit sub merito de congruo, & sub debito fidelitatis pœnitentiam agentibus; at qui Deus præmiat merita iustorum illis conferendo gloriam, vt coronam: ergo non ex sola fidelitate. Quod autem in Deo non detur iustitia proprie dicta, quia hæc cernit contra pactum simpliciter, seu æqualitatem simpliciter, nobis non officit; quia hæc non est iustitia propriè dicta, orta solum ex obligatione stricti-ori, quam sit obligatio fidelitatis; sed est iustitia rigurosa cum omnibus conditionibus ad rigurosam iustitiam requisitis, quam in Deo non concedimus, vt conclusione sequenti ostendemus.

12 *Respõdet* 2. Ob hoc respondent alij secundo: nostram probationem convincere: Deum mercedem pro meritis retribuere, non solum ex motivo fidelitatis, sed etiam ex virtute gratitudinis; ex hoc tamen non inferri, illam retribuere ex virtute iustitiæ propriè dictæ. *Impugn.* 1. Impugnatur primo hæc solutio: quia id, quod redditur ex gratitudine, est donum quoddam liberaliter concessum in recompensationem beneficij alterius, non autem est debitum in ratione mercedis, sicut debita dicitur gloria benè operantibus iustis: ergo vita æterna debetur iustorum operibus plusquam ex fidelitate, & gratitudine, atque ideo ex iustitia. Consequentia patet; quia non est assignabilis alius titulus, vel alia obligatio strictior supra fidelitatem, & gratitudinem, nisi obligatio ex iustitia. Impugnatur secundo: quia gratitudo formaliter respicit beneficium a benefactore acceptum, & habet præcisè seruare æqualitatem quandam compensationis cum beneficio accepto, secluta alia speciali promissione, & obligatione; sed Deus nequit ab alio beneficium recipere, aut benefactorem agnoscere, & in proposito nostro intervenit expressa, & vera promissio, & per promissionem obligatio Dei: ergo obligatio Dei retribuendi præmium pro meritis non oritur ex gratitudine: ergo ruit solutio. *Impugn.* 2.

13 *Respõdet* 3. Respondent tertio: verum esse inter puras creaturas oriri obligationem iustitiæ ex promissione facta sub conditione operis onerosi æqualis, & condigni, conditionem adimplendo, opusque condignum, & æquale præstando; quia opus ab vna creatura exhibitum, taliter sub eius dominio constituitur, vt sub dominio alterius creaturæ promittentis non sit; nec ei alijs titulis debeatur; secus autem inter hominem, & Deum; cum enim quidquid homo potest facere, sit sub perfectissimo Dei dominio, Deoque multis alijs titulis debitum; consequens fit, vt quamvis ex parte Dei promissio intercedat sub conditione operis onerosi, & condigni, homo conditionem adimpleat, opus condignum præstando, non possit Deum sibi ex stricta iustitia obligare; sicut nec in creatis seruus obligare potest dominum ex stricta iustitia, etiã si dominus paciscatur cum seruo sub conditione operis onerosi, & seruus opus onerosum pro conditione positum exequatur, eo quod tale opus est sub dominio non serui, sed domini, illique titulo seruitutis debetur. Vnde concludunt: Deum esse tantum debitorem, & redditorem mercedis ex iustitia sumpta communi quadam ratione, provt seruat æqualitatem mercedis ad meritum.

14 *Reijcitur* 1. Reijcitur primo hæc solutio: promissio sub conditione operis onerosi, & condigni adimpleta conditione inducit obligationem in promittente,

non

non ex sola fidelitate, nec ex ipsa, & gratitudine, nec ex iustitia sumpta communi quadam ratione: ergo inducit obligationē ex iustitia propriè dicta: ruit ergo solutio. Antecedens pro prima parte probatum manet per dicta *à num. 4. vsque ad* 12. & præsertim *num.* 9. Pro secunda ostensa est *num.* 12. Pro tertia autem probatur: promissio sub conditione operis onerosi, & condigni adimpleta conditione inducit in promittente obligationem strictiorem obligatione ex fidelitate, & gratitudine; sed obligatio strictior obligatione ex fidelitate, & gratitudine, non est obligatio ex iustitia vtcumque cōmuni modo dicta: ergo promissio sub conditione operis onerosi, & condigni adimpleta conditione inducit in promittente obligationem non ex iustitia sumpta communi quadam ratione. Probatur minor: obligatio ex fidelitate, & gratitudine est obligatio ex iustitia, vtcumque communi modo dicta: ergo, &c.

15 *Reijcitur* 2. Reijcitur secundo allata solutio: Deus non retribuit præmium pro meritis ex iustitia sumpta communi quadam ratione: ergo ruit. Probatur antecedens: Deus retribuit præmium pro meritis ex aliqua peculiari virtute; sed iustitia sumpta communi quadam ratione non sufficit ad determinandam peculiarem virtutem, ex qua Deus dicatur retribuere præmium pro meritis: ergo, &c. Minor probatur: iustitia sumpta communi quadam ratione est communis pluribus virtutibus; convenit namque omnibus virtutibus, quæ respiciunt alterum, vt sunt religio, pietas, obedientia, & alia: ergo, &c.

16 *Reijcitur* 3. Reijcitur tertio: Deus iuxtà solutionem retribuit præmium pro meritis ex iustitia, pro vt servat æqualitatem mercedis ad meritum; sed iustitia, pro vt servat æqualitatem mercedis ad meritum, non est iustitia sumpta communi quadam ratione: ergo Deus non retribuit præmium pro meritis ex iustitia sumpta communi quadam ratione. Probatur minor: omnis virtus inclinans ad reddendum alteri debitum est iustitia sumpta communi quadam ratione; sed nulla ex his virtutibus servat æqualitatem: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est notoria, & vt tali à nobis supposita *disput. præced. num.* 3. Minor claret primo; nam religio, pietas, & obedientia, quæ sunt virtutes iustitiæ sumptę communi quadam ratione, nequeunt reddere debitum ad æqualitatem, vt docuit Aristotel. 5. *Ethic. cap.* 3. & ratio est evidens: nam ius Deo debitum à religione, Parentibus à pietate, & Superioribus ab obedientia, semper est maius. Secundo: nam differentia ab omnibus statuta, & à nobis supposita *disput. anteced. num.* 4. inter iustitiam sumptam communi quadam ratione, & iustitiam propriè acceptam, est, quod hæc servat æqualitatem; non verò illa. Vera igitur est minor.

Reijcitur denique prædicta solutio: nam ex illa solum inferre valet: inter Deum, & creaturam non posse veram intercedere iustitiam simpliciter dictam, qualis dicitur iustitia rigurosa omnibus conditionibus instructa, quod gratis concedimus cum Scoto *in* 4. *distinct.* 46. *quæst.* 1. quia nec potest esse simpliciter æqualitas dati, & accepti inter ipsos ex natura rei exorta, nec potest Deus esse debitor creaturæ ex natura rei, ac obligatione ab ipsa creatura sibi imposita, vt contingit in creaturis, sed tantum ex liberalitate sua, vt ibi differtè tradit Doctor. Hoc tamen non obstat, quin adhuc inter Deum, & creaturam intercedere possit iustitia, saltem secundum quid, orta nimirum, ex obligatione strictiori, quam sit obligatio fidelitatis, ac debitum gratitudinis, quæ etiam dicatur vera iustitia, quatenus non est tantum methaphoricè dicta, sed re vera percipiat aliquas iustitiæ veræ, & rigurosæ conditiones, licèt non omnes. 17 *Reijcitur* 4.

Quarto respondent alij: nostram probationem convincere tantum: in Deo dari iustitiam, quatenus se extendit ad suas partes potestativas; non verò iustitiam, quæ sit specialis virtus distincta ab omnibus alijs, quæ propriissimè, & absque vlla methaphora possunt dici iustitia generalitèr sumpta, etsi non dicantur iustitia specialitèr accepta. 18 *Respondent* 4. *alij.*

Hæc solutio facilitèr ex dictis refutatur. Primo sic: fidelitas, & gratitudo sunt partes potestativæ iustitiæ; 19 *Refutatur* 1.

sed gloria debetur operibus iustorum plusquam ex fidelitate, & gratitudine: ergo debetur plusquam ex iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas: ergo debetur ex iustitia subiectiva, seu propriè dicta. Maior est apud omnes certa: nam omnis illa virtus est pars potestativa, seu potentialis iustitiæ, quæ respicit alterum, & deficit a perfecta ratione iustitiæ, vel propter defectum debiti legalis, vel propter defectum æqualitatis, vt iam diximus *num.* 16. & habet Ill. Godoy *num.* 1.

Minor plusquam sufficienter probata manet. Prima consequentia est legitima, & secunda probatur: quia suprà obligationem ex iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas, non est assignabilis obligatio strictior, nisi ad minus sit obligatio ex iustitia propriè dicta, vel subiectiva; atqui iuxtà concessa gloria debetur operibus iustorum plusquam ex iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas: ergo debetur ex iustitia subiectiva, seu proprie dicta.

20 *Refutatur 2.* Refutatur secundo: illa virtus, qua Deus præmiat merita nostra, servat æqualitatem cum meritis: ergo non est iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas. Probatur consequentia: iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas, præscindit ab æqualitate: ergo virtus illa, qua Deus præmiat merita nostra, non est iustitia, vt se extendit ad suas partes potestativas. Hæc itaque ratio, quæ est generalis refutatio omnium solutionum, quas ad nostram rationem adducunt adversarij, est certè ad hominem contra ipsos; omnes namque concedunt: Deum ad æqualitatem meritorum merita nostra præmiare. Vnde vel hoc negare tenentur, vel tenentur negare diffinitionem iustitiæ communiter sumptæ, & consequenter differentiam inter iustitiam communiter captam, & propriè sumptam, quorum nullum videtur consonum.

21 *Probatur 2. conclusio.* Probatur secundo conclusio, & vcusque dicta confirmatur: debitum, quod oritur ex merito de condigno, strictius est debito, quod oritur ex merito de congruo; sed ex merito de congruo oritur debitum fidelitatis dumtaxat: ergo ex merito de condigno oritur debitum strictius debito fidelitatis: ergo debitum ex iustitia proprie dicta. Probatur maior, ex cuius probatione dependet veritas minoris, & vtriusque consequentiæ: ex merito de congruo oritur debitum fidelitatis præcisè, & ex merito de condigno oritur debitum ex iustitia: ergo, &c.

Probatur antecedens quoad primam partem: debitum ortum ex merito de congruo, vel oritur ex simplici promissione, vel ex promissione sub conditione operis onerosi, non tamen æqualis, & condigni ad rem promissam; sed ex merito de congruo, quomodocumque oriatur, oritur debitum fidelitatis dumtaxat, vt patet in oratione, & vltima dispositione ad iustificationem: ergo ex merito de congruo oritur debitum fidelitatis præcisè. Antecedens quoad secundam partem probatur: ex promissione sub conditione operis onerosi æqualis, vel condigni ad rem promissam oritur obligatio ex iustitia, vt constat de obligatione reddendi denarium operario, facta conventione sub conditione laboris diurni in vinea: ergo ex merito de condigno oritur debitum ex iustitia.

22 *Vrgetur.* Vrgetur: si ex merito de condigno non oriretur debitum ex iustitia proprie dicta, sed solum debitum fidelitatis; nullum esset discrimen inter meritum de condigno, & meritum de congruo, quoad vim inducendi obligationem; sed hoc est omnino falsum: ergo falsum est, quod ex merito de condigno non oriatur debitum ex iustitia proprie dicta. Cum igitur Deus vitam æternam promiserit iustis sub conditione bonorum operum, quæ æqualitatem, & condignitatem habeant cum illa, eo, quod procedunt ex gratia quæ est semen, & pignus vitæ æternæ; planè Deus tenetur ex iustitia ad illam conferendam. Similiter ergo ex iustitia tenetur acceptare Christi satisfactionem, quæ non solum æqualis, & condigna fuit pro offensa Deo irrogata, verum, & superabundans.

23 *Respondent 1 adversarij.* Ad hanc nostram probationem respondent adversarij. Primo: merita de

con-

congruo,& si aliquomodo possent dici retribui per actum iustitiæ,quia illorum retributio pertinet ad fidelitatem, quæ est pars potestativa iustitiæ; non ita tamen ex iustitia dici possunt, sicut merita de condigno, quia illorum retributio longè magis distat à iustitia specialitèr sumpta, cui est valde propinqua retributio meritorum de condigno, in quibus reperitur æqualitas intèr datum, & acceptum, quæ est optima pars iustitiæ specialitèr sumptæ non reperta in meritis de congruo.

24 *Respondent 1. adversarij.* Aliter respondent alij: quod Deus posita promissione sua sub conditione operis,non aliter,quam ex fidelitate,debet promissum implere, nec artius intra latitudinem debiti fidelitatis obligatur ex promissione sub conditione operis,quam ex nuda promissione obligaretur; quia illud opus à nobis exigendo non imponit nobis novum onus,quod etiam sine mercedis expectatione illud ei debeamus vniversali titulo supræmi dominij. Quod autem per pœnitentiam non mereamur de condigno veniam,sicut nec per orationem rem petitam, mereamur autem de condigno vitam æternã,non est,quia Deus nobis strictius obligetur ex promissione dare vitam æternam pro merito,quam veniam pro pœnitentia, & rem petitam pro oratione; sed quia in merito vitæ æternæ reperitur condignitas respectu illius, non in pœnitentia respectu veniæ,nec in oratione respectu rei petitæ, quæ condignitas in vno, & non in cęteris,fundatur in conditione personæ operantis, quæ per gratiam supponitur grata,& amica Deo.

25 *Contra 1.* Hæ tamen solutiones in eandem incidunt,nec vim nostræ probationis attingere videntur; quare nostra probatione in suo robore stante, contra vtramque solutionẽ insurgo primo: ideò iuxtà primam solutionem(quod nequit negare Author secundæ) meritum de congruo nequit compensari per actum iustitiæ specialitèr dictæ, eomodo,quo meritum de condigno, quia retributio meriti de congruo lõge magis distat à iustitia specialitèr dicta,cui valde propinqua est retributio meriti de condigno : ergo plusquam ex iustitia potestativa debetur præmium merito de condigno : ergo ex iustitia specialitèr dicta : ergo ruit vtraque solutio. Probatur prima consequentia: merito de condigno magis debetur retributio, quam merito de congruo; sed debitum ex iustitia potestativa in merito de congruo reperiri potest : ergo plusquam ex iustitia potestativa debetur præmium merito de condigno. Insurgo secundo: æqualitas inter datum,& acceptum non reperta in merito de congruo,reperitur in merito de condigno; sed æqualitas inter datum,& acceptum est conditio solius iustitiæ specialitèr acceptæ ex dictis : ergo solum ex iustitia specialitèr accepta præmiat Deus merita condigna iustorum: nullæ ergo sunt solutiones allatæ. *Contra 2.*

26 *Vltimo prob. conclusio.* Denique principalitèr suadetur conclusio: nam in hoc,quod Deus acceptet satisfactionem Christi ex iustitia propria,& speciali,& ex illa hominibus offensam remittat intuitu meriti, & satisfactionis à Christo Domino exhibitæ,nulla imperfectio importatur : ergo acceptavit defacto satisfactionem Christi ex iustitia propria, & speciali, ex illaque hominibus offensam remittit, non per respectum ad homines, sed comparatione ad Christum : ita, vt remissio offensæ ex iustitia respectu Christi procedat, etsi gratiosa sit per comparationem ad hominem,cui offensa remittitur. Cõsequentia patet; nam Deo attribuere debemus omnem perfectionem, quæ in suo conceptu formali imperfectionem non dicit; sed operari ex iustitia, aliqua perfectio est,cum omnis virtus aliquam perfectionem importet : ergo si aliàs nullam imperfectionem dicit in suo conceptu formali,talis modus operandi Deo negandus non est.

Antecedens autem probatur : nam acceptare satisfactionem Christi ex iustitia propria, & speciali, & ex illa hominibus offensam remittere, est illam acceptare, attendendo ad ius operationum Christi; sed in isto modo operandi nulla involuitur imperfectio: ergo,&c.

27 *Respondebis.* Respondebis negando antecedens: nam in eo,quod Deus ex iustitia proprie dicta acceptet satisfactionẽ Christi,triplex imperfectio involuitur. Prima est,quod sic acceptans obligatur à

iure alterius, quod est maxima imperfectio; obligari namque ab aliquo extra se ad aliquid retribuendum, vel offensam remittendam incompatibile est cum supremo dominio. Secunda est: quod obligatus subijcitur obliganti, quod à Deo reijciendum est. Tertia est: quod obligatus operatur cum dependentia ab obligante, quod est maxima imperfectio.

28 *Contra 1.* Cæterum contra hanc solutionem sic obijcio. Primo: Deum obligari ex suppositione aliqua ipsi libera, ab eius libera voluntate dependente, & ex illa ortum ducente, nulla imperfectio est; sed Deum sic obligatum acceptare Christi satisfactionem, est sufficiens, vt illam acceptaverit ex propria, & speciali iustitia: ergo in eo, quod acceptaverit Christi satisfactionem ex propria, & speciali iustitia, nulla imperfectio importatur. Consecutio est legitima. Minor constat ex nostris probationibus, & ex eo, quod Deus sic acceptans servat ius alterius ad æqualitatem, quæ est ratio iustitiæ propriæ sumptæ.

29 *Prob. maior.* Maior autem probatur: Deum ab aliquo à se distincto obligari obligatione independente ab eius libera voluntate, & ex illa non orta, triplicem allatam importat imperfectionem: ergo, &c. Antecedens est indubitatum. Consequentia ab oppositio videtur certa, & probatur: aliquem obligari absolutè obligatione ex natura rei, & ab alio imposita, importat triplicem allatam imperfectionem; sed Deum obligari ex suppositione aliqua sibi libera, ab eius voluntate dependēte, & ex illa ortū ducente, nō est obligari absolutè obligatione ex natura rei, & ab alio imposita: ergo, &c.

30 *Contra 2.* Obijcio secundo: obligatio orta ex sola operis efficatia, & dignitate importat triplicem dictam imperfectionem: ergo obligatio non orta ex sola operis efficatia, & dignitate non importat triplicem imperfectionem. Atqui obligatio, quæ oritur in Deo ex acceptatione Christi satisfactionis ex iustitia propriè dicta, est obligatio nō orta ex sola satisfactionis efficatia, & dignitate: ergo obligatio, quæ oritur in Deo ex acceptatione satisfactionis Christi ex iustitia propriè dicta, nullā importat imperfectionem. Probatur sustumpta: obligatio, quæ oritur in Deo ex acceptatione satisfactionis Christi ex iustitia propriè dicta, est obligatio orta ex libera Dei voluntate, & ex liberalitate illius: ergo, &c. Consequentia est legitima, & antecedens certum; nam ita Deus acceptavit satisfactionem Christi, vt potuit absque iniustitia illam non acceptare, quia potuit illam accipere sub alijs titulis sibi debitis absque promissione vllius compensationis.

Obijcio tertio: obligatio ex iustitia propriè dicta, quæ non est ex toto rigore iustitiæ, non importat triplicem suprà positam imperfectionem; sed obligatio, quam in conclusione ponimus ex eo, quod Deus acceptet Christi satisfactionem ex iustitia, est obligatio ex iustitia propriè dicta, quæ non est ex toto rigore iustitiæ: ergo obligatio, quam in conclusione ponimus, ex eo, quod Deus acceptet satisfactionem Christi ex iustitia, non importat triplicem illam imperfectionem. Cōsequentia est legitima. Minor constat ex ipsa conclusione, & constabit ex sequenti, vbi statuemus: iustitiam, ex qua Deus Christi satisfactionem acceptavit, non esse strictam, & rigorosam. Maior verò probatur primo: obligatio ex toto rigore iustitiæ non amplius importare potest, quam triplicem illam imperfectionem: ergo, &c. Probatur secundo: obligatio ex iustitia propriè dicta, quæ non est ex toto rigore iustitiæ, nequit importare omne id, quod importare potest obligatio ex toto rigore iustitiæ; sed obligatio ex toto rigore iustitiæ ad summum importare potest triplicem illam suprà positam imperfectionem: ergo, &c.

31 *Contra 3.*

§. II.

Argumentis in contrarium occurritur.

32 *Arguitur 1* ARguitur primo authoritate Patrum, qui varijs modis indicarunt, Dei ad creaturam nullam esse iustitiam; aiunt enim: *Deum nihil nobis debere reddere debita nulli debentem non habere debitum ex iure, debere solum suæ bonitati, & misericordiæ, præmium, quod nobis tribuit pro bonis operibus, amicitiarum nobis præmia repromittere, ideòque debitum Dei erga nos promissionis debitum esse.* Ita D.

Anselmus *Prosologij capit.* 10. *Iustus est* (inquit) *non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet re summè bonum. Et cap.* 11. *Illud solum est Iustum, quod vis, non Iustum, quod non vis.* August. 1. *Confess. cap.* 4. *Reddis debita nulli debens.* Bernard. *Serm.* 1. *de Anunt: Neque talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Et Serm.* 61. *in Cantic. Meritum meum miseratio Domini.* Gregor. 9. *Moral. cap.* 14. *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Basil. *in Psalm.* 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certaverint, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.*

33 Rursum August. *Serm.* 3 *de Verbo Domini: O magna benignitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vt servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptori; amicitiarum nobis præmia repromittit. Et Ser.* 16. *ad Verbo Apost. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini debes mihi, quia dedi tibi; & aliter dicimus, debes mihi, quia promisisti mihi. Deo igitur quid dicimus, redde mihi, quia dedi tibi? Quid dicimus Deo, quando quod sumus, & quod habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: illo ergo possumus exigere Dominum nostrum, redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussi, & hoc tu fecisti, qui laborantes iuvisti. Et Serm.* 151. *de tempore: Laudemus fratres Dominum, quia promissorem tenemus, vt iam debitum exigamus.* Idē de promissione, & debito fidelitatis docet Concil. Trident. *Sess.* 6. *cap. vltimo. Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda.*

34 Ex his itaque Patrum dictis colligitur: eos non agnoscere in Deo debitū proprium iustitiæ, & strictum. Nam illæ negativæ, aut adversativæ locutiones, quibus aiunt: Deum non esse nobis debitorem, sed suæ bonitati, & amicitiæ erga nos, nec in alio, quam in Dei promissione debitum Divinū fundant; haud dubiè aliquod genus debiti totalitèr removent à Deo; & non fidelitatis, vt patet ex alijs Patrū dictis de debito ex promissione: ergo debitum iustitiæ, & strictè sumptum.

35 *Respondeo.* Respondeo: Patres loqui de debito simpliciter dicto secūdū leges rigurosæ iustitię vt ex ipso cōstat argumēto; non autem de debito minus rigoroso præsupponente gratiam, & liberalitatē ipsius Dei; hoc enim plane agnoscunt in Deo, & plane strictius, & artius, quam sit debitum simplicis fidelitatis, licèt non sit rigurosæ iustitiæ, & simpliciter dictæ, sed veluti medians inter vtrumque; quapropter tātum abest, vt ea Patrum testimonia nostram impugnent sententiā, quod potius ea adducemus in probationem secundæ conclusionis.

36 *Arguitur* 2. Arguitur secundo ex Scoto *in* 4. *dist.* 46. *quæst.* 1. *litt. C.* Vbi inquit: non posse dari in Deo iustitiam simplitèr respectu creaturæ, *Quia non potest esse simpliciter æqualitas, sed potest esse aliqualiter secundum proportionem, sicut inter Dominum, & servum; Dominum enim liberalem decet tribuere maius bonum, quam servus possit mereri, dum tamen sit talis proportio, quod sicut servus facit, quod suum est, ita Dominus retribuat, quod suum est.* Quod etiam repetit *in responsione ad primū*, dicens: *Quod non est ibi æqualitas simpliciter, nisi ad se ipsum, ideò nec iustitia simpliciter, nisi ad se, quasi ad alterum; sed æqualitas aliqualis potest sibi poni, qualis potest esse Domini excedentis ad servū valde excessum*: ergo iuxta Scotū nō datur in Deo respectu creaturæ iustitia: ergo nequit Deus ex iustitia Christi satisfactionem acceptare.

37 *Respondeo.* Respondeo: Scotum excludere inter Deum, & creaturam iustitiam rigurosam, quæ est iustitia simpliciter, vt claret ex ipsius verbis, & ex ratione à Doctore tradita, scilicèt, *quia non potest esse simpliciter æqualitas*, quod intelligitur de æqualitate orta ex natura rei, seu ex natura dati, & accepti; non verò suppositā acceptatione; alioquin opera iustorum respectu vitæ æternæ non essent merita de condigno, sed omninò de congruo, quod est falsum. Nec obest, quod Deus liberalitèr gloriam conferat, quia hoc provenit ex eo, quod opera iustorum, quantumvis condigna, potest Deus non compensare, sed illa acceptare, vt mille alijs titulis sibi debita, quod optimè componitur cum iustitia ad illa opera remuneranda, suppositā promissione

libe-

liberalitèr facta, dummodo non sit iustitia stricta, & rigurosa, de qua loquitur Scotus, & quā in Deo non esse dicemus cū ipso conclusione sequēti.

38 *Arguitur 3.* Arguitur tertio: creatura nullum ius privatum potest habere adversus Deum: ergo Deus in ordine ad creaturam non exercet actum iustitiæ, & consequentèr Deus nō acceptavit ex iustitia Christi satisfactionem. Probatur antecedens: si creatura haberet ius privatum adversus Deum, hoc ius esset illi à Deo concessum: ergo Deus haberet ius vniversale in tale ius privatum: ergo absque iniustitia (licèt nō absque falsitate, infidelitate, & immutabilitate voluntatis Divinę, suppositā promissione) potest Deus ad placitū vti illo privato iure. Atqui hoc tollit à creatura respectu Dei rationem iuris etiam privati: ergo creatura nullū ius privatum potest habere adversus Deum. Antecedens est certum, quia nihil potest habere creatura, quod à Deo non sit collatum. Prima consequētia est legitima: nam illud ius privatum esset quid creatum, & consequentèr esset sub dominio vniversali Dei. Secunda consequētia patet: quia ius Divinum vniversale est illimitatum, & consequentèr potest sine iniuria alicuius illo iure privativo ad placitum vti, quod nos concedimus, asserendo: Deum posse non satisfacere debito, quod illi iuri correspondet.

39 *Sussumpta probatur.* Sussumpta autem probatur: implicat in terminis, quod Petrus habeat ius alicuius rei respectu Pauli, & quod Paulus possit ad placitum de illo iure disponere absque iniuria Petro illata: ergo hoc ipso, quod Deus possit absque iniuria creaturæ illata ad placitū, vti iure privativo creaturæ, tollit à creatura respectu Dei rationem iuris privati. Probatur antecedens: implicat in terminis, quod Petrus habeat ius respectu Pauli, & quod iuri Petri non correspondeat debitum in Paulo; sed implicat in terminis, quod iuri Petri correspondeat debitū in Paulo, & quod Paulus possit ad placitum de illo iure disponere absque iniuria Petro illata: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor certa: nam absolute repugnat: Paulum esse debitorē Petro, & quod sine iniuria Petro illata possit debitum aufferre. Maior probatur: implicat interminis, quod sit relativum sine correlativo; sed debitum est correlativum iuri: ergo, &c.

40 *Confirmatur.* Confirmatur: si homo haberet ius adversus Deum, seu dominium alicuius rei, Deus non esset perfectus Dominus illius rei; sed hoc est falsum: ergo homo nō habet ius adversus Deū: ergo Dei ad creaturam nulla datur iustitia: ergo Deus ex iustitia non acceptavit Christi satisfactionem. Tertia consequentia ex secunda infertur. Secunda ex prima. Prima verò exprę-missis. Ex his autem maior est certa: quia nequit dari dominium plurium insolidum alicuius rei, vt communis tenet opinio *ex Lege Possideri §. ex contrario, ff. de adquirenda, vel admittenda possessione*, & ratio est: quia vel neutèr disponere posset absque consensu alterius, vel quilibet posset altero invito, quorum vtrumque est cōtra rationē, & perfectionem dominij, quod dicit ius vtendi re in omnem vsum solo suo consensu. Minor est evidens; nam nequit Deus à se abdicare dominium creaturæ, cum hoc fundetur in essentiali dependentia illius ad Deum.

41 Hoc argumentum validissimè vrget contra Authores admittentes in Deo respectu creaturæ iustitiam strictam, & rigurosam; nam hoc ipso, tenentur assignare in creatura verum, proprium, perfectum, & absolutum ius adversus Deum, quod validissimè impugnat argumentum prædictum. Nos autem parum, vel nihil vrget; sicut enim à Deo respectu creaturæ iustitiam strictam, & rigurosam conclusione sequēti relegabimus; ita à creatura relegare tenemur verum, proprium, perfectum, & absolutum ius adversus Deum, & tantum ius imperfectum, & secundum quid admittere. Pro quo, & pro solutione.

42 *Noto pro solutione.* Notandum est: quod datur iustitia propriè dicta, vt distinguitur à iustitia latè, & methaphoricè capta, quomodo fidelitas, & gratitudo iustitia dicuntur; & datur iustitia rigurosa, & stricta. Prima est, cui correspondet debitum strictius debito iustitiæ methaphoricæ, & consequentèr habet ius strictius, quam iustitia methaphorica; cum ius, & debitum sint correlativa. Secunda est debitum strictius debito iustitiæ propriè dictæ, & consequen-

tèr

tèr habet ius strictius, quam iustitia propriè dicta. Ius autem, quod habet iustitia stricta, & rigurosa, est ius perfectum, & absolutum. Ius verò, quod habet iustitia propriè dicta, est ius imperfectum, & secundum quid modo explicato *n.* 17. Ratio huius est: nam quo iustitia est strictior, eo habet ius strictius; sed iustitia stricta, & rigurosa est iustitia strictior iustitia propriè dicta, & hæc est strictior iustitia methaphorica: ergo iustitia stricta, & rigurosa habet ius strictius iustitia propriè dicta, & hæc ius strictius habet, quam methaphorica iustitia. Cum ergo iustitiæ strictæ, & rigurosæ correspondeat ius perfectum, & absolutum; iustitiæ propriè dictæ solum correspondere valet ius imperfectum verum, & iustitiæ methaphoricæ ius methaphoricum duntaxat.

43 *Respondeo ad argum.* Ex quo respondeo ad argumentum distinguendo antecedens: creatura nullum ius privatum perfectū, & absolutum potest habere adversus Deū concedo antecedens; imperfectum, & secundum quid nego antecedens, & distinguo consequens: ergo Deus in ordine ad creaturam non exercet actum iustitiæ strictæ, & rigurosæ concedo consequentiam; iustitiæ propriè dictæ, vt à methaphorica distinguitur nego consequentiam, & distinguo similitèr subillatum consequens. Ad probationem antecedentis concessò antecedenti, cum prima consequentia, distinguo secundum consequens: ergo absque iniuria posset Deus ad placitū vti illo iure privativo in sensu diviso concedo consequentiam; in sensu composito nego consequentiā. Ex quo distinguo sussumptam: tollit à creatura respectu Dei rationem iuris privati perfecti, & absoluti concedo minorem; imperfecti, & secundum quid nego minorem, & distinguo consequens distinctione data.

44 *Ad probationem sussumptæ respond. 1. Secundo.* Ad probationem sussumptæ respondeo primo negando antecedens, cuius rationem declarabimus infrà *num.* 50. Respondeo secundo distinguendo antecedens: implicat in terminis, quod Petrus habeat ius perfectum, & absolutum alicuius rei respectu Pauli, & quod Paulus possit ad placitum de illo iure disponere absque iniuria Petro illata concedo antecedens; implicat in terminis, quod Petrus habeat ius imperfectum, & secundum quid alicuius rei respectu Pauli, & quod Paulus possit ad placitum de illo disponere absque iniuria Petro illata nego antecedens, & distinguo similitèr consequens. Ad probationem antecedentis distinguo minorem, illamque concedo, si ius Petri est perfectū, & absolutum, & nego si est imperfectum, & secundum quid; nec aliud cōvincit probatio minoris prædictæ. Quomodo autem Petrus possit habere ius imperfectum, & secundum quid alicuius rei respectu Pauli, dicemus, dum rationem negationis antecedentis ostendamus.

45 *Tertio.* Sed quia communitèr dominium creatum creaturæ respectu alicuius rei est perfectum, & absolutum, respondeo tertio ad prædictam probationem omissò antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est: nā hoc ipso, quod Petrus habeat ius alicuius rei respectu Pauli, tale ius est perfectum, & absolutum, vt communitèr accidit, & in cuius suppositione procedit hæc tertia responsio; vndè nequit Paulus ad placitum de illo iure disponere absque iniuria Petro illata; ad hoc enim requiritur in Paulo ius perfectum etiam, & absolutū, quod est repugnans; repugnant nāque duo dominia adæquata perfecta, & absoluta ob dicta *num.* 40. Ast ius, quod creaturæ respectu Dei concedimus, est tātum imperfectum, & secundum quid; vndè optimè componitur cum dominio perfecto, & absoluto Dei, quia non sequitur, dari duo dominia adæquata perfecta, & absoluta, & consequenter, nec sequitur, quod neutèr possit disponere absque consensu alterius, nec quod quilibet possit disponere altero invito.

46 Vndè quantumcumque creatura sit domina alicuius rei, nunquam tamen potest licitè vti illa re invito Deo, quia semper est essentialitèr illi subordinata, & ius, quod ad quamcūque rem potest habere creatura respectu Dei, semper est imperfectum, & secundum quid. Deus autem vti potest quacumque re licitè invita creatura, & absque eius iniuria. Tum: quia in sensu diviso, seu in actu primo, potest revocare ius, & dominium, quod libe-

ralitèr illi concesit. Tum etiam: quia eo ipso, quod Deus vtatur ad placitū illa re, iam intelligitur revocatum à creatura præfictum ius, & dominiū. Ex quo patet ad confirmationem; teneret nāque maior, si homo haberet adversus Deum aliquod ius perfectū, & absolutū, quod negamus. Nec obest probatio illius; intelligitur nāque de dominio perfecto, & absoluto plurium totaliter, & adæquatè, quod in præsenti non tenet.

Ad confir.

47 *Exemplo declaratur solutio.*

Solutio hæc, tàm ad argumentum, quàm ad confirmationem manifestè apparet exemplo donatoris alicuius rei donatione revocabilitèr inter vivos; donator namque (inquiunt Iuristæ) quia sibi potestatem retinet revocandi donationem, non solum tradit dominium rei donatario, sed dū non revocat donationem, dicitur quoque conservare tale dominium in eo; vndè donatarius est verus Dominus illius rei respectu aliorum hominum; at respectu donatoris dicitur Dominus imperfectè, & cum dependentia, quia donator potest revocando donationem per vim retrotranslativā, omnia ad pristinum reducere; dum tamen donator conservat dominium in donatario, donatarius non dicitur exercere dominium invito donatore, & consequentèr, licèt aliquomodo donatarius habeat ius adversus donatorem virtute talis donationis, attamen tale ius erit dependens à voluntate donatoris non revocantis, sed conservantis donationem.

48 *Applicatur.*

Hoc idem, licèt cum aliqua disparitate, in præsenti dicendum est: nam Deus constituendo creaturam alicuius rei dominam, donatione revocabili concedit ius in illam rē, quia absolutè poterat non concedere, & in sensu divisō potest etiam revocare, licèt in sensu composito, & ex Divina immutabilitate dici possit talis donatio irrevocabilis; qua donatione creatura dicitur domina illius rei adversus omnes alias, quia illis invitis potest licitè vti illa re; potest quoque virtute talis donationis acquirere aliquod ius adversus Deum donatorem, attamen semper cum dependentia à voluntate Divina, & per consequens non habebit dominiū adversus Deū, ita vt invito Deo possit licitè vti illa re; nam statim, ac intelligitur Deus invitus, & nolens, intelligitur quoque revocata donatio quasi per vim retrotranslativam, cum nihil accidere possit contra voluntatē Dei efficacē.

49 *Aliqualis disparitas.*

Disparitas tamen est: quod donator donando abdicat à se dominium rei, licèt revocabilitèr; Deus autem, quia supremus, & perfectissimus Dominus, donando retinet adhuc dominium illius rei, nunquam enim potest esse licitus vsus illius rei invito Deo, nam dominium concessum creaturæ perfectè, & absolutè est adversus alias creaturas, non autem adversus Deū, nisi imperfectè, & secundū quid; quāvis enim Deus in sensu composito, & suppositā donatione nō possit vti illa re absque iniuria creaturæ, tamen in sensu divisō potest tale dominium creaturæ communicatū revocare, & ideò semper illius rei censendus est dominus perfectus, & absolutus, quia vt aliquis sit perfectus Dominus alicuius rei in actu primo, sufficit, vt possit vti illa re sine iniuria alterius, quam potestatem semper habet Deus.

50 *Ratio promissa traditur.*

Ex hisque ratio, quam pro negatione probationis sumptæ promisimus *num.* 44. manifestè apparet: nam non implicat in terminis, quod donatarius habeat ius alicuius rei respectu donatoris, & quod donator possit ad placitum de illo iure disponere absque iniuria donatario illata, vt patet exēplo adducto: ergo non implicat in terminis, quod Petrus habeat ius alicuius rei respectu Pauli, & quod possit ad placitum de illo iure disponere absq; iniuria Petro illata: Falsa igitur est probatio sumptæ suprà positæ.

51 *Arguitur 4.*

Arguitur quarto: Deus ex natura sua antecedentèr ad omnem actum liberum est suprāmus Dominus omnium donorum, & omnium creaturarum: ergo non potest à se abdicare tale dominium: ergo nec potest aliquid dare, tanquam debitū ex iustitia. Antecedens cum prima consequentia tenet. Secunda verò probatur: Si Deus aliquid daret, tanquam debitum ex iustitia, constitueret creaturam dominam alicuius rei, etiam in ordine ad ipsum, & à se dominium illius rei abdicaret; sed vtrumque est contra suprāmum Dei dominium: ergo nec potest Deus aliquid dare, tanquam

de-

debitum ex iustitia. Ex quo viterius sequitur: non posse Deum promittere rem aliquam ex iustitia dandâ, quia ex vi huius promissionis se obligaret ad illâ dandâ ex iustitia, & consequenter ad abdicâdû à se dominiû illius.

52 *Respondeo.* Respondeo ad hoc, sicut ad præcedens argumentum, concessò antecedenti cum prima consequentia, distinguo secundum consequens: ergo non potest aliquid dare, tanquam debitum ex iustitia stricta, & rigurosa concedo consequentiam: ex iustitia propriè dicta, vt à methaphorica distinguitur nego consequētiā. Ad cuius probationem distinguo maiorem: si Deus aliquid daret, tanquam debitum ex iustitia stricta, & rigurosa cōstitueret creaturam dominam alicuius rei, etiam in ordine ad ipsum, & à se dominium illius rei abdicaret concedo maiorem; ex iustitia propriè dicta, vt à metaphorica distinguitur nego maiorē pro secunda parte, & subdistinguo quoad primā: constitueret creaturam dominam alicuius rei, etiam in ordine ad ipsum, dominio imperfecto, & secundum quid concedo maiorem; dominio perfecto, & absoluto nego maiorem; ex quo patet, quomodo distinguenda est minor, & quid sit ad subillatum respondendum. Solutio claret ex dictis, præsertim *num.* 42.

53 *Arguitur 5.* Arguitur quinto: materia iustitiæ non habet locum in Deo: ergo nihil Deus ex iustitia facit: ergo Christi satisfactionem ex iustitia acceptare nequit. *Anteced. prob. 1.* Probatur antecedens primo: iustitia ex Arist. 5. *Ethic. cap.* 2. versatur circa bona humana temporalia, quæ sunt, vel pecunia, sub qua omnia bona externa pretio æstimabilia comprehenduntur; vel honor, fama, vita, & salus comporalis; sed hæc locum non habent in Deo: ergo materia iustitiæ non habet locum in Deo. *Secundo.* Probatur secundo ex eodem Philosopho *citat. cap.* 4. dicente: iustitiam versari debere inter vtile, & nocivum; sed creatura in nihilo potest Deum damnificare, nihilque in Dei vtilitatem facere potest; est namque creatura servus inutilis, vt ait Luc. *cap.* 17. & Iob *cap.* 22. inquit: *Quid prodest Deo, si iustus fueris*: ergo materia iustitiæ non habet locū in Deo. *Tertio.* Tertio probatur ab inconveniente: nam si materia iustitiæ locum haberet in Deo, sequeretur, quod secluso pacto, vel promissione Dei, Deus teneretur ex iustitia ad remuneranda merita; sed hoc est falsum: ergo materia iustitiæ non habet locum in Deo. Probatur maior: opera iustorum secluso pacto habent dignitatem vitæ æternæ: ergo, &c.

Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem respondeo: Arist. loqui de iustitia, provt illam communiter homines accipiunt, scilicèt, de iustitia vulgari, quæ circa commercia versatur; de qua verum est, locum in Deo non habere; cæterum hoc falsum est, si iustitia abstractius accipiatur; nam sicut dominium proprietatis non solum circa bona pecunijs æstimabilia potest cadere, sed etiam circa res spirituales, & ab his duobus dominijs potest abstrahi dominium proprietatis incommuni; ita à iustitia pecuniaria, & spirituali potest abstrahi iustitia incommuni, tanquā genus; vndè potest bene quis ex iustitia obligari ad orandum, vel faciendum Sacramentū pro alio, & non solum impendere laborem illum corporalem in celebrādo, sed etiam applicationē sacrificij, quæ res purè spiritualis est, vt si duo Sacerdotes paciscerentur ad invicem, vt mutuo quisque statis diebus celebraret pro alio.

54 *Respond. ad argum. & ad prob. 1. antecedentis.*

Ad secundam probationem respondeo similitèr: Phylosophum ibi loqui etiam de iustitia provt exercetur in nobis; verumtamen si iustitia abstractius accipiatur, vt est communis ad creatam, & increatam non est eius materia limitanda ad bona vtilia, vel commoditatem humanam afferentia, sed etiam extendi debet ad honorem, obsequium, cultum, & in vniversum ad actiones, quæ alteri, seu Deo placent, quo pacto Paulus 2. *ad Thimot.* 2. opera nostra bona dicit esse Deo vtilia: *Si quis se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino*; licèt enim Deus ad vsum suū aliquem obsequia nostra nō accipiat, qui referatur ad conservationem perfectionis intrinsicæ, tamen opera nostra esse possunt Deo vtilia, quatenùs per ea exhibimus Deo debitam obedientiam, & supræmi dominij recognitionem; vndè sicut honor, & fama

55 *Ad 2.*

di-

dicitur extrinsecum bonum, ita lato modo possunt hęc opera dici vtilia ad Dei honorem, & gloriam; & sicut in humanis per obsequia, quæ etiam solum cedunt in laudem extrinsecam alterius, potest quis illum alterū obligare ex iustitia, ita servata proportione dicendum est de nobis, & Deo.

56 *Ad 3.* Ad tertiam probationem respondeo negando sequelam, ad cuius probationem distinguo antecedens: opera iustorum secluso pacto habēt dignitatem vitæ æternæ remotam, radicalem, seù in actu primo concedo antecedens; primam, formalem, seù in actu secundo nego antecedens, & cōsequentiam; nam sicut Pater familias nō tenetur operarijs reddere ex iustitia denariū, si cū eis facta nō fuisset cōventio; bene verò cōvētione facta; ita Deus nō tenetur ex iustitia ad remunerāda merita secluso pacto; ast promissione facta, & operū cōdignitate suppositā, redditur Deus debitor noster ex iustitia, & non ex sola fidelitate, aut gratitudine, quia est promissio sub conditione onerosa operis æqualis, & condigni tali præmio, ex quo oritur in promittente obligatio ex iustitia, vt probavimus *num.* 9. Vndè Deo possumus dicere cum August. *Serm.* 16. *de Verb. Apost. Redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussisti*; hoc tamen semper intelligendum est de iustitia non rigurosa, sed secundum quid, quia talē condignitatem, & æqualitatem non habent opera nostra ex natura sua, sed ex eius gratia nobis liberalitèr concessa, vndè Deus in nobis sua coronat dona, vt ait idem Augustinus.

57 *Arguit. 6.* Arguitur sexto: Patris ad Filium, Domini ad servum non potest esse iustitiæ obligatio, præsertim commutativæ, sed tantum fidelitatis; Deus autem est supræmus Dominus, & Pater hominis iusti modo specialiori: ergo nequit illi aliquid ex iustitia reddere. Minor patet. Maior est Arist. 5. *Ethic. cap.* 6. & suadet ratio; quia quid quid habet filius, aut servus, magis est Patris, aut Domini, quam suum. *Confirm.* Confirmatur: quia si Deus præmia retribuit ex iustitia, iam esset iniustus, si non retribueret; at hoc est falsum; quia ille solum dicitur iniustus, qui lædit ius alienum, Deus autem, si non præmiaret, non læderet ius alienum, quia ius illud hominis est etiam Dei. Denique est indignum Deo se hoc modo obligare ex iustitia servo, fieret enim Deus servus hominis. Consequentia probatur: servitus, vt sic, dicit ordinē ad Dominiū, dominium idem est, ac ius: ergo si in creatura esset ius adversus Deum, esset quoque dominium: ergo in Deo esset servitus, hæc enim est debitum, seù obligatio ex iustitia.

Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: Patris ad filium, & Domini ad servū non potest esse obligatio iustitiæ strictæ, & rigurosæ concedo maiorem; iustitiæ propriè dictæ, vt à metaphorica distinguitur subdistinguo: non stante pacto sub conditione operis onerosi, æqualis, & condigni concedo maiorem; stante tali pacto, & adimpleta conditione nego maiorem, & concessa minori, distinguo similitèr consequens. Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: esset iniustitia stricta, & rigurosa nego maiorem; iniustitia propriè dicta, vt à metaphorica distinguitur concedo maiorem, & distinguo similitèr minorem, cuius probationē etiam distinguo: ille solum dicitur iniustus, qui lædit ius alienum, sivè perfectum, & absolutum, sivè imperfectū, & secundum quid, subdistinguo: dicitur iniustus strictè, & rigurosè ex vtriusque læsione nego maiorem; ex læsione primi concedo maiorem, & distinguo similitèr minorem, & consequens. Claret solutio ex dictis *n.* 42.

58 *Respond. ad argum.* *Ad confirmationem.*

Ad vltimum respondeo negando assumptum cum probatione imbibita, ad cuius probationem distinguo maiorem: servitus vt sic dicit ordinē ad dominium vt cumque nego maiorem; ad dominium, quo aliquis potest de aliquo homine ad libitum disponere, tanquam de re propria concedo maiorem; & concessa minori distinguo consequens: ergo si in creaturis esset ius adversus Deum, esset quoque dominium inferens servitutem nego consequentiam; alio modo concedo consequentiam, ex quo nego subillatam. Itaque servitus, quæ est, qua aliquis ex necessitate obstringitur servire alteri, non dicit relationem ad quodcumque dominiū; alioquin omnis debitor esset servus sui creditoris, quia creditor habet domi-

56

nium adversus debitorem, & Pater familias debens ex iustitia mercedem operarijs, esset servus illorum, quorum vtrumque est falsum; sed dicit solum relationem ad dominiū illud, quo aliquis potest de alio homine ad libitum disponere, tanquam de re propria. Ex quo manifestè apparet: Deum nunquam posse dici servum creaturæ. Tum: quia nunquam Deus necessitate obstringi potest ad serviendum creaturæ. Tum etiam: quia nunquam creatura potest de Deo ad libitum disponere, tanquam de re propria.

60 *Retorqueo 1.* Denique argumentum probat, quod omnis debitor sit servus sui creditoris, & quod Pater familias debens ex iustitia mercedem operarijs sit servus illorum, quod odiendo retorquendo argumentum: servitus vt sic dicit ordinem ad dominium, & ius; sed in creditore est ius, & dominium adversus debitorem, & in operarijs est ius, & dominium adversus Patrem familias: ergo in debitore, & in Patre familias esset servitus. *Retorqueo 2.* Retorqueo iterum: obligatio ex iustitia stricta, & rigurosa non facit, nec constituit servum: ergo multo minus obligatio propriè dicta, vt à methaphorica distinguitur. Atqui hanc solum ponimus in Deo respectu creaturæ: ergo obligatio à Deo à nobis concessa, nec facit, nec constituit Deum servum creaturæ. Omnia sunt vera, si vera est maior. Maior est evidens: nam in Patre familias est obligatio ex iustitia stricta, & rigurosa dandi mercedem operarijs; sed non ob hoc Pater familias fit, vel constituitur servus illorū: ergo obligatio stricta, & rigurosa ex iustitia non facit nec constituit servū.

61 *Arguitur 7* Arguitur 7 primo: in Deo est incapacitas obligationis iustitiæ respectu creaturæ: ergo nulla potest dari in Deo respectu creaturæ iustitia: ergo nequit Deus ex iustitia, adhuc propriè dicta, vt à methaphorica distinguitur, Christi satisfactionem acceptare. *Antecedens prob. 1.* Antecedens probatur primo: iustitia ex sua ratione formali dicit imperfectionem: ergo in Deo est incapacitas obligationis iustitiæ respectu creaturæ. Probatur antecedens: iustitia ex sua ratione formali habet vnicuique tribuere ius suū, seu quod idem est: vnius cuiuscumque ius servare illæsum; sed hoc est ex sua ratione formali imperfectio: ergo, &c. Probatur minor: vnius cuiuscumque ius servare illæsum supponit ius in alio, & obligationem in me, v.g. servandi ius; sed supponere ius in alio, habereque obligationem servandi illæsum illud ius, est ex sua ratione formali imperfectio; quia est ius non esse meum: ergo habere ex sua ratione formali vnicuique tribuere ius suum, seu vnius cuiuscumque ius servare illæsum, est imperfectio ex sua ratione formali.

62 *Secundo.* Probatur secundo dictum antecedens: repugnat: Deum obligari ex iustitia ad communicandum alteri bonum, quod à se alienare non potest: ergo in Deo est incapacitas obligationis iustitiæ respectu creaturæ. *Tertio.* Tertio: repugnat: Deum esse legi subiectum; ergo in Deo non est capacitas obligationis iustitiæ respectu creaturæ. Probatur consequentia: obligatio in Deo iustitiæ respectu creaturę proveniret ex aliqua lege; sed repugnat: Deum esse legi subiectum: ergo repugnat obligatio. *Quarto.* Quarto: repugnat diminutio dominij Dei: sed si obligatio iustitiæ esset in Deo respectu creaturæ, talis obligatio esset diminutio dominij Dei: ergo in Deo non est talis obligatio. Probatur minor: talis obligatio ligaret Deum ad servandū ius creaturæ ita, vt non posit non servare ius prædictum; sed hoc est diminutio dominij Dei, vt ex se patet: ergo, &c.

63 *Respondeo ad argum. & ad 1. prob. antecedentis.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem nego antecedens, ad probationem nego minorem, & distinguo minorem probationis: supponere ius in alio, à mea voluntate independens, est ex sua ratione formali imperfectio cōcedo minorem; à mea voluntate omninò dependens, tàm in fieri, quàm in conservari nego minorem, & distinguo consequens: ergo in Deo est incapacitas obligationis iustitiæ strictæ, & rigurosæ concedo consequentiam; iustitiæ propriè dictæ, vt à methaphorica distinguitur, nego consequentiam. Itaque supponere ius in alio, à mea voluntate independens, est me esse ex necessitate de

bitorem, & ius non esse meum, quod est imperfectio. Ait esse à mea voluntate omnino dependens, est esse meū, & consequenter nullam dicit imperfectionem, sed solum minuit rigorem iustitiæ, vt claret exemplo donatoris respectu donatarij posito *num.* 47. & ex eius applicatione *num.* 48. & 49.

64 *Ad 2.* Ad secundam probationem distinguo antecedens: repugnat: Deum obligari ex iustitia ad communicandum alteri bonum per translationem dominij concedo antecedens; dominium retinendo nego antecedens, & distinguo consequens, vt distinxi numero antecedenti, quia solum tollit à Deo iustitiam strictam, & rigorosam. *Ad 3.* Ad tertiam distinguo antecedens: repugnat: Deum esse legi extrinsicæ, vel imperanti subiectum concedo antecedens; legi intrinsicæ, scilicet, rectitudini suæ voluntatis nego antecedens; ex quo distinguo maiorem probationis: obligatio iustitiæ in Deo provenit ex aliqua lege intrinsica concedo maiorem; extrinsica nego maiorem; provenit namque ex rectitudine Divinæ voluntatis, quæ est ipsi Deo lex, & prima regula contingentium ad extra. *Ad 4.* Ad quartam concessa maiori, nego minorem, & ad probationem distinguo maiorem: talis obligatio ligaret Deum ad servandum ius creaturæ, ita, vt non possit non servare ius prædictum in sensu composito concedo maiorem; in sensu diviso, vel absolutè loquendo nego maiorem, & hac distinctione distinguitur minor, & nego consequentiam. Cum enim Deus sit perfectissimus omnium Dominus, potest absolutè loquendo, & in sensu divisso revocare quamcumque promissionem, & pactum, & consequenter potest auferre à creatura ius, qualecumque sit, contra ipsum, ac per inde dominium Dei nequit diminui per ius, quod habet in Deum creatura.

65 Denique notandum est, quod plura, quæ nobis adversarij obijciunt, militant etiam contra ipsos, admittentes in Deo debitum fidelitatis ad remuneranda merita creaturæ, quod vt pateſiat, duplicem retorsionem in ipsos formo. *Retorqueo argum. 1.* Retorqueo primo: repugnat: Deum esse legi subiectum: ergo repugnat in Deo debitum fidelitatis. Probatur consequentia: obligatio fidelitatis in Deo respectu creaturæ provenit ex aliqua lege; sed repugnat Deum esse legi subiectum: ergo in Deo repugnat debitum fidelitatis. *Retorqueo 2.* Retorqueo secundo: repugnat diminutio dominij Dei; sed si obligatio fidelitatis esset in Deo respectu creaturæ, talis obligatio esset diminutio dominij Dei: ergo non datur in Deo debitum fidelitatis. Probatur minor: talis obligatio ligaret Deum ad illam adimplendam ita, vt non possit illam, non adimplere; sed hoc est diminutio dominij Dei, vt de se patet: ergo si obligatio fidelitatis esset in Deo respectu creaturæ, talis obligatio esset diminutio dominij Dei.

§. III.

Secunda conclusio statuitur; & probatur.

66 *2. Cōclusio.* SEcunda conclusio: *Deus non acceptavit satisfactionem Christi ex iustitia stricta, & rigorosa*, seu quod idem est: *Virtus illa, ex qua Deus dicitur acceptasse satisfactionem Christi, non est iustitia simpliciter, & absolutè dicta, seu cum omnibus conditionibus ad rigorosam iustitiam requisitis, qualis est iustitia commutativa inter homines.* Hæc conclusio est Scoti *citat.* quam cum ipso defendo contra Ill. Godoy *num.* 4.

67 *Probatur 1. authoritate PP.* Probatur conclusio primo authoritate Patrum, qui varijs modis indicarunt, Dei ad creaturam non esse iustitiam strictam, & rigorosam; aiunt enim: *Deum nihil nobis debere reddere debita nulli debentem non habere debitum ex iure, debere solum suæ bonitati, & misericordiæ, præmium, quod nobis tribuit pro bonis operibus, amicitiarum nobis præmiare repromittere, ideòque debitum Dei erga nos promissionis debitum esse.* Ita D. Anselm. *Prosolog. cap.* 10. *Iustus es* (inquit) *non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summè bonum. Et cap.* 11. *Illud solum est iustum, quod vis, non iustum, quod non vis.* Augustin. 1. *Confess. cap.* 4. *Reddis debita nulli debens.* Bernard. *Serm.* 1. *de Annuntiation. Neque talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eam donaret. Et Serm.* 61. *in Cantic. Meritum meum misseratio Domini.*

Gregor. 9. *Moral. cap.* 14. *Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Basil. *in Psalm.* 114. *Manet sempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certa verint, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.*

68 Rursum Augustin. *Sem.* 13. *de Verbo Domini: O magna benignitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vt servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti; mancipia Redemptori; amicitiarum nobis præmia repromittit. Et Serm.* 16. *de Verb. Apostol. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi; & aliter dicimus, debes mihi, qui promisisti mihi. Deo igitur quid dicimus, redde mihi, quia dedi tibi? quid dicimus Deo, quando quod sumus, & habemus boni, ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, non est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: illo ergo possumus exigere Dominum nostrum, redde, quod promisisti, quid fecimus, quod iussisti, & hoc tu fecisti, qui laborantes iuvisti. Et Serm.* 151. *de Tempore: Laudemus fratres Dominum, quia promissorem tenemus, vt iam debitum exigamus.* Idem de promissione, & debito fidelitatis docet Concil. Tridentin. *Sessione* 6. *cap. vltim. Bene operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditèr promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fidelitèr reddenda.*

69 *Demõstratur concl. 1 ex author.* Ex quibus Patrum Authoritatibus Dei ad creaturam non esse iustitiam strictam, & rigorosam sic demonstro: illæ negativæ locutiones, quibus Patres negant: Deum esse nobis debitorem, aliquod genus debiti removent à Deo; atqui non removent à Deo debitum fidelitatis, nec debitũ gratitudinis, nec debitum iustitiæ propriè dictæ, vt à methaphorica distinguitur: ergo prædictæ locutiones removent à Deo debitum iustitiæ strictæ, & rigorosæ. Consequentia est legitima; nam præter genera dicta non est aliud genus debiti. Maior est certa; alioquin falsæ essent Patrum locutiones. Minor pro prima, & secunda parte est generalis Theologorum sententia. Pro tertia vero est doctrina à nobis tradita §. *antec.* nec eam negare valet Ill. God. iustitiam strictã, & rigorosam statuens inter Deum, & creaturã.

70 *Demõstratur 2.* Alitèr ex prædictis Patrum Authoritatibus demonstro, Dei ad creaturam non esse iustitiam strictam, & rigorosam: Patres negantes, Deum esse nobis debitorem, aliquod genus debiti à Deo tollunt: ergo tollunt à Deo iustitiam strictam, & rigorosam. Probatur consequentia: si Patres negantes, Deum esse nobis debitorem, non tollerent à Deo iustitiam strictam, & rigorosam, Patres negãtes, Deum esse nobis debitorem, nullum genus debiti à Deo tollerent; sed iuxtà concessa aliquod genus debiti à Deo tollunt: ergo, &c. Probatur maior: iustitia stricta, & rigorosa comprehendit, vel includit, seu continet omne genus debiti, vt de se patet: ergo, &c.

71 *Demõstratur 3. ad hominẽ contra Ill. Godoy.* Demonstratur tertio ad hominem contra Ill. Godoy, contra quem non solum ostenditur, Dei ad creaturam non esse iustitiam strictam, & rigorosam; verum nec iustitiam propriè dictam, vt à methaphorica distinctam: Patres absolutè negant, Deum esse nobis debitorem: ergo Dei ad creaturam nullo modo est debitum: ergo nullo modo Dei ad creaturam est iustitia. Antecedens patet ex Patrum authoritatibus. Consequentia probatur: hoc ipso, quod Patres absolutè negẽt, Deum esse nobis debitorem infertur, Dei ad creaturam nullo modo esse debitum; sed Patres absolutè negant, Deum esse nobis debitorem: ergo Dei ad creaturam nullo modo est debitũ. Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent: Christum venturum Adamo non peccante, infert Ill. Godoy *disp. seq. num.* 13. Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur consequentia: ideo ex eo, quod Patres absolutè negent, Christum, Adamo non peccante, venturum, infert Ill. Godoy *cit.* Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante, quia cum negatione absoluta non vere componitur aliqua affirmatio; sed hæc ratio eadem est in adventu Christi, ac in debito Dei ad creaturam: ergo, &c.

72 *4. Ad hominem contra ipsum.* Quarto demonstratur ad hominem contra ipsum: ista propositio: *Deus est nulli debens*, contradictoriè op-

ponitur huic: *Deus est alicui debens*; sed primam expræsse tradit D. Augustinus, & secundam docet Ill. Godoy: ergo iste contradictoriè opponitur D. Augustino. Maior est evidens; nam est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundum idem. Minor quoad primam partem constat ex authoritate D. Augustini tradita *num.* 67. quoad secundam vero est opinio Ill. Godoy. Consequentia est manifesta, & ostenditur: ideo Ill. Godoy *disput. sequent. num.* 14. infert, nostram opinionem contradictoriè opponi menti Hirenæi, quia hæc propositio, quam tradit expræsse Hirenæus: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, contradictoriè opponitur huic, quam nos docemus: *Etiam si non haberet caro salvari, Verbum Dei aliquomodo caro factum esset*; atqui ita propositio: *Deus est nulli debens*, contradictoriè opponitur huic: *Deus est alicui debens*, primamque tradit expræsse August. & secundam Ill. Godoy: ergo Ill. Godoy contradictoriè opponitur D. Augustino.

73 5. *Ad hominem contra eundem.*

Quinto, & etiam ad hominem contra eumdem: si namque propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita, esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet: Deum esse alicui debitorem: ergo nemo absque periculo Patribus contradicendi affirmare potest: Deum esse alicui debitorem. Hæc demonstratio fundatur in simili entimemate, quod contra nos facit *disput. sequent. num.* 16. ait enim Ill. Godoy *citat. Si namque propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita, esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet: Venturum Verbum, Adamo non peccante, etiam in carne impassibili: ergo nemo absque periculo Patribus contradicendi affirmare potest: Venturum Verbum, etiam in carne impassibili, Adamo non peccante, nec illius peccato existente.*

74 6. *Et etiam ad hominē.*

Sexto ad hominem etiam: nam Scotus eisdem verbis docuit: Deum non esse hominibus debitorem, quibus id Augustin. & alij PP. docuerunt; sed Ill. Godoy affirmando: Deum esse hominibus debitorem, existimat, se aperte Scoto contradicere: ergo censere tenetur, se cum Augustini, & aliorum Patrum mente pugnare. Totum patet contra Ill. Godoy, qui *disput. sequent. num.* 16. simile contra nos inconveniens deducit his verbis: *Nam D. Thomas eisdem verbis docuit: non venturum Christum Adamo non peccante, quibus id Augustin. & alij PP. docuerunt; sed Scotus, & illius sequaces affirmando: Venturum in illa hypotesi Christum in carne impassibili, existimant, se aperte D. Thom. contradicere. ergo censere tenentur, secum Augustin. & aliorum Patrum mente pugnare, docentes; Verbum in carne impassibile fore venturum, carnemque impassibilem assumpturum Adamo non peccante.*

Rationibus autem validissimis probant plures nostram conclusionem, ex quibus vna est, quam contra primam conclusionem obijcimus *num.* 38. à nobis verò hac vnica ratione probatur: satisfactio Christi non fuit ex toto rigore iustitiæ: ergo Deus non acceptavit satisfactionem Christi ex iustitia stricta, & rigurosa. Consequentia est evidens; nam nequit Deus ex iustitia stricta, & rigurosa acceptare satisfactionem Christi, quin Christi satisfactio habeat iustitiam strictam, & rigurosam adversus Deum. Antecedens probatum manet *disput.* 5. per singulas conditiones ad iustitiam rigurosam requisitas, responsiones Ill. Godoy ibi relectæ manent. Vt autem veritas nostræ conclusionis, tam huius, quàm quintæ disputationis, clarius appareat, & solutionibus, tàm ab Ill. Godoy traditis, quàm pro ipso tradendis, occurramus.

75 *Ratione probatur conclusio.*

Probatur antecedens: satisfactio Christi fundatur in aliqua gratia, estque aliquomodo Deo debita alijs titulis, fitque ex bonis, quæ aliquomodo sunt creditoris, seu sub dominio creditoris: ergo satisfactio Christi non fuit ex toto rigore iustitiæ. Antecedens à nemine negari potest, & probatum manet *disp.* 5. per triplicem probationem nostræ conclusionis. Consequentia verò probatur: satisfactio, quæ in nulla gratia fundaretur, nulloque modo esset alijs titulis debita, & fieret ex bonis, quo nullomodo essent creditoris, seu nullomodo sub dominio illius essent; esset ex iustitia magis rigurosa; sed satisfactio Christi fundatur in ali-

76 *Prob. antecedens.*

qua gratia, estque aliquomodo Deo debita alijs titulis, fitque ex bonis, quę aliquomodo sunt creditoris, seu sub illius dominio: ergo non fuit ex toto rigore iustitiæ.

Maior ex terminis patet, & demonstratur: nam si ad satisfactionem ex toto rigore iustitiæ requiruntur illæ conditiones, satisfactio, quæ strictiùs, & rigorosiùs illas haberet, esset ex iustitia magis rigorosa. Minor est certa, Consequentia autem probatur: nulla satisfactio potest esse ex iustitia magis rigorosa, quam illa, quæ est ex toto rigore iustitiæ: ergo satisfactio, quæ iustitia magis rigorosa non est; non est ex toto rigore iustitiæ. Atqui Christi satisfactio non est ex iustitia magis rigorosa; vtpote, fundata in aliqua gratia, aliquomodo Deo alijs titulis debita, & ex bonis, quæ aliquomodo sunt creditoris, seu sub dominio illius: ergo Christi satisfactio non est ex toto rigore iustitiæ.

Hæc consequentia est optima. Sussumpta vera. Consequentia autem ex antecedenti deducta est legitima. Antecedens vero ex terminis apparere videtur, & vltra probatur: si aliqua posset esse satisfactio ex iustitia magis rigorosa, quam illa, quæ est ex toto rigore iustitiæ, illa satisfactio esset ex toto rigore iustitię, nec vltra hoc progredi posset; alioquin satisfactio illa, quæ diceretur ex toto rigore iustitiæ, talis non esset: ergo nulla satisfactio potest esse ex iustitia magis rigorosa, quam illa, quæ est ex toto rigore iustitiæ.

§. IV.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

78 *Arguit 1. Ill. Godoy.*

CONtra nostram conclusionem arguit primo Ill. Godoy *num. 5.* nam si Deus merita condigna iustorũ præmiat ex iustitia stricta, & speciali, ex iustitia stricta, & speciali satisfactionem Christi acceptavit, & intuitu illius offensam hominibus remisit, in quo nullus Theologorum dissentiet; etenim si respectu alicuius datur in Deo stricta, & specialis iustitia, non potest respectu Christi negari, cum illius satisfactio ob infinitum valorem à persona Verbi sumptum, non solum æqualis fuerit, sed etiam superabundans pro offensa irrogata Deo; sed iustorum merita Deus remuneratur ex speciali, & stricta iustitia: ergo satisfactionem Christi ex hac virtute acceptavit, & ex eadem offensam hominibus remisit.

Minor, in qua sola esse potest difficultas, probatur ex illis Scripturæ testimonijs, in quibus iustitia Deo attribuitur in meritis iustorum remunerandis. 2. ad Thimot. 4. illis verbis: *Superest mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ad Hebræos 6. ibi: *Non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri.* Vnde Augustin. *lib. 4 contra Iulianum, cap. 3.* sic habet: *Deus ipse* (quod absit) *erit iniustus, si ad eius Regnum verus non admittitur iustus. Et lib. de natura, & gratia, cap. 2.* sic ait: *Non est iniustus Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ.* At prædicta testimonia congruentius explicantur de stricta, & rigorosa iustitia, & parte subiectiva illius, quam de iustitia, aut methaphoricè accepta, aut quæ solum sit pars iustitiæ potentialis, & alias ex hac interpretatione, congruentiorique, & rigorosa acceptatione nullum sequitur absurdum, vel inconveniens: ergo merita iustorũ remuneratur Deus ex stricta, & speciali iustitia.

79 *Respondeo.*

Respondeo concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem dico: testimonia prædicta nec intelligi de iustitia stricta, & rigorosa, vt constat ex dictis *§. antecedenti*; nec de iustitia aut methaphoricè accepta, aut quæ solum sit pars iustitiæ potentialis, vt claret ex adductis *§. 1.* intelliguntur itaque de iustitia propriè dicta, vt à methaphorica distinguitur, quæ, qualis sit, satis constat ex præiactis, & diximus *num. 35.* in solutione ad authoritates Patrum, qui iustitiam in Deo negare videntur. Nec in oppositum habet quidquam Ill. Godoy.

80 *Arguit 2.*

Arguit secundo *num. 8.* pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducit in promittente obligationem strictæ, & specialis iustitiæ, adimpleta conditione adimplendi rem promissam; sed Deus pepigit cum Christo de offensa hominibus remittenda sub conditione satisfactionis condignæ, & æqualis exhibendæ à Christo Domino, Christusque conditionem adimplevit satisfacien-

do æqualitèr, & condignè, imo & superabundanter pro offensa irrogata Deo: ergo Deus acceptavit ipsius satisfactionem ex iustitia stricta, & speciali, ex illaque hominibus offensam remisit intuitu satisfactionis a Christo Domino exhibitæ. Maior est communis Theologorum sententia. Minorque admissa ab omnibus Theologis, constatque ex illis verbis: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, videbit, & saturabitur.* In quibus verbis iuxta omnium expositorum interprætationem pactum de mittenda offensa hominibus sub conditione mortis, & passionis Christi, continetur. Consequentia autem probatione non indiget.

81 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: pactum sub conditione operis onerosi, & condigni habentis conditiones ad rigorosam iustitiam requisitas, inducit in promittente obligationem strictæ, & specialis iustitiæ, adimpleta conditione, adimplendi rem promissam concedo maiorem; operis non habentis conditiones prædictas nego maiorem, & distinguo minorem: sed Deus pepigit cum Christo de offensa hominibus remittenda sub conditione satisfactionis condignæ, & æqualis habentis conditiones ad rigorosam iustitiam requisitas nego minorem; non habentis tales conditiones concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque certum est, quod pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducit in promittente obligationem strictiorem, quam est obligatio orta ex fidelitate, & gratitudine, vt *num.* 9. docuimus; falsum tamen est, quod inducat obligationem strictæ, & rigorosæ iustitiæ, nisi opus illud habeat conditiones ad rigorosam iustitiam requisitas, quod non habet Christi satisfactio, vt diximus *num.* 75. & latè monstravimus *disp.* 5. *per tot.*

82 Hæc solutio eadem est in substantia, cum illa, quam pro nobis adducit Ill. Godoy *num.* 9. scilicèt: maiorem esse veram inter puras creaturas, quarum vna sub alterius dominio non est, ideoque potest alteram ex iustitia obligare interveniente pacto sub conditione operis onerosi, & condigni, conditionem adimplendo, opusque condignum, & æquale præstando, quia opus ab illa exhibitum taliter sub eius dominio constituitur, vt sub dominio promittentis non sit, nec ei alijs titulis debeatur; secus autem inter hominem, & Deum; cum enim quidquid homo potest facere, sit sub perfectissimo dominio Dei, Deoque multis alijs titulis debitum; consequens fit, vt quamvis ex parte Dei promissio intercedat sub conditione operis onerosi, & condigni, & homo conditionem adimpleat, opus condignum præstando, non possit Deum sibi ex stricta iustitia obligare; sicut nec increatis servus obligare potest Dominum ex stricta iustitia, etiam si Dominus paciscatur cum servo sub conditione operis onerosi, & servus opus onerosum pro conditione positum exequatur, eo quod tale opus est sub dominio non servi, sed Domini, illique titulo servitutis debetur.

83 *Replicat Ill. Godoy.* Sed contra istam solutionem in hunc modum objicit Ill. Godoy *num.* 10. promissio sub conditione operis onerosi, & condigni, adimpleta conditione, inducit in promittente obligationem, non ex sola fidelitate: ergo strictæ iustitiæ. Consequentia videtur bona. Antecedens probatur: obligatio solius fidelitatis non obest rationi gratiæ; sed obligatio orta ex promissione sub conditione operis onerosi, & condigni cum ratione gratiæ opponitur, & rationem gratiæ excludit: ergo talis obligatio non est ex sola fidelitate. Consequutio est legitima. Vtraque autem præmissa indiget probatione. Maior ex inde constat: nemo enim negare potest vnionem Verbi ad humanitatem esse maximam gratiarum ex illis, quas Deus fecit hominibus; & tamen huiusmodi gratiam Divina promissio præcessit, quod à nemine potest negari. Gratia autem habitualis iustificans gratiosè à Deo confertur homini perfectè contrito; & tamen adest Divina promissio dandi homini contrito gratiam, vt constat ex illo: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et ex illo: *Inquacumque die ingemuerit peccator, &c.* & alibi passim: ergo quod à Deo confertur obligato ex sola fidelitate gratia est absolutè, & simplicitèr.

Minor autem ostenditur primo ex

Paulo ad Romanos 4. illis verbis: *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*: Ergo Deus dans hominibus iuſtis gloriam intuitu bonorum operũ, quę in gratia operantur, dat ex debito excludente gratiam, & conſequentèr obligatio orta in Deo ex pacto ſub conditione oneroſa operis condigni, & æqualis excludit rationem gratię formalitèr. Secundo ex Tridentino *Seſſ. 6. de iuſtificatione cap. 8.* vbi docet: ideò Paulum dicere hominem gratis iuſtificari à Deo, quia nihil eorum, quæ iuſtificationem prȩcedunt, ſivè fides, ſivè opera, iuſtificationis gratiam meretur: ergo ſentit Concilium, quod ſi gratia iuſtificationis infunderetur à Deo obligato promiſsione oneroſa ſub cõditione meriti condigni, iuſtificatio non eſſet gratia formalitèr, & conſequentèr obligatio orta ex huiuſmodi promiſsione cum ratione gratiæ incomponitur. Denique ex D. Thom. 2. *ad Thim. 4. lect. 2.* vbi, vt ſalvet gloriam eſſe gratiam, & ſimul coronam iuſtitiæ, quia vtrumque à Paulo docetur, recurrit ad hoc, quod eſt gratia in radice; formalitèr autẽ ex iuſtitia dari, & eſſe coronam iuſtitiæ: ergo ſentit D. Thom. gloriam, quia datur adultis à Deo in vi promiſsionis onoroſę ſub conditione operis condigni, formalitèr gratiam non eſſe, ac proindè obligationem ortam ex tali promiſsione cum ratione gratiæ formalitèr talis, donique gratioſi non compati.

84 *Reſpondeo*

Reſpondeo conceſſo antecedenti, negando conſequentiam, quã vt bonam ſupponit Ill. Godoy, & nos vt falſam habemus. Ratio eſt: nam vt ſæpè diximus, inter obligationem ortã ex ſola fidelitate, & obligationem ortã ex iuſtitia ſtricta, & riguroſa, mediat obligatio orta ex iuſtitia propriè dicta, quæ eſt maior, quam obligatio ex fidelitate, & minor, quam obligatio ex riguroſa iuſtitia. Vndè falſa eſt hæc conſequentia: *Promiſsio ſub conditione operis oneroſi, & condigni adimpleta conditione inducit in promittente obligationem, nõ ex ſola fidelitate: ergo inducit obligationem ſtrictæ iuſtitiæ*, quia inducere poteſt obligationem iuſtitiæ propriè dictæ, quæ ab obligatione fidelitatis, & ſtrictæ iuſtitiæ diſtinguitur.

85

Denique retorqueo argumentum, oſtendendo quandam inconſequentiam Ill. Godoy: per actum ſub conditione operis oneroſi, & condigni non inducit in promittente obligationem ſtrictæ, & ſpecialis iuſtitię adimpleta conditione, adimplendi rem promiſſam: ergo nullum eſt argumẽtum Ill. Godoy. Probatur antecedens: ſi agens contra ſuam promiſsionem non iniuſtitiæ, ſed infidelitatis vitium incurrit, per actum ſub conditione operis oneroſi, & condigni non inducit in promittente obligationẽ ſtrictæ, & ſpecialis iuſtitiæ adimpleta conditione adimplendi rem promiſſam; atqui agens contra ſuam promiſsionẽ non iniuſtitiæ, ſed infidelitatis vitium incurrit: ergo, &c. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt notoria: nam ſi, pactum ſub conditione operis oneroſi, & condigni induceret in promittente obligationem ſtrictæ, & ſpecialis iuſtitiæ, adimpleta conditione adimplendi rem promiſſam, agens contra ſuam promiſsionem, non infidelitatis, ſed iniuſtitiæ vitium incurreret, vt eſt manifeſtum. Minor ad litteram eſt Ill. Godoy *tom. 3. in 3. p. diſp. 46. num. 12. in 2. replica cuiuſdam reſponſionis.*

Retorqueo argumentũ

86 *Arguit 3o*

Arguit tertio *num. 14.* nam in hoc, quod Deus acceptet ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, & ex illa hominibus offenſam remittat intuitu meriti, & ſatisfactionis à Chriſto Domino exhibitæ, nulla imperfectio importatur: ergo acceptavit de facto ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, ex illaque hominibus offenſam remiſsit, nõ per reſpectũ ad homines, ſed comparatione ad Chriſtum; ita, vt remiſsio offenſæ ex iuſtitia reſpectu Chriſti procedat, etſi gratioſa ſit per comparationẽ ad hominem, cui offenſa remittitur. Conſequentia patet: nam Deo attribuere debemus omnem perfectionem, quæ in ſuo conceptu formali imperfectionem non dicit; ſed operari ex iuſtitia aliqua perfectio eſt, cum omnis virtus aliquam perfectionem importet: ergo ſi aliàs nullam imperfectionẽ dicit in ſuo conceptu formali, talis modus operandi Deo negandus non eſt. Antecedens autem probatur: nam acceptare ſatisfactionem Chriſti ex iuſtitia ſtricta, & ſpeciali, & ex illa hominibus offenſam remittere, eſt illam ac-

cep-

ceptare attenēdo ad ius operationū Christi; sed in isto modo operādi nulla involvitur imperfectio: ergo, &c.

87 *Respondeo 1.* Respondeo primo ad argumentum negando antecedens, quod, nempè, in eo, quod Deus obligatus ex iustitia acceptet satisfactionem Christi, nulla imperfectio involvatur; nam in tali modo operandi maxima imperfectio invenitur, consistens in eo, quod sic acceptans, & operans obligatur à iure alterius; Deum autem ab aliquo extra se obligari ad aliquid tribuendum, vel offensam remittendā, vel alio modo operandum, imperfectio maxima est, incompatibilis cum supræmo Dei domonio: obligatus namque subijcitur obliganti, & operatur cum dependentia ab illo; Deum autem subijci alicui extra se, & ab illo dependere, imperfectionem maximām dicit, ideòque non potest in ipso admitti.

88 *Replicat Ill. Godoy.* Cæterum contra hanc solutionem sic obijcit Ill. Godoy *n.* 16. licèt Deum ab aliquo à se distincto absolutè obligari, obligatione independēte ab eius libera voluntate, & ex illa non orta, imperfectio maxima sit, obstans supræmo dominio, & cum illo incompatibilis; obligari autem ex suppositione aliqua libera Deo, ab eius libera voluntate dependente, & ex illa ortum ducente, imperfectionem non dicit; at sic obligatum acceptare Christi satisfactionem, est sufficiens, vt illā acceptaverit ex iustitia stricta, & speciali: ergo in eo, quod acceptaverit Christi satisfactionem ex stricta, & speciali iustitia, nulla imperfectio importatur, & consequentèr illam hoc modo acceptavit, & hominibus offensam remisit. Consecutio est legitima. Minor constat: nam sic acceptans servat ius alterius ad æqualitatem, & cum debito, & obligatione simplicitèr.

Maior autem probatur: non enim minus est de ratione libertatis necessitatis exclusio, & de ratione potentiæ exclusio impossibilitatis, quam de ratione dominij exclusio obligationis; sed cum supræma Dei libertate componitur necessitas orta ex suppositione ipsi libera; nam supposito, quod velit auxiliare efficacitèr voluntatem creatam, necessitatur ad simultaneū concursum illi præstandum, & supposito, quod velit promittere aliquid, necessitatur ad promissi adimpletionem, & cum supræma Dei potentia componitur impotentia, vel impossibilitas ex suppositione ipsi libera, vt in eisdem exemplis apparet: nam supposita collatione libera auxilij efficacis, redditur impossibilis negatio cōcursus simultanei, quæ de se possibilis erat, & supposita libera promissione, redditur Deo impossibilis negatio rei promissæ, quæ ante promissionē erat possibilis, quin ex hoc aliqua imperfectio sequatur: ergo cum supræmo Dei dominio compatitur obligatio operandi, vel aliquid retribuendi, orta ex suppositione ipsi libera, quin ex tali obligatione, & tali modo operandi aliqua imperfectio Deo repugnans inferatur.

89 *Respond.* Respondeo negando minorem cū probatione; quia cum ius, quod in Deum potest Christus habere in ordine ad acceptandam eius satisfactionē, sit solum ius imperfectum, & secundū quid, nunquam potest esse Deus simpliciter obligatus ad illam acceptandam; alioquin nec in sensu divisio, seu in actu primo posset Deus revocare ius, quod Christo liberalitèr concessit, quod est falsum, vt diximus *n.* 48. Deindè: nam in æquivoco laborat Ill. Godoy intelligendo: quod illa diffinitio iustitiæ, scilicèt: *Est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi*, sit diffinitio iustitiæ strictæ, & rigurosæ; est namque diffinitio iustitiæ abstrahentis à iustitia rigurosa, & iustitia propriè dicta; vtrique enim convenit hoc, quod est: *ius suum vnicuique tribuendi*; cum hac tamen differentia: quod servare vnicuique ius suū, quod est absolutum, & perfectum, est maxima imperfectio, quia importat iuriū alteritatem, seu quod tale ius non sit sub dominio vtriusque, creditoris, scilicèt, & debitoris; ast servare vnicuique ius suum, quod est imperfectum, & secundum quid, est maxima perfectio, quia non importat iurium alteritatem; ideò Deo concedimus iustitiā propriè dictam, ne illi deficiat hæc perfectio, & ab illo iustitiam rigurosam relegamus, ne illi imperfectionem imponamus, quod clarius apparebit responsione sequenti.

90 *Respond. 2 ad argum.* Respondeo secundo ad prædictum argumentum negando antecedens, ad

cuius probationem distinguo maiorem: acceptare satisfactionem Christi ex iustitia stricta, & speciali; & ex illa offensam hominibus remittere, est illam acceptare attendēdo ad ius imperfectum, & secundum quid operationum Christi nego maiorem; attendendo ad ius perfectum, & absolutum operationum Christi concedo maiorem; sed nego suppositū, scilicèt, quod ius operationum Christi sit perfectū, & absolutum, quod erat necessarium, vt Deus ex iustitia stricta Christi satisfactionem acceptaret. Ex quo nego minorem, scilicèt, quod in acceptando, attendendo ad ius absolutū, & perfectū, nulla involvatur imperfectio; dicit nāque sequētes imperfectiones.

91 *Iustitia stricta, quadruplicē imperfectionē affert.*

Prima imperfectio est iurium alteritas; nam hoc ipso, quod aliquis habeat ius perfectum, & absolutū in aliqua re, nequit alius habere in illam ius absolutum, & perfectum. Primo: quia alioquin darentur duo dominia adæquata, & perfecta, & absoluta, quod repugnat. Secundo: quia neuter posset disponere de illa re absque cōsensu alterius, quod est contra rationē iuris absoluti, & perfecti. Tertio: quia neuter posset disponere de illa re altero invito, quod etiam est contra rationē prædicti iuris. Secunda imperfectio est dominij translatio ob eandē rationes. Tertia est servare æqualitatem dati, & accepti ex natura rei ortā inter dantem, & accipientem independentèr à liberalitate retribuentis, quod Deo repugnat. Quarta est servare æqualitatem prædictam ex necessitate legis, cuius rectitudo non sit posita totaliter in voluntate retribuētis, quod Deo etiam repugnat. Hæc sunt imperfectiones, quas ex suo conceptu formali, & ex ipsius vocis significato importat iustitia commutativa, quam admittit in Deo Ill. Godoy; per quod manet ad argumentum, & ad replicam solutio.

92 *Arguitur denique ex Scoto.*

Ill. Godoy aliud in favorem suæ opinionis non adducit. Hoc tamen non obstante, argumentare possumus ex Scoto *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. sed tunc. & contra*, vbi obligatio in Deo ad merita remuneranda, & dignitas ex parte actus meritorij vocatur à Doctore *secundum strictam iustitiam*: ergo iuxta Scotum Deus ex iustitia stricta, & rigurosa remunerat merita: ergo ex iustitia stricta, & rigurosa Christi satisfactionem acceptavit. Respondeo: Scotum ibi dignitatem actus meritorij opponi dignitati actus contritionis respectu iustificationis, in qua solum intervenit debitū fidelitatis; vnde vult Scotus, quod debitum in Deo ad gloriam meritis conferendam non sit simplicis fidelitatis, seu iustitiæ methaphoricæ, ex quo non valet inferre, quod sit iustitiæ strictè, & rigorosè captæ, sed solum iustitiæ proprie dictæ, quam cum ipso fatemur. *Respondeo.*

93 *Scoti mens opperitur:*

Et quod hæc sit genuina mens Scoti patet: nam Doctor sentit, quod si stante promissione Dei, & adimpletione operis onerosi ex parte hominis, Deus talem, & tantam mercedem non redderet; non tantum infidelis dici posset, sed etiam aliquomodo iniustus; hoc enim est, quod expræssè vult, dum ibi ait: digne Deum retribuere secundum iustitiam commutativam, vel potius retributivā, ita quod Deus homini, qui sic operatus est, iniuste subtraheret beatitudinem; addit namque, quod hoc simpliciter, & absolutè dici non potest, quia talis ordo iustitiæ nostrorum operum ad beatitudinem non est ex solis intrinsecis agenti, hoc est, non provenit simpliciter ex natura dati, & accepti, sed ex sola voluntate Divina gratuita ordinante; vndè concludit rationem meriti nostri completè sumi debere ex ordinatione voluntatis Divinæ illius actus ad præmium.

94

Quare, cum inquit Scotus, Deum absolutè loquendo posse citrà iniustitiam subtrahere beatitudinem ei, qui sic operatus est; hoc ideò dixit cum talis ordo iustitiæ fundetur præsertim in eius acceptatione, & pacto, potest pactū illud revocare de potentia absoluta, & in sensu diviso, & consequentèr aufferre ius à creatura, quod adversus ipsum Deum habeat, non autem intelligi debet, suppositā Divina promissione, & pacto.

95 *Corollariū.*

Ex dictis concluditur: Deum, nec ex pura fidelitate, nec ex gratitudine pura, quæ sunt iustitiæ methaphoricè sumptæ, nec ex iustitia stricta, & rigurosa Christi satisfactionem acceptasse; sed ex iustitia proprie dicta, vt à methaphorica distinguitur, quæ non

eſt iuſtitia cõmutativa propriè ſumpta, quia non oritur ex efficatia ſatisfactionis Chriſti independenter à voluntate Dei; vndè dicitur, & eſt iuſtitia retributiva, & præmiativa, quæ, quia ad iuſtitiam commutativam reducitur, dici poteſt commutativa ſecundum quid, & per ſimilitudinem; quod claret ex dictis *diſp. præced. n.* 21. 22. & 23. Et hæc de iſta *diſput.* applicanda cum præcedentibus litt. Magiſtri *in* 3. *diſt.* 46. §. 1.

DISPVTATIO OCTAVA.

An Verbum carnem aſſumeret in vi præſentis decreti: Adamo non peccante?

§. I.

Neceſſaria ad quæſtionem ſupponuntur.

Num. 1

IN hac diſputatione conſiliũ Dei inveſtigare aggredimur, ſed nec temerè, nec otioſè hoc facimus, quia procedimus, nittendo principijs fidei, authoritatibus Sanctorũ, & rationibus probabilibus, vt veritas Theologica cognoſcatur, quod eſt rationabiliter, & fructuoſè procedere. Pro quo.

2

1. *Suppoſitum.*

Suppono primo: quæſtionem non eſſe de poſsibili. Primo: quia extrà cõtroverſiam eſt: Deum poſſe carnem aſſumere, nullo exiſtẽte peccato, quia Incarnatio ordinari poſſet ad alios fines conſequẽdos, vt D. Thomas, Scotus, & omnes ſentiunt. Secundo: quia vt ait Ill. Godoy *num.* 1. potuiſſe Deum carnem aſſumere, & in illa venire, nõ peccante Adamo, nulloque exiſtente peccato, adeò certum eſt, vt in controverſiam à nullo Theologorum vocetur, imò nec vocari poſſit; cum enim Incarnatio, ſeu à Deo carnis aſſumptio, nec eſſentialiter nec connaturaliter cum peccato connectatur, in eo, quod Deus carnẽ aſſumat, nullo exiſtente peccato, repugnantia inveniri non poteſt: non igitur depoſsibili, ſed de facto, & de eo quod de facto accidit, controverſia Theologorum in hac parte procedit.

3

2. *Suppoſitum.*

Suppono ſecundo: Deum poſſe ordinare Incarnationem in remedium peccati, ſicut de facto ordinata eſt, vt dicitur in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem.* Senſus autem quæſtionis eſt: an Deus de facto ita hunc finem habuerit, vt decreverit Incarnationem, ſic à peccato dependentem, quod hoc non ſtante non foret Incarnatio? Dupliciterque tractari poteſt. Primo: an Verbum carnẽ aſſumeret, & in illa veniret in vi alterius decreti, quod haberet Deus in alia rerum ſerie, & diſpoſitione, in qua Adamus non peccaret, nullumque peccatum exiſteret, & in hoc ſenſu quæſtio magnæ authoritatis non eſt, & nullius vtilitatis eſſe, eſt frequens Theologorũ ſententia, potiuſque divinationis, quam prudentis diſquiſitionis materia videtur. Cũ enim ad aliud decretũ de aſſumptione carnis à Deo in illa rerum ſerie ſtatuendum, non niſi ex his, quę de facto ſunt revelata, diſcurſum formare poſsimus, & ex his, quæ de facto revelata ſunt, nullum ad illius decreti illationem principio habeamus, divinatio potius, quam probabile iudicium erit aſſerere, ventutum Chriſtum, Verbũque aſſumpturum carnem in vi alterius decreti formandi à Deo, nullo peccato exiſtente. Et quidem aſſerere, Incarnandum Patrem, vel Spiritũ Sanctum in vi alterius decreti extituri in Deo, Verbo carnem non aſſumente, mera divinatio eſt, quia ex his, quę de facto revelata ſunt, talis decreti exiſtentia coniectari non poteſt: ergo affirmare: Verbum in carne venturum, Adamo non peccante, nulloque peccato exiſtente, in vi alterius decreti, tunc caſus formandi à Deo, divinare potius, quam prudenter diſcurrere, eſt, cum iſtius decreti condi-

tio-

tionata existentia non habeatur, nec adhuc probabilitèr colligatur ex revelatis de facto.

4 *Punctus difficultatis.*

Secundo: An vi præsentis decreti Verbum assumeret carnem, sibique humanitatem vniret, etiã si Adamus non peccaret? Quod idem est, ac inquirere: An de facto detur in Deo decretum aliquod efficax mittendi Verbum in carne, non connexum cũ peccato Adami, vel omne decretum efficax, quod circa Incarnationem Verbi de facto datur in Deo, sit cum peccato originali connexum? Si namque hoc secundum asseratur, nempè, omne decretum efficax circa Incarnationem Verbi de facto existens in Deo esse cum peccato originali connexũ, per evidentem consequentiam infertur: Verbum carnem non sumpturũ, nec in illa venturum in vi præsentis decreti, Adamo non peccante: ablato namque obiecto, vel extremo connexionis decreti, decretum etiam auferetur. Si verò asseratur primum, veniret Verbum in carne, illamque assumeret, peccato Adami non existente in vi præsentis decreti; cum enim decretum efficax Dei, suppositò, quòd existat, non possit non executioni mandari; & decretum cum peccato non connexum perseveret, peccato non existente, colligitur per evidentem consequentiam: quòd si datur de facto in Deo decretum aliquod efficax de Incarnatione Verbi non connexum cum peccato, Incarnatio Verbi existeret, existente nullo peccato.

5 *3. Suppositum.*

Quod, vt claritate resolvamus. Suppono tertio: quod obiectum voluntatis potest esse duplex. Vnum motivũ, & principale. Alterum impulsivum. Primum est, quod per se movet volũtatem ad agendum, & est prius intentum. Secundum est, quod voluntatem iam motam quasi impellit, vt quòd iam volebat, vellit magis, alacriùs, vel celeriùs. Sic Sancti, qui ex sola Dei bonitate moventur in ipsum; spe etiã gloriæ impelluntur, vt magis eum diligant, & alacriùs serviant. In præsenti non est sermo de obiecto impulsivo Incarnationis secundum præsens decretum, quia hoc, vel non fuit remedium peccati, vel si fuisset, adhuc isto non stante, staret Incarnatio; sicut Sancti sola Dei bonitate diligunt Deum, adhuc ablata spe præmij. De motivo ergo est quæstio.

6 *4. Suppositum.*

Suppono quarto: actum voluntatis posse habere plures fines partiales, & subordinatos; istique, vel ita inter se connexi, quod quocumque deficiente non staret actus; vel ita inconnexi, quod stante principaliori fine actus esset, etsi alius minus principalis non staret. Ex quo absque controversia infertur, quod actus voluntatis, quo Deus decrevit Incarnationem, habuit plura motiva partialia, ex quibus primum est ostensio gloriæ Dei. Secundũ excellentia misterij. Tertium gloria nostra. Quartum remediũ peccati.

7 *5. Suppositum.*

Suppono quinto: quod Incarnatio potest considerari duplicitèr. Primo secundum substantiã. Secundo secundum modum, & circunstantias. Primo modo attenditur, vt vnio hypostatica est, prescindendo ab hoc, quod humanitas sit passibilis, vel impassibilis. Secundo modo attenditur, vt in carne passibili, vel impassibili. Hæc suppositio constat ex dictis in methaphysica circa naturas rerum, vel suis prædicatis essentialibus tantum; vel cum modis, & circunstantijs.

8 *Placitum aliquorum Scotistarũ.*

Hinc Scotistæ aliqui dicunt: motivum, & finem Incarnationis secundũ substantiam esse excellentiam misterij, ostensionem gloriæ Dei, & gloriã nostram, præscindẽdo à peccato; motivum verò Incarnationis secundum modum, & circunstantias, scilicèt, in carne passibili, esse remedium peccati. Pro quo;

9 *Passibilitas dupliciter sumitur.*

Advertendum est: quod passibilitas est duplex. Vna, quæ est subiectio ad corruptionem. Alia, quæ est talis determinata passio, scilicèt, mors Crucis. De prima non loquitur in præsenti; quia est intrinseca passio cuiuscumque naturæ humanæ inseparabilis ab ea; consequentèrque semper Incarnatio esset in carne hoc modo passibili. De secunda est sermo, quia hæc est extrinseca naturæ humanæ, & ab ea separabilis. Et de ista secunda passibilitate loquendo, certum est, Christum non venturum passibilem, si non esset peccatum, à quo morte sua nos redimeret, quia motivum Incarnationis secundum modum consideratę est remedium peccati ex dictis *num.* 8. Vndè iuxta hunc dicendi modum Scotista-

rum controversia est: An vi præsentis decreti veniret Christus in carne impassibili ob fines Incarnationis secundum substantiam consideratæ, deficiente peccato, quod est motivum Incarnationis secundũ modũ acceptæ.

10 *Placitum aliorũ Scotistarum.*

Alij verò Scotistæ asserunt: remedium peccati esse causam, & motivũ Incarnationis, non solum quoad modum, sed etiam quoad substantiã. Vndè dicunt: Deum duplici quasi motivo decrevisse Incarnationem quoad substantiam, scilicèt, propter excellẽtiam misterij, & propter remedium peccati. Inter hæc autem motiva, excellentia misterij est primum, & principale ante prævisionem peccati volitum; remedium verò peccati est secundarium, & minus principale post peccati prævisionem volitum, quorũ vtrumque patebit ex dicendis §. 9. & 10. Hæc duo motiva ita statuunt Scotistæ, vt quolibet ipsorũ sit sufficiens ad executionem Incarnationis. Vndè si Deus non decrevisset Incarnationẽ ex priori motivo, adhuc secundum sufficiens esset, quia licèt hæc duo motiva non sint causæ totales totalitèr causantes, vt malè asserit Suarius; sunt tamen causæ sufficientes.

11 Ex his necessario sequitur: Deum voluisse Incarnationem quoad substantiam ex duplici motivo totali in esse signato, quia quodlibet erat sufficiens; non verò totali in esse exercito, quia repugnat effectus à duplici causa totali proveniens, iuxta dicta in physica. Ex his primum est excellentia misterij, abstrahendo à carne passibili, vel impassibili. Secundum est remedium peccati determinando carnem passibilem.

12 Vndè vi decreti Incarnationis ob excellentiam misterij veniret Christus; non tamen vt passibilis, vel impassibilis formalitèr decretatus, quia ad hoc decretum non attinet affirmatio, vel negatio modorum, sed substantiæ tantum; hæc enim est natura decretorum, & rerum, quod in primo modo decernatur quidditas rei, abstrahendo à modis, & circunstantijs. Licèt ergo per decretum Incarnationis ob excellentiam misterij non esset formalitèr decretatus Christus, vt passibilis, nec vt impassibilis; veniret tamen vi prædicti decreti vt impassibilis, Adamo non peccante; quia ex decreto dandi gloriam animæ Christi virtualitèr sequeretur immortalitas corporis, nam per naturalem sequelam gloria animæ redundaret in corpus, si postea nõ esset ordinatus Christus in remedium peccati; quare nullo alio secuto decreto vi illius veniret immortalis, vel vt glorificator.

Hinc dicunt Scotistæ aliqui, quod 13
Adamo non peccante Christus veniret in carne impassibili vi illius decreti; quia licèt illud decretum non fuit formalitèr de impassibilitate; nã solum terminatum fuit ad substantiã Incarnationis, & ad carnem absolutè assumendã, fuit tamen per illud constitutus Christus impassibilis virtualitèr, & in sua causa; quia absque vllo alio decreto per naturalem sequelam gloria animæ redundaret in corpus.

Alio etiam modo discurrunt Scotistæ, Christum venturum impassibilem Adamo non peccante, nempè, quia licèt per decretum Incarnationis ob excellentiam misterij, nec veniret passibilis, nec impassibilis, quia illud decretum abstrahit ab vtroque; tamen Adamo non peccante, esset aliud decretum, vel extensio illius de substantia Incarnationis ad modũ impassibilitatis, sicut de facto ob permissionem peccati venit passibilis per aliud decretum secutum ad primum, vel per extensionem primi ad modum passibilitatis. 14

§. II.

Referuntur sententiæ, vera eligitur, & Scoti ratione probatur.

HIS itaque suppositis duplex, & vtraque celebris, & è regione opposita versatur sententia. Prima docet: nullum fuisse in Divina voluntate decretum efficax circa Incarnationem Verbi cum peccato Adami non connexum; ac proindè vi præsentis decreti Uerbum Incarnandum non fore, peccato Adami non existente, Adamoque non peccante. Ita Ill. Godoy *num.* 11. cum suo Angelico Præceptore *in 3. sent. dist. 2. quæst. 1. artic. 3. Quæst. 29. de veritate artic. 4. ad 3. argum. 1 ad Thimot 1. lect. 4. Et in hac 3. part. quæst. 1. art. 3.* citans etiam pro ea aliquos ex Patribus Societatis. 15 1. Sẽtentia. *D. Thom. Ill. Godoy.*

Secunda sententia docet: Incarna- 16 2. Sẽtentia.

tio-

tionem Verbi esse decretatam a Deo, vel duplici decreto efficaci, vno terminato ad Incarnationem secundum substantiam ob excellentiam misterij, gloriã Dei, &c. Et alio terminato admodum pasibilitatis ob remediũ peccati. Vel vno decreto efficaci circa substantiam Incarnationis, & extenso ad pasibilitatem. Vel vnico decreto circa substantiam Incarnationis ob duplex motivum, quorum quodlibet est sufficiens ad executionem Incarnationis. Vndè peccato Adami non existente, Christus veniret, vel vi præsentis decreti primi ex se efficacis, & independentèr à secundo decreto; vel vi præsentis decreti non extensi ad pasibilitatem; vel vi præsentis decreti ob excellentiam misterij, quod est motivum magis principale, & sufficiens ad executionem Incarnationis. Sic Doctor Subtilis *in 3. distinct. 7. quæst. 3. & distinct. 19.* quem præter suos aliqui ex Patribus Societatis, quos citat Ill. God. *n. 9.* secuntur.

Scotus.

17 *Conclusio probatur 1. ratione Scoti.*

Quæ sententia à nobis pro conclusione statuitur, & ratione Scoti probatur primo: quando voluntas vult aliquid propter duo motiva, quorum quodlibet per se sumptum sufficiens est ad prædictam volitionem, cessante vno motivo nõ cessat voluntas à volitione propter aliud motivum habita: ergo potiori iure quando voluntas vult aliquid propter duo motiva, quorũ vnum est principalius, & aliud minus principale, cessante motivo minus principali non cessabit voluntas à volitione. Antecedens est certũ; nam ob hanc rationem Sancti amantes Deum propter bonitatem suam amicabiliter, & propter propriũ cõmodum amore concupiscientiæ, cessante amore concupiscientiæ eiusque motivo, non cessat amor, quia manet motivum amicitiæ. Deinde quia alioquin quodlibet motivum per se sumptum sufficiens non esset ad volitionẽ, cuius oppositum supponitur in antecedenti. Consequentia infertur.

18 Atqui decretum præsens, circa Incarnationem, vel fuit habitum propter plura motiva, quorum quodlibet per se sumptum sufficiens est ad executionem decreti; vel propter vnum principaliter, & aliud minus principaliter: ergo cessante vno motivo, alioque manente, vel cessante minus principali, & principaliori manente, non cessaret executio decreti Incarnationis. Sussummo iterum. Tunc sic; sed peccatũ Adæ, vel fuit vnum motivum ex pluribus per se sufficientibus; vel fuit motivum minus principale Incarnationis: ergo cessante peccato Adami, stanteque alio motivo per se sufficienti, vel motivo principaliori, non cessaret executio decreti Incarnationis.

Hæc vltima sussumpta probatur quoad primam partem: plura sunt motiva decreti Incarnationis: ergo peccatum Adæ fuit vnum motivum ex pluribus per se sufficientibus. Antecedens est suppositum *num. 8. & 10.* admittiturque ab Ill. Godoy: vltra quod claret pluribus locis Scripturæ. Paulus namque ad Ephes. 1. sic ait: *Qui prædestinavit in adoptionem filiorum per Iesum-Christum* (hic est vnus finis) *in quo habemus Redemptionem* (hic est alius.) Deinde 1. ad Corinth. 2. *Prædestinavit ante sæcula in gloriam nostram.* Ecce aliũ motivum. Denique 1. ad Corinth. 4. *Christus nobis factus est sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & Redemptio,* vbi hæc omnia numerantur, vt distincta motiva Incarnationis: ergo plura sunt motiva decreti Incarnationis. 19

Sussumpta verò quoad secundam partem supposita manet *num. 10.* & probatur primo: inter ostensionem gloriæ Dei, & redemptionem hominis à peccato, excellentius, & principalius est primum; nam omnia propter semetipsum operatus est Deus: ergo Adæ peccatum fuit motivum minus principale Incarnationis. Probatur secundo: motivum principale decreti efficacis prædestinationis nostræ non fuit occasio peccati, sed ostensio gloriæ Dei, honestasque ipsius prædestinationis: ergo potiori iure principale motivum decreti Incarnationis non erit occasio peccati, sed gloria Dei, & excellentia misterij. 20

Hanc Scoti rationem non adducit Ill. Godoy; cæterum doctrina ab ipso tradita *n. 37. & 38.* respondebis pro ipso: verum esse principale motivum decreti Incarnationis fuisse gloriam Dei, & excellentiam misterij; cæterũ hoc motivum fuit ita connexum cũ redemptione, quod redemptione nõ 21 *Respõdebis pro Ill. Godoy.*

stante non staret efficatia decreti ergà motivum primum, sicque vi præsentis decreti non veniret Christus Adamo non peccante. Quod duplici confirmat paritate. Prima est: nam motivum principale prædestinationis hominum non est electio ad gratiam, sed intentio gloriæ; & tamen non salvatur efficatia decreti intentivi gloriæ, nisi posità electione ad gratiam: ergo similitèr: licèt motivũ principale decreti Incarnationis non fuerit redemptio hominis à peccato, sed gloria Dei, & excellentia misterij, non tamen salvabitur efficatia decreti gloriæ Dei, & excellentiæ misterij, nisi posita redemptione hominis a peccato. Secunda est: motivum principale Incarnationis non fuit creatio vniversi, & tamen vi præsentis decreti Christus non veniret, nisi creato vniverso: ergo paritèr.

Confirmatur duplici paritate.

22 *Contrà 1.*

Sed contra hanc responsionem insurgo primo: decretum efficax Incarnationis ob motivũ principale, scilicèt, ob manifestationem gloriæ Dei, nullã dicit necessaria connexionẽ, vel dependentia cũ futuro Adami peccato: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primo: dilonũ est, vt summũ bonũ dependeat a summo malo; sed Incarnatio est summũ bonũ, & peccatũ summũ malum: ergo, &c. Probatur secundo: prædestinatio Adæ non fuit connexa cũ peccato: ergo nec prędestinatio Christi. Probatur consequentia: prædestinatio Christi est bonũ nõ minus simplicitèr amatũ, ac prædestinatio Adæ; sed prædestinatio Adæ no fuit per te connexa cũ peccato: ergo nec Christi prædestinatio. Minor, & cosequentia tenent. Maior probatur: prædestinatio Christi non est minus excellentior prædestinatione Adæ; imò excellentior: ergo, &c.

23 *Contra 2. ad hominẽ contra Thomistas.*

Insurgo secundo contra prædictam responsionẽ ad hominẽ cum doctrina generali Thomistarum: prædestinatio hominũ non fuit connexa cum ruina Angelorũ: ergo nec Christi prædestinatio fuit connexa cũ ruina hominũ: ergo decretum efficax Incarnationis ob motivũ principale, scilicèt, ob manifestationẽ gloriæ Dei, nullam dicit necessariã connexionẽ, vel dependẽtiã cũ futuro Adami peccato, & consequentèr solutio est nulla. Probatur prima consequentia: ideò Thomistæ cum suo Doctore improbant opinionem asserentem: homines nullatenus esse prædestinatos, nisi dependenter à ruina Angelorũ, & ob reparationẽ talis ruinæ; quia iuxta istã opinionẽ nõ forẽt homines prędestinati ablata illa ruina, & sic prædestinatio hominũ esset bonũ volitũ occasione ruinę, quod nõ est asserendũ. ergo propter eandẽ rationẽ improbare debẽt suã opinionẽ de prædestinatione Christi dependenter necessario à ruina hominũ: ergo, &c. Consequentia patet: alioquin prædestinatio hominum esset bonum excellentius, quam Christi prædestinatio, quod non est dicendum.

Insurgo tertio etiam ad hominem cum doctrina inter Thomistas generali, & ipsius Ill. Godoy: intentio finis nunquam est essentialitèr connexa cũ medio aliquo, nisi in tali intentione sit saltim virtualitèr amatum illud medium; sed in intentione Incarnationis ob gloriam Dei non est virtualitèr amatum peccatum, vt de se claret: ergo nec essentialitèr connexa cum peccato: ergo ruit solutio Minor, & consequentia tenent. Maior probatur paritatibus adversariorum: ideò enim intentio gloriæ est connexa cum electione ad gratiam, & prædestinatio Christi cum creatione vniversi, quia in intentione gloriæ est virtualitèr volita gratia, & in prædestinatione Christi creatio vniversi. Ratio huius est: nam in intentione gloriæ voluit Deus dare gloriam, vt coronam, & præmium, sicque virtualitèr est volita gratia. Paritèr etiam cum Christus sit prædestinatus, vt caput totius vniversi, in prædestinatione Christi sunt virtualitèr volita mẽbra, scilicèt, vniversũ. Vera igitur est maior, videlicèt, intentio finis nunquã est essentialitèr connexa cum medio aliquo, nisi in tali intentione sit saltim virtualitèr amatum illud mediũ.

24 *Contra 3. ad hominẽ contra Ill. Godoy.*

Ex hoc manifestè apparet: paritates, quibus Ill. Godoy vtitur, non solvere Scoti rationem, quin potius sunt contra ipsum, quod claret ex impugnatione facta & ex disparitate sequenti: nam tam electio ad gratiam, quàm creatio vniversi sunt virtualitèr volita in intentione gloriæ, & prædestinatione Christi, ideoq; essen-

25 *Solutio ad paritates.*

tia-

taliter connexa; at in prædestinatione Christi non est virtualiter volitum peccatū, ideoque inconnexa, vt probatū manet *à n.* 22. & vltrà probatur.

26 *Contra 4. ad hominē etiam contra Ill. Godoy.*

Insurgo quarto ad hominem etiam contra Ill. Godoy: generatio hominū est inconnexa cum peccato Adami: ergo etiam est sic cum illo inconnexa incarnatio: ergo ruit solutio. Antecedens est D. Thom. 1. *part. quæst.* 89. *artic.* 1. asserentis: quod in statu innocentiæ esset generatio hominum pro multiplicatione generis humani. Consequentia vero probatur: ideo iuxta D. Thom. *cit.* generatio hominum est inconnexa cum peccato, quia alioquin aliquod peccatum hominis fuisset valde necessarium, ex quo bonum generis sequeretur, & propter quod gratias deberēt agere homines, quod est inconveniens; sed hoc idem sequitur ex connexione Incarnationis cum peccato, vt ex terminis appareat: ergo, &c.

27 *Contra 5. & etiam ad hominē.*

Insurgo quinto etiam ad hominē: Incarnatio non deforet, etiam si deforet peccatum Adæ: ergo non est cū peccato connexa. Probatur antecedens: ipsi namque Thomistæ ex libro August. *lib.* 1. *de nuptijs cap.* 21. docent: bona matrimonij non defectura, etsi peccatū deforet: ergo nec deforet Incarnatio, etsi peccatū non foret. Probatur consequentia: maius bonum, & maius Sacramentum est Incarnatio, quam matrimonium; sed per te bona matrimonij non deforent, etiam si peccatum deforet: ergo, &c.

28 *Aliæ duæ solutiones proponuntur.*

Per has ad hominem ex doctrina Thomistarum instantias, repulsæ manent aliæ duæ solutiones, quæ pro Ill. Godoy adduci possunt, ex doctrina, quam habet *à §. 6. vsque ad §. 10.* docet namq̄: quod efficatia decreti Incarnationis fuit connexa cū peccato per dependentiā causę exemplaris, & meritoriæ à causa quasi materiali, & tanquam finis *cuius gratia* dependet à fine *cui*. Repulsæ itaq̄ manent: nam vt cōstat ex dictis prędestinatio hominū nō fuit connexa cum ruina Angelorum, nec generatio, & bona matrimonij cū peccato Adami per dependentiā causæ exemplaris à causa quasi materiali, nec tanquam finis *cuius*, à fine *cui*, aut quomodocumq̄ explicetur prædicta dependentia: ergo nec Incarnatio est cum peccato connexa per talem dependentiā. Consequētia probatur: Incarnatio est excellentius bonū: ergo si prædestinatio hominū non fuit cōnexa cū ruina Angelorū, nec generatio, & bona matrimonij cum peccato Adami, per dependentiā causę exemplaris à causa quasi materialis, nec tāquā finis *cuius*, à fine *cui*, aut quomodocumque explicetur prædicta dependentia, nec Incarnatio est cum peccato connexa per talem dependentiam.

Impugnantur.

29 *Impugnantur contra alios Thomistas.*

Sed quia non desunt Thomistæ, qui his solutionibus vtentes teneāt, quod non stante peccato actuali veniret Christus vi præsentis decreti ob originale tantum. Contra ipsos prædictę solutiones refelluntur: res de se tàm sancta, vt est Incarnatio, non dicit tātā dependentiā cū peccato, quā peccatū cū peccato; sed peccatū originale non dicit prædictā dependentiā cū peccato actuali: ergo nec Incarnatio dicit talē cū peccato dependentiam. Consequentia est legitima. Maior patet ex eo, quod quāto aliquid ab alio magis dependet, tāto minus perfectū est. Minor est sententia plurium Thomistarū, inter quos Gonet in pręsenti.

§. III.

Alijs rationibus probatur conclusio.

30 *Prob. 2. cōclusio.*

SEcundo probatur nostra conclusio: si Christus non venisset, Adamo nō peccante, Incarnatio esset bonum occasionatum, sicut est pœnitentia, quæ non nisi occasione peccati amatur à Deo, non autem bonum ex primaria Dei intentione; consequens absurdum videtur: ergo falsa est sententia Ill. Godoy. Probatur sequela: nam ideò pœnitentia bonum occasionatum est, & non de primaria Dei intentione, quia non amatur, nec determinatur à Deo, nisi occasione sumpta à peccato: ergo si Incarnatio fuisset volita, & amata à Deo, sumpta occasione à peccato, bonum occasionatum esset, & non de primaria Dei intentione, quod summa illius dignitas & excellentia non patitur.

31 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *n.* 101. negando maiorem: nā pœnitentia idcirco est occasionatum bonum, quia non amatur, nec potest amari à Deo, nisi occasione sumpta ex peccato;

Christus autem, etsi de facto amatus, & decretus fuerit occasione peccati, potuit tamen nullo peccato prævisso amari, & decerni à Deo: vnde ex natura sua bonum occasionatum non est, sed ad summum dici poterit bonum occasionatum per accidens, quatenus Deus de facto illius existentiam decrevit, sumpta occasione à peccato.

32 *Instat probationem.* Deinde etiam instat contra nos probationem in Incarnatione quoad circunstantiam proximæ possibilitatis, quę etiam provt sic bonum occasionatum ab intrinsico non est, cum mortalitas, & corruptibilitas proxima sit rei corruptibilis passio, & proprietas, cum qua rei natura attenta, & secluſa gratia speciali creanda erat natura rationalis, & tamen de facto in nostra sententia Incarnatio quoad istam circunstantiam non nisi occasione peccati fuit volita, & in remedium illius ordinata: ergo quamvis Incarnatio quoad substantiam bonũ occasionatum ab intrinsico non sit, potuit amari de facto à Deo occasione peccati, & in illius remedium ordinari.

33 *Contra.* Sed contra: ergo licèt incarnatio ex natura sua non sit bonum occasionatum; de facto tamẽ vi præsentis decreti volita fuit per modum boni occasionati. Atqui inconveniens est, quod Deus voluerit per modum boni occasionati tam grande bonum, quale est Incarnatio: ergo dicendum est, quod vi præsentis decreti non fuit volita per modum boni occasionati: ergo vi præsentis decreti esset Incarnatio, peccato non stante. Neque instantia aliquid vrget; respondeo namque distinguendo maiorem: Incarnatio quoad circunstantiam proximæ passibilitatis intrinsicæ bonum occasionatum ab intrinsico non est concedo maiorem; quoad circunstantiam proximæ passibilitatis extrinsicæ nego maiorem; & distinguo minorem: & tamen de facto Incarnatio quoad circunstantiam proximæ passibilitatis extrinsicæ non nisi occasione peccati fuit volita, & in remedium illius ordinata concedo minorem; quoad circunstantiam proximæ passibilitatis intrinsicæ nego minorem, & consequentiam. Solutio claret ex dictis *num.* 9.

Instantia diluitur.

Probatur tertio conclusio: non minus completa esset hominis beatitudo vi præsentis decreti, Adamo non peccante; quam nunc illo peccante: ergo vi præsentis decreti facta esset Incarnatio Adamo non peccante. Antecedens patet: quia decretum beatitudinis Adæ nullam connexionem habuit cum peccato. Consequẽtia probatur: adhuc Adamo non peccante beatitudo eius complenda erat per exemplar beatitudinis Christi ex verbis Pauli relatis *num.* 19. & glorificandus erat Adamus per Christum, tanquam per caput glorificationis, & vt primum prædestinatum: ergo, &c.

34 *Prob. 3. cõclusio.*

Probatur quarto conclusio: quod est possibilis, & alioquin cedit in excellentiam Christi, Christo de facto conceditur; sed nullo existente peccato possibile est verbum incarnare ob excellentiam misterij, & alioquin Incarnatio cedit in excellentiã Christi: ergo Adamo non peccante Christus incarnaret. Maior debet concedi: nam hac ratione in varijs oppinionibus conceditur: Christum videre omnia possibilia; habere summam, & infinitam gratiam; merita eius, eiusque satisfactionem esse valoris simpliciter infiniti, & denique quidquid Christo negatur, vt intelligere intellectione increata, quia possibile non est, negatur. Vera igitur est maior. Minor pro prima parte constat eadem ratione, qua nunc possibilitas Incarnationis probatur. Pro secunda claret: nam humanitas per Incarnationem exaltaretur, sicut nunc de facto exaltatur. Consequentia infertur. Vltra quod probatur ad hominem contra Ill. Godoy, nam *tom.* 3. *disp.* 40. *num.* 59. hac eadem ratione probat, humanitatem Christi habuisse concursum physicum instrumentalem in effectus miraculosos.

35 *Probatur 4*

Respondebis primo pro Ill. Godoy distinguendo maiorem: quod est possibile, & cedit in excellentiã intrinsicã Christi, Christo de facto conceditur concedo maiorẽ; quod est possibile, & cedit in excellentiam extrinsecam Christi, Christo de facto conceditur nego maiorem; quomodo distinguet secundam partem minoris, negabitque consequentiam. Impugna-

36 *Respondebis pro Ill. Godoy.*

Impugnatur 1.

na-

natur solutio: ergo quod est possibile, & cedit in excellentiam intrinsicam Christi, Christo de facto conceditur. Atqui Verbum carnē assumere, peccato non existente, est possibile, & cedit in excellentiam intrinsicā Christi: ergo Christus veniret Adamo nō peccante. Probatur sussumpta: quod cedit in excellentiam misterij Incarnationis, cedit in excellentiam intrinsicam Christi: sed Verbum carnem assumere cedit in excellentiam misterij Incarnationis, vt probatū manet: ergo, &c.

Impugnatur secundo: ad hominem contra ipsum: quod est possibile, & cædit in excellentiam extrinsecam Christi, Christo de facto conceditur: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: humanitatem Christi physicè instrumentalitèr concurrere ad effectus miraculosos, est excellētia extrinseca Christi; sed hæc de facto Christo cōceditur ab ipso *proximè cit.* eo quod sit excellentia Christi: ergo, &c. Minor, & consequentia tenet. Maior autem constat: nam humanitas Christi physicè instrumentalitèr ad effectus miraculosos concurrit solum virtute Divina, quæ omnino extrinseca est humanitati.

37 *Respōdebis pro eodē 1.*

Propter hanc replicam respondebis secundo pro eodem aliter distinguendo maiorem: quod est possibile, & cedit in excellentiam Christi, supposito Christo, Christo conceditur concedo maiorem; Christo non supposito nego maiorem, & sub eadem distinctione distinguet minorem pro secunda parte, negabitque consequētiam. Hęc tamen solutio reijcitur primo: ideo quod est possibile, & cedit in excellentiam Christi, Christo supposito, conceditur de facto Christo, quia est possibile, & in eius cedit excellentiam; sed Verbum carnem assumere, Christo non supposito, est possibile, & cedit in excellētiam Christi; ergo Verbum carnē assumere, Christo non supposito, debet Christo cōcedi.

Impug. 1.

Impug. 2.

Reijcitur secundo: maior excellentia est humanitatis assumptio, quam quęcumque alia ad assumptionem secuta; sed quæcumque alia secuta de facto conceduntur Christo, Christo supposito, si possibilia sunt, & in eius excellentiam cedunt: ergo multo magis Incarnare debet Christo de facto cōcedi, adhuc Christo non supposito.

38 *Dices pro eodem.*

Dices pro Ill. Godoy esse magnam disparitatem: nam supposito Christo, datur exigentia ad quamcumque excellentiam, scilicèt, gratia vnionis; at ante Christi esse, seu ante Incarnationem non datur talis exigentia. Cōtra: ante Incarnationem, datur exigentia ad ipsam Incarnationem: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ipsa excellentia misterij, Divina liberalitas, se ad extra communicandi, ostensio Divinorum attributorum, & alia plurima exigunt Incarnationem: ergo ante Incarnationem datur exigentia ad ipsam Incarnationem.

Contra.

39 *Probatur 5 cōclus. destruendo fundam. Ill. Godoy.*

Probatur quinto conclusio destruēdo fundamentum Ill. God. qui *n.* 34. sic probat suam conclusionem: *Decretum Incarnationis solum per Scripturam nobis innotescit; sed ex Scriptura semper constat tale decretum esse saltim connexum cum Adami peccato: ergo vi præsentis decreti Christus non veniret Adamo non peccante.* Atqui hęc ratio multum probat: ergo nihil probat. Probatur minor: hæc ratio probat, de fide esse Christum non venturum, Adamo non peccante; sed hoc est multū probare; alioquin sententia opposita non esset probabilis: ergo ratio Ill. God. multum probat. Probatur maior: per te ex Scriptura semper constat, decretum Incarnationis esse saltim connexum cum Adami peccato; sed quod ex Scriptura semper cōstat, de fide est: ergo de fide est, quod Christus non veniret Adamo non peccante. Atqui hęc probat ratio prædicta: ergo prædicta ratio probat, de fide esse Christum non venturum Adamo non peccante.

40 *Probatur 6 ad hominē contra eundem.*

Probatur sexto conclusio ad hominem contra Ill. Godoy, & suppono doctrinam illius *disp. præs. §. 9. per totum*, scilicèt, quod remedium peccati, vel homo, vt redimendus, est solum finis effectus Incarnationis, seu finis *cui, & vtilitatis*, quatenus homini ex Incarnatione hæc vtilitas est secuta, nempe, remedium peccati. Sic Ill. God. *n.* 184. Quo supposito probatur conclusio: Incarnatio Verbi habet participationem absolutam Divinæ bonitatis, & non solum in altero, sicut accidentia in subiecto, nec ad alterum, sicut partes ad totum: ergo Incarnatio foret, quamvis peccatum non existeret, nec

homo esset ab illo redimendus. Antecedens est certũ, & patet ex eo, quod Incarnatio est bonum excellentissimum omnium quę Deus produxit ad extra, quod concedit Ill. God. *n.* 187. Consequentia probatur ex D. Thoma *in 2. dist. 1. quæst. 1. artic. 1. in corpore*, dicente: *& sic dicitur esse propter aliud omne id, ex quo provenit ei vtilitas, sed hoc comtingit dupliciter: aut ita, quod illud, ex quo provenit alicui vtilitas non habet participationem Divinæ bonitatis, nisi secundum ordinem eius, ad hoc, cui est vtile, sicut sunt partes ad totum, aut accidentia ad subiectum, quæ non habent esse absolutum, sed solum in altero, & talia non essent, aut fierent, nisi illud esset, cui ex eis provenit vtilitas: sed quædam sunt, quæ habent participationem Divinæ bonitatis absolutam, ex qua provenit aliqua vtilitas alicui rei, & talia essent, etiam si illud, cui ex eis provenit vtilitas, non foret, & per hunc modum dicitur, &c.* Atqui Incarnatio Verbi habet per te participationem Divinæ bonitatis absolutam, & non solum in altero, sicut accidentia in subiecto, nec ad alterũ, sicuti partes ad totum: ergo, &c.

Respondet Ill. Godoy.

Respondet Ill. Godoy *num.* 187. D. Thomam ibi loqui de creaturis ad ordinem naturæ spectantibus; quæ cum exigantur propter se à natura, quãdo absolutam participant Dei similitudinem, & non in altero, vel ad alterum, essent, quamvis non existerent, illa, quorum vtilitati deserviunt; Incarnatio autem cum sit suprà exigentiam, & debitum naturæ, non foret, si non esset homo redimendus, cui vtilitas redemptionis proveniret ex illa; quia non nisi vt inferens homini prædictã vtilitatem, illamque causans fuit de facto volita, & amata à Deo, ideoque etsi absolutam, & perfectissimam Dei similitudinem participet, non foret, si peccatum non esset, & homo redimendus ab illo.

Impugnatur.

Hæc tamen solutio validissimè (meo videri) impugnatur: de Divinis decretis semper discurrendum, & Theologizandum est consentaneè ad naturas rerum, nisi oppositum sit revelatum; sed decretum de existentia creaturarum participantium absolutam Dei similitudinem infert existentiam illarum, quamvis non existerent illa, quorum vtilitati deserviunt: ergo sic discurrendum est de decreto Incarnationis; cum oppositum non sit revelatum; alioquin de fide esset, Incarnationem non fore, peccato non existente. Maior est Ill. Godoy *num.* 122. vbi illam expræsse habet, illamque probat, & per illam convincit: Christum quoad substantiam Incarnationis fuisse ordine intentionis prius volitũ, quam permissio peccati. Minor est ipsius responsio. Consequetia est legitima.

Sustummo nunc contra ipsum: atqui Incarnatio Verbi habet participationem absolutam bonitatis Divinæ; cum sit excellentissimum bonum, quod Deus ad extra produxit: ergo decretum de existentia Incarnationis Verbi infert existentiam Incarnationis, quamvis non existerent illa, quorum vtilitati deservit: ergo quamvis peccatum non existeret, nec redimẽdus esset homo, cuius vtilitati deservit Incarnatio iuxtà Ill. Godoy, Incarnatio foret. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima verò ex sustumpta. Sustumpta autem est Ill. Godoy in responsione.

41 *Probatur 7. conclusio.*

Probatur septimo conclusio contra alios Thomistas paritate ex illorum doctrina deducta: magis dependet peccatum originale ab actualibus, quam Incarnatio à peccato Adami; sed iuxta plures Thomistas, inter quos Gonet, non stantibus peccatis actualibus, vi præsentis decreti veniret Christus passibilis ob originale solum: ergo potiori iure non stante peccato Adami veniret Christus vi præsentis decreti. Minor, & consequentia tenent. Maior probatur primo: quia peccatum originale fuit radix, fons, & quasi prima causa actualium; sed mistcrium Incarnationis non est causa, vel origo peccati originalis: ergo, &c. Secundo: causa saltim à posteriori dependet ab effectu; sed originale est causa actualium; Incarnatio vero non est causa originalis: ergo, &c.

Probatur 8. conclusio.

Probatur denique conclusio contra omnes Thomistas: potiori ratione dicendum est, peccata actualia integrare simul cum originali vnum obiectum motivum, quam peccatũ originale cum excellentia misterij; sed hoc non obstante, peccatis actualibus non stantibus, veniret Christus passibilis ob originale solum vi præsentis

de-

decreti: ergo peccato originali non stante, staret misterium Incarnationis vi præsentis decreti: ergo vi præsentis decreti Christus veniret, Adamo non peccante. Probatur maior: peccata actualia fuerunt simul cum originali prævisa antecedentèr ad decretum Incarnationis passibilis; sed peccatum originale non fuit prævisum antecedentèr ad decretum Incarnationis, vt tenent plures Thomistæ: ergo, &c.

§. IV.

Argumentum Ill. Godoy ex Patribus deductum, solvitur.

42 *Arguit ex Patrum authoritate.*

AVthoritate Patrum arguit sic Ill. Godoy *num.* 11. Patres expræsè affirmant, Christum non venturum Adamo non peccante. Ita D. August. *in Psalm.* 36. *Concione* 2. ad illa verba: *A Domino gressus hominis dirigentur*, vbi sic ait: *Si tu, ô homo non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Serm. 8. de verbis Apost. super illud: *Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*, sic habet. *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Et ad Thimot. ad illa verba: *Christus Iesus venit peccatores salvos facere*, glossa Augustini sic dicit: *Nulla causa fuit Christo Domino veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ.* Id ipsum expræsis verbis testantur Hirenæus *lib.* 5. *adversus Hæreses capit.* 14. Athanasius *Serm.* 3. *contra Arrianos column.* 212. Leo Magnus *Serm.* 3. *in Penthecost.* Cyrillus *lib.* 5. *de Trinit. ante medium, & super Ioann. lib.* 2. *cap.* 3. Gregorius Magnus *in* 4. *Regum cap.* 1. quorum verba adducit Bazquez *disput.* 10. *cap.* 4. ergo ex mente Patrũ Verbum carnẽ non assumeret Adamo nõ peccãte.

43 *Retorqueo argum.*

Hoc argumentum, quod ex Patribus contra nos facit Ill. Godoy, ipse solvere tenetur, & ad Patres explicandos cogitur. Undè retorqueo argumentum contra ipsum: August. expræsè affirmat: remedium peccati fuisse vnicum motivũ Incarnationis: ergo præter remedium peccati non fuit aliud motivum ad Incarnandum. Antecedens est expræssum in verbis Augustini in argumento relatis, scilicèt, *Nulla causa fuit Christo Domino veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ.* Consequentia est contra Ill. Godoy admittentem alia motiva primaria, & principaliora, etsi cũ peccato cõnexa. Tenetur ergo D. Augustinũ explicare.

44 *Respondeo directè 1.*

Directè autem respondeo primo ad argumentum: Patres relatos in argumento (& sic de alijs eodem modo loquentibus) loqui de Incarnatione secundum decretum secundum, si ponantur duo; vel secundum decretum circunstantionatum, & modificatum modo passibilitatis; vel secundum decretum Incarnationis, vt in executione posita est; non verò loqui de primo decreto; vel de decreto non circunstantionato; vel de decreto Incarnationis quo ad substantiã, vt sequenda foret vi decreti ob gloriam Dei, & excellentiam misterij, non existente peccato. Cõsonat solutio cũ dict. *n.* 16.

45 *Ratio solutionis.*

Ratio autem, quare P. P. sic loquantur, est multiplex. Prima est: quia loquntur de Incarnatione, vt pertinet ad fidem, quo modo ordinata est in remedium peccati. Secunda est: quia iuxta intentum Patrum non erat necessarium distinguere subsantiam Incarnationis à modo, quia Patres respiciunt factum, & cum Incarnatio facta sit cum modo redemptionis, ideò iuxta factum de illa locuntur. Tertia est: quia P. P. loquntur communitèr iuxta vtilitatem nostram, & quia redemptio vtilior est hominibus, vt concipiant peccati gravitatem, & Dei misericordiam; ideò de modo, quo Christus venit, locuntur; non verò de modo, quo venisset, non stante peccato. Quarta est: quia P. P. sicuti Scriptura, sæpè primarium finem non explicant, sed solum secundarium. Constat hoc *in* 1. *Reg. cap.* 16. vbi dicitur: *Dominus præcepit Samuelì, vt iret in Bethel, & vngeret David in Regem. Respondet Samuel: quomodo vadam; audiet enim Saul, & interficiet. Et ait Dominus: vitulo de armento tolles, & dices: ad immolandum Deo veni.* Ecce duo motiva itineris Samuelis. Primum vngere David, & hoc tacet. Secundum immolare Deo, & hoc explicat.

46 *Respondeo 2.*

Hanc solutionem non adducit Ill. Godoy, & licèt per illam sufficientèr manebat argumentum solutum; solutionem communem Scotistarum demus, vt replicas ab ipso factas solvamus, & ad hominem contra ipsum retorqueamus. Respondeo itaque secũ-

do:

do: allegatos Patres loqui de adventu Christi in carne mortali, proximèque passibili, & sic verũ est, Christum non venturum, Adamo non peccante: si namque Adamus non peccaret, Christus vt Redemptor non veniret, & consequentèr, etsi carnem assumeret, non tamen passibilem proximè, eo quod finis assumendi carnem in statu proximæ passibilitatis, & mortalitatis fuit hominem à peccato redimere: qui finis, Adamo non peccante, cessaret; ac proindè Verbum carnem proximè passibilem non assumeret; non autem prædictos P. P. aliosque rem hanc tractantes, negare, quod veniret Christus in carne impassibili, & immortali, Adamo non peccãte, qualitèr venturum sententia nostra affirmat, ac proindè contra illam argumentum ex Patribus sumptum non vrget. Quod autem Augustinus loquatur de adventu Christi in carne mortali, & proximè passibili, clare constat ex verbis ipsius, ait enim: *Tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causæ medicinæ*: ergo loquitur de Incarnatione, vt medicina peccati: ergo de Christo in carne passibili.

§. V.

Occurritur duplici replicæ Ill. Godoy.

47 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

COntra hanc solutionem replicat primo ex Uasquio Ill. Godoy *n.* 13. id enim, quod potest fieri duobus modis, ex eo solũ, quod vno modo non fiat, non dicitur verè absolutè non fieri, sed solum non fieri tali modo, cum absoluta negatio omnẽ modum excludat; sed locutio Patrum negantium, venturum Christum, Adamo non peccante, non est limitata ad vnum modum adventus, sed absoluta; non enim dicunt, non venturum, vel carnem non sumpturum hoc, vel illo determinato modo, sed absolutè docent, non venturum, non sumpturum carnem, non esse fiendum hominem, Adamo non peccante, vt constat ex verbis relatis ex D. Augustino: ergo si Adamo nõ peccante, Christus adhuc veniret, licet in carne impassibili, quãvis carnem passibilem non assumeret, falsa esset Patrum locutio asserentium absolutè, Christum non venturum, Adamo non peccante.

48 *Respondeo 1.*

Respondeo primo negando maiorem: quia quando aliquid potest fieri duobus modis; absolutè potest dici non fieri, eo præcisè, quod non fiat vno modo, licèt altero modo fiat, præcipuè cum non vrget necessitas alterum modum faciendi. Hoc claret ex illo Ioannis 9. vbi ait Christus: *Vos ascendite ad diem festum, ego non ascendam*, & tamen constat ex Evangelio, Christũ ascendisse, non tamen manifestè, sed occultè. Ecce locutionem Christi negativam absolutam: *non ascendam*, verificatam ex eo, quod manifestè non ascenderit, etsi ascenderit occultè, eo præcisè, quod his duobus modis possit ascendere: similitèr ergo de locutione negativa Augustini, quia Incarnatio poterat fieri duobus modis, scilicèt, in carne passibili, & impassibili.

49 *Respondeo 2.*

Respondeo secundo negando maiorem, ob rationem datam, & distinguo probationem imbibitam: absoluta negatio sine explicatione omnem modum excludit concedo; cum explicatione nego; & distinguo minorem: locutio Patrum negantium venturum Christum, Adamo non peccante, est absoluta cum explicatione concedo minorem; sine explicatione nego minorem, & consequentiam. Cum ergo evidentèr cognoscatur, Patres loqui de adventu Christi in carne mortali, vt constat ex verbis Augustini relatis, negant absolutè Christum venturum cum hac explicatione.

50 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices pro Ill. Godoy: de natura negationis est totum destruere: ergo cũ negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio. Atqui Augustinus absolutè negat, Christum venturum, Adamo nõ peccante: ergo cum hac negatione non verè componitur aliqua affirmatio adventus Christi: ergo nullo modo Christus veniret, Adamo non peccante. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: quando ex antecedentibus, vel subsequentibus, vel ex alio capite non constat mens proferentis propositionem negativam cõcedo antecedens; quando constat nego antecedens, & consequentiam. Cũ igitur in nostro casu evidentèr cognoscatur, Augustinum loqui de adventu Christi in carne passibili; ideò optimè locutio negativa illius iuxta hunc sensum explicatur.

His

His itaque solutionibus ad replicã Ill. Godoy assignatis, nunc replicam contra ipsum primo retorqueo: Augustinus absolutè negat, esse aliud motivum Incarnationis prætèr remediũ peccati; sed cum negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio: ergo cum absoluta negatione Augustini non verè componitur aliqua affirmatio alterius motivi prætèr remediũ peccati. Consequentia est contra Ill. Godoy admittentem alia motiva prætèr remedium, etsi cum peccato connexa. Minor est ipsius in replica. Maior est expressa Augustini verbis iam relatis, scilicèt, *Nulla causa fuit Domino Christo veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ.*

51 *Retorqueo replicam 1. ad hominẽ contra Ill. Godoy.*

Retorqueo secundo contra eundẽ: id enim, quod potest fieri duobus modis, ex eo solum, quod vno modo non fiat, non dicitur verè absolutè non fieri, sed solum non fieri tali modo: cum absoluta negatio omnem modum excludat; sed locutio Christi negantis se ascensurum ad diem festum no est limitata ad vnum modum ascensus, sed absoluta; non enim dicit, nõ ascensurum hoc, vel illo modo determinato, sed absolutè dicit, se non ascensurum, vt constat ex verbis Ioannis relatis *n.* 48. ergo si Christus ascendisset, licèt occultè, quamvis manifestè non ascẽderet, falsa esset Christi locutio asserentis absolutè, se nõ ascensurum. Retorsio facta est ad litteram replicæ Ill. Godoy. Sussummo nunc: atquí hoc est contra fidem, vt constat ex Evangelio Ioannis *cit.* ergo fidem fatendo falsa est maior replicæ suprà dictæ, quam ex Vasquio tradit Ill. Godoy.

52 *Retorqueo 2. ad hominem contra eundem.*

Retorqueo tertiò ad hominem cõtra Ill. Godoy: Scriptura absolutè affirmat: Deum esse incomprehensibilẽ: ergo à nullo intellectu etiam Divino, Deus est comprehensibilis. Atquí hoc est contra omnes Catholicos: ergo ex eo, quod Patres absolutè negẽt, Christum venturum, Adamo non peccãte, non infertur: Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens claret ex pluribus locis Scripturæ, pro quibus sufficiat illud Hieremiæ *cap.* 32. *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Imo conceditur ab Ill. God. *tom.* 1. *in* 1. *p. disp.* 25. *n.* 18. Consequentia verò probatur; hoc ipso, quod Scriptura affirmet absolutè: Deum esse incomprehensibilẽ, à nullo intellectu comprehendi valet; sed per te Scriptura absolutè affirmat: Deum esse incomprehensibilem: ergo à nullo intellectu etiam Divino, Deus est comprehensibilis. Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Christum venturum, Adamo non peccante, infert Ill. Godoy: nullo modo Christum venturum, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur cõsequentia: ideò ex eo, quod Patres absolutè negent: Christum venturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. nullo modo Christum venturũ, Adamo non peccante, quia cum negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio; atqui cum affimatione absoluta non verè componitur aliqua negatio: ergo, &c.

53 *Retorqueo 3. etiam ad hominem.*

Ex hoc apparet clarè falsitas replicæ Ill. God. vndè sicut ipse *tom. disput. & num. cit* respondet: Scripturam absolutè affirmare: Deum esse incomprehensibilem, esse ad declarandum elevationẽ, & excessum Dei ad creaturas, quin absoluta affirmatio obstet, vt Deus sit à se comprehensibilis; ita nos dicere possumus: Patres absolutè negare: Christum venturum, Adamo non peccante, ad declarandum excessum remedij à Deo pro peccato applicati; quin absoluta negatio obstet, vt Christus veniret, Adamo nõ peccãte.

54

Retorqueo quarto ad hominem contra Ill. God. D. Thomas absolutè affirmat: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se: ergo nullo modo potest non esse per se. Atqui hoc est contra D. Thom. & Ill. God. ergo ex eo, quod Patres absolutè negent, Christũ venturum, Adamo non peccante, non infertur, nullo modo Christum venturum, Adamo non peccante. Hæc consequentia est legitima. Sussumpta patet: nam D. Thom. asserere: prædictam propositionem non esse per se, ostensum manet *tom.* 3. *in* 1. *sent. disput.* 76. *n.* 32. & 38. quod fatetur Ill. God. *tom.* 3. *in* 1. *p. eadem disput.* 76. *num.* 24. asserens: prædictam propositionẽ non esse per se perfeitate constitutionis, quod est aliquomodo non esse per se. Antecedens est ipsius Ill. God. *tom. cit.*

55 *Retorqueo 4. ad hominem etiam contra ipsũ*

dis-

disput. 77. num. 5. vbi pro probatione suæ conclusionis adducit hæc verba D. Thomæ: *Vndè sicut est per se ista: Pater est Deus; ita est ista: Deus est Pater, & nullo modo per accidens*, quòd est omninò absolutè asserere: hanc propositionem: *Deus est Pater*, esse per se.

56 *Prob. consequentia.* Consequentia verò probatur: hoc ipsò, quod D. Thom. iuxta Ill. God. absolutè affirmet: hanc propositionē: *Deus est Pater*, esse per se; nullo modo potest non esse per se; sed D. Thom. iuxtà Ill. God. absolutè affirmat: prædictam propositionem esse per se: ergo nullo modo potest non esse per se. Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent: Christum venturum, Adamo non peccante, infert Ill. Godoy, nullo modo Christum venturum, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur consequentia: ideò ex eo, quod Patres absolutè negēt: Christum venturum Adamo non peccante, infert Ill. God. nullo modo Christum venturum, Adamo nō peccante, quia cum negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio; atqui cum affirmatione absoluta non verè componitur aliqua negatio: ergo, &c.

57 Ex hac etiam retorsione manifestè apparet falsitas replicæ ab Ill. Godoy contra nos factæ. Vndè sicut ipse *tom. cit. disput. 76. num* 24. respondet explicando D. Thom. & asserendo: hanc propositionem: *Deus est Pater*, non esse per se perfeitate constitutionis, quod est aliquomodo non esse per se; quin contra hoc obstet absoluta affirmatio D. Thomæ; ita nobis licere debet respondere: Patres loqui de adventu Christi in carne passibili; nō verò impassibili, quod est hoc modo venire, Adamo non peccante, quin contra hoc obstet absoluta Patrum negatio.

58 *Retorqueo 5. ad hominem contra Ill. Godoy.* Retorqueo quinto ad hominem etiam contra ipsum: D. Thom. absolutè affirmat: quod Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbū: ergo absolutè dicendum est, quod Verbum procedit per se ex cognitione futurorum. Atqui hoc est contra Ill. Godoy: ergo ex eo, quod Patres absolutè negent, Christū venturum, Adamo non peccante, non infertur, Christum nullo modo venire, Adamo non peccante. Hæc consequentia est evidens. Sussumpta patet: nam *tom. 3. in 1. part. disp. 91. num. 2.* hanc ponit conclusionem: *Verbum Divinum, quoad suam intrinsicam entitatem non procedit per se ex cognitione libera futurorum, & consequenter absolutè dicendum est, non procedere ex illa.* Antecedens est certum; nam D. Thom. *in 1. part. quæst. 34. artic. 1. ad 3.* hæc habet: *Sic ergo vni soli personæ convenit, eo modo, quo dicitur Verbum, eo verò modo, quo dicitur res intellecta in Verbo, cuilibet personæ convenit dici, Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius in scientia continentur, concipit Verbum, & sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Quę verba adducit Ill. God. *tom. 3. in 1. part. disp. 89. n. 36* ad probandum ex Doctore Angelico: Verbum Divinū procedere per se ex cognitione Spiritus Sancti, ex ipsisque constat, D. Thom. absolutè affirmare: quod Pater intelligēdo omnes creaturas cōcipit Verbū, quod est suprà positū antecedens.

59 *Consequentia probatur.* Consequentia verò probatur. hoc ipso, quod D. Thom. absolutè affirmet, quod Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum, absolutè dicendum est, quod Verbum procedat per se ex cognitione futurorum; sed iuxtà Ill. God. D. Thom. absolutè affirmat: quod Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum: ergo absolutè dicendum est, quod Verbum procedit per se ex cognitione futurorum. Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Christū venturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. Christum nullo modo venire, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur consequentia: ideò ex eo, quod Patres absolutè negent, Christū venturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. Christum nullo modo venire, Adamo non peccante, quia cū negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio; atqui cum affirmatione absoluta non verè componitur aliqua negatio; ita enim opponitur aliqua negatio cum affirmatione absoluta, ac aliqua affirmatio cum absoluta negatione: ergo, &c.

60 *Retorqueo 6. ad hominem etiam.* Retorqueo sexto ad hominem etiā contra ipsum: Concilia, & Patres absolutè negant: Spiritum Sanctum per se petere procedere à duabus personis: ergo nullo modo potest Spiritus Sanctus per se petere procedere à dua

bus personis. Atqui hoc est contra Ill. God. *tom. 3. in 1. part. disp. 93. num. 3.* ergo ex eo, quod Patres absolutè negent, Christum venturum, Adamo nō peccante, non infertur, Christum nullo modo venturum, Adamo nō peccante. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens constat ex dictis *tom. 3. in 1. sent. disput. 93. num. 5.* Consequentia verò probatur: hoc ipso, quod Patres, & Concilia absolutè negent, Spiritum Sanctum per se petere procedere à duabus personis, nullo modo potest Spiritus Sanctus per se petere procedere à duabus personis; sed iuxta concessa, & veritatem Concilia, & Patres absolutè negant: Spiritum Sanctū per se petere procedere à duabus personis: ergo nullo modo potest Spiritus Sanctus per se petere procedere à duabus personis.

Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Christum venturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. Christum nullo modo venturū, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur consequentia: ideò ex eo, quod Patres absolutè negent, Christum vēturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante, quia cū negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio; atqui iuxtà concessa Concilia, & Patres absolutè negant, Spiritum Sanctum per se petere procedere à duabus personis: ergo hoc suppositō nullo modo potest per se sic procedere.

61 *Retorqueo 7. etiam ad hominem.* Retorqueo septimo ad hominem etiam contra ipsum: Patres absolutè negant: Deum esse nobis debitorem: ergo Dei ad creaturam nullo modo est debitum: ergo Dei ad creaturam nullo modo est iustitia. Atqui hoc est contra Ill. God. *disp. anteced. num. 4.* ergo ex eo, quod Patres absolutè negent: Christum venturum, Adamo nō peccante, non infertur, Christum nullo modo venturū, Adamo non peccante. Sussumpta cum consequentia tenet. Antecedens constat ex pluribus Patrū authoritatibus, quas retulimus *disput. anteced. num. 67. & 68.* Secunda consequentia ex prima infertur; nam vbi nullo modo est debitum, nullo modo est iustitia. Prima autem probatur: hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Deum esse nobis debitorem, nullo modo Dei ad creaturā esse potest debitum; sed iuxtà concessa Patres absolutè negant, Deum esse nobis debitorem: ergo Dei ad creaturam nullo modo est debitum.

Probatur maior: hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Christum venturum, Adamo non peccante, infert Ill. God. Christum nullo modo venturū, Adamo non peccante: ergo, &c. Probatur consequentia: ideo hoc ipso, quod Patres absolutè negent, Christū venturum, Adamo non peccante, infert Ill. Godoy, Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante, quia cum negatione absoluta non vere componitur aliqua affirmatio; sed iuxtà concessa Patres absolutè negant, Deum esse nobis debitorē: ergo, &c.

62 *Replicat 2. Ill. Godoy.* Replicat secundo Ill. God. *num. 14.* contra suprà datam solutionem: nam ista propositio: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*, contradictoriè opponitur huic: *Si non haberet caro salvari, Verbum Dei aliquo modo caro factum esset*; sed primam propositionem habet expressè Hirineus *lib. 5. adversus hæres. cap. 14.* & secundam propositionem docet Scotus, nam assumere carnem impassibilem, est aliquomodo carnem fieri: ergo Scotus contradictoriè opponitur Hirineo. Maior probatur: nam idem est, Verbū nequaquā carnem fieri, ac nullo modo fieri carnem; sed Verbum nullo modo fieri carnem, & Verbum aliquomodo carnem fieri, contradictoriè opponuntur, vt ex ipsis terminis constat: ergo, &c.

63 *Respondeo.* Respondeo ad replicam distinguēdo maiorem: ista propositio: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbū Dei caro factum esset*, opponitur contradictoriè huic: *Si non haberet caro salvari, Verbum Dei aliquo modo caro factum esset*, propositionibus cōsideratis respectu eiusdem secundum eundē modum concedo maiorem; secundum diversum modū nego maiorem; distinguo vtrāque minorem: primam habet Hirineus, loquendo de adventu Christi in carne mortali; & secundam Scotus, loquendo de adventu Christi in carne immortali concedo minorē; Scotus loquendo de adventu Christi in carne mortali nego minorem, & cō-

se-

sequentiam; quia vt Scotus contradictorie opponeretur Hirineo, debebat loqui de adventu Christi in carne possibili, quomodo Hirineus loquitur.

64 *Retorqueo repliçam 1 ad hominẽ contra Ill. Godoy.*

Soluta hac secunda replica Ill. God. contra ipsum illam retorqueo primo; nam ista propositio: *Ego non ascendam ad diem festum*, contradictorie opponitur huic: *Ego ascendam ad diẽ festum*; sed primam expræsè protulit Christus; secundam autem narrat Evangelista; testatur namque, Christũ occultè ascendisse ad diem festum: ergo Evangelista contradictorie opponitur locutioni Christi. Maior probatur: nam idem est, Christum non ascendere ad diem festum, ac nullo modo ascendere; sed Christum nullo modo ascendere ad diem festũ, & aliquo modo ascendere ad diẽ festũ cotradictorie opponũtur; vt ex ipsis terminis constat: ergo, &c.

65 *Retorqueo 2. ad hominem contra ipsum.*

Retorqueo secundo ad hominem contra Ill. God. ista propositio: *Remedium peccati fuit vnicum motivum Incarnationis*, contradictorie opponitur huic: *Remedium peccati non fuit vnicum motivum Incarnationis*; sed primam expræsè tradit Augustinus, cuius verba retulimus *num.* 51. secundam autem docet Ill. God. admittens alia motiva Incarnationis, etsi cum peccato connexa: ergo Ill. God. sententia contradictorie opponitur menti D. Augustini. Maior probatur: nam idem est: remedium peccati fuisse vnicũ motivum Incarnationis, ac nullum aliud motivum Incarnationis esse præter remedium peccati; sed nullũ aliud motivum Incarnationis esse præter remediũ peccati, & aliud esse motivum Incarnationis præter remedium peccati, contradictorie opponuntur: ergo, &c.

66 *Retorqueo 3. ad hominem contra eundem.*

Retorqueo tertio etiam ad hominẽ contra ipsum: ista propositio: *Deus est incomprehensibilis*, contradictorie opponitur huic: *Deus est comprehensibilis*; sed primam expræsè tradit Scripturæ, ex dictis *num.* 53. secundam docet Ill. Godoy; nam Deum esse à se comprehensibilem, est aliquomodo comprehensibilem esse: ergo Ill. God. contradictorie opponitur Scripturæ. Maior probatur: nam idem est, Deum esse incomprehensibilem, ac à nullo intellectu esse comprehensibilem; sed Deum à nullo intellectu esse comprehensibilem, & ab aliquo intellectu comprehensibilem esse, contradictorie opponuntur: ergo, &c.

67 *Retorqueo 4. etiam ad hominem.*

Retorqueo quarto ad hominem etiam contra ipsum: ista propositio: *Deus est Pater, est propositio per se*, contradictorie opponitur huic: *Deus est Pater, non est propositio per se*; sed primam expræsè tradit D. Thom. *cit. num.* 55. secundam docet Ill. Godoy *cit. eod. numer.* 55. ergo Ill. Godoy contradictorie opponitur menti D. Thomæ. Maior probatur: nam idem est: hanc propositionem: *Deus est Pater, esse propositionem per se*, ac nullo modo non esse per se; sed hanc propositionem: *Deus est Pater*, nullo modo non esse per se, & aliquomodo non esse per se, contradictorie opponuntur; ergo, &c.

68 *Retorqueo 5. ad hominem contra illum.*

Retorqueo quinto etiam ad hominem contra ipsum: ista propositio: *Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum*, contradictorie opponitur huic: *Pater aliquam creaturam non intelligendo concipit Verbum*; sed primam expræsè tradit D. Thomas *cit. num.* 58. secundam docet Ill. God. *eod. num. relatus*: ergo contradictorie opponitur menti D. Thomæ. Maior probatur: nam idẽ est: Patrem intelligendo omnes creaturas concipere Verbũ, ac nulla creatura non intellecta concipere Verbũ; sed Patrem nulla creatura non intellecta concipere Verbum, & Patrem aliquam creaturam non intelligendo concipere Verbum contradictorie opponuntur: ergo, &c.

69 *Retorqueo 6. etiam ad hominem.*

Retorqueo sexto etiam ad hominẽ contra ipsum: ista propositio: *Spiritus Sanctus non petit per se procedere à duobus personis*, contradictorie opponitur huic: *Spiritus Sanctus petit per se procedere à duabus personis*; sed primam expræsè tradunt Concilia, & Patres, vt constat ex dictis *n.* 60. secundam autẽ docet Ill. Godoy *eod. num relatus*: ergo contradictorie opponitur Concilijs, & Patribus. Maior probatur: nam idẽ est: Spiritum Sanctum non petere per se à duabus personis procedere, ac nullo modo petere per se procedere à duabus personis; sed Spiritum Sanctum nullo modo petere per se à duabus personis procedere, & Spiritum Sanctum aliquomodo petere per se procedere à duabus personis contradictorie opponuntur: ergo, &c.

70

Retorqueo septimo etiam ad homi-

Retorqueo 7. ad hominem contra Ill. Godoy.

nem contra ipsum: ista propositio: *Deus non est nobis debitor* contradictoriè opponitur huic: *Deus est nobis debitor*; sed primam expresè tradunt Patres, vt claret ex dictis *n.* 61. secundam autē docet Ill. Godoy eodē *n. cit.* ergo Ill. Godoy cōtradictoriè opponitur mēti Patrum. Maior probatur: nam idem est: Deū non esse nobis debitorem, ac Deū nullo modo esse nobis debitorem; sed Deum nullo modo esse nobis debitorem, & Deum esse nobis debitorem contradictoriè opponuntur: ergo, &c.

71 *Retorqueo 8. cōtra omnes Thomistas.*

Retorqueo deniq; generaliter contra omnes Thomistas: ista propositio: *Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectā, in qua nulla ratio egressionis importatur*, contradictoriè opponitur huic: *Intelligere importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importatur*; sed primā tradit expresè D. Thom. 1. *part. quæst.* 34 *artic.* 1. *ad* 3. secundam verò docent generaliter omnes Thomistę: ergo omnes Thomistæ contradictoriè opponuntur menti D. Thomæ. Probatur maior: nam ità contradicitur nulla ratio egressionis, & aliqua ratio egressionis; ac nullo modo fieri carnem, & aliquo modo carnē fieri; sed ista propositio: *Verbū nullo modo fieri carnem* contradictoriè opponitur huic: *Verbum aliquo modo carnem fieri*: ergo etiam illæ propositiones opponuntur contradictoriè.

72 *Respondebunt.*

Ad hanc retorsionem respondebunt omnes Thomistæ: illam propositionem D. Thomæ explicatam esse secundum modum explicitum intelligendi; non verò secundum conceptum operationis vitalis, in quo ratio egressionis essentialiter reperitur; & sic benè compatitur propositio particularis affirmativa cum illa vniversali negativa D. Thomæ; quia iuxta illos duos modos inclusos in intelligere potest explicari. Libenter solutionem admitto, & vt ab Ill. God. traditam illam inspicio. Sed videat, quęso, suam doctrinam de natura negationis ex authoritate vniversali negativa deductam, & in ipsa reperiet doctrinam nostram de explicatione authoritatis negativæ Sanctorum, siquidem in Incarnatione reperiuntur plura motiva, & plures modi, iuxta quos possunt benè explicari negativæ locutiones Patrū, vt ipse explicare tenetur ad omnes nostras retorsiones.

Contra.

§. VI.

Duplex alia replica Ill. Godoy declaratur, & solvitur.

73 *Replicat 3.*

REplicat tertio *n.* 15. contra nostram suprà datam solutionem: nam sequitur ex illa, posse istam propositionem absolutè concedi: *Verbum Dei non est factum caro*: consequens absurdum, & hæreticum est, vtpotè contra illud Ioann. *cap.* 1. *Verbum caro factū est, & habitavit in nobis*: ergo solutio tradita sustineri nō potest. Probatur sequela manifestè: quia namque, Adamo non peccante, Deus non assumeret carnem proximè passibilem, est vera iuxta nos ista propositio Patrū: *Verbum non assumeret carnem, Adamo non peccante*, etiam si in prædicta hypotesi carnem impassibilem, immortalem, & gloriosam assumeret; sed de facto, etsi assumpserit carnem passibilem; non tamen assumpsit illam cum modo impassibilitatis: ergo vera erit absolutè hæc propositio: *Verbum Dei non est factum caro, Deus non est factus homo*, poteritque Catholicè dici, Verbum carnem nō assumpsit, contra id, quod fide Catholica credimus ex Ioann. *cit.*

Patet consequentia: si namque Incarnationem non esse vno modo futuram, videlicèt, in carne passibili, Adamo non peccante, sufficit, vt absolutè non futura dicatur, peccato Adami non existente, etiam si in hac hypotesi alio modo esset futura, scilicèt, in carne impassibili, non est cur Incarnationem vno modo factam nō fuisse, non sufficiat, vt absolutè non facta dicatur, etiā si alio modo effecta fuerit; sed Incarnatio Verbi vno modo ex possibilibus facta non fuit, scilicèt, in carne impassibili: ergo licèt alio modo facta fuerit, videlicèt, in carne passibili, & mortali, poterit absolutè dici nō facta, & consequentèr, si vera est nostra solutio, poterunt istæ propositiones absolutè concedi: *Verbum non est factum caro*: *Deus non est factus homo*, quæ contradictoriè opponuntur huic propositioni: *Verbum caro factum est*, traditæ à Ioann. *cit.*

74 *Respōdeo 1.*

Ad hanc replicam respondeo primo distinguendo maiorem: sequitur,

posse istam propositionem absolutè concedi: *Verbum Dei non est factum caro*, ly absolutè cum explicatione concedo maiorem; sine explicatione nego maiorem; distinguoque minorē: consequens est absurdum, & hæreticum sine explicatione concedo minorem, cum explicatione nego minorem, & consequentiam. Secundo respondeo omittendo maiorem, & negando minorem, cuius probationem imbibitam distinguo: hæc propositio: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, est contra hanc: *Verbum Dei non est factum caro*, propositionibus consideratis respectu eiusdem secundum eundem modum concedo; secundum diversum modum nego, & nego consequentiam ob dicta *num.* 63.

Respond. 2.

75 *Retorqueo replicam. 1*

Vt autem videat Ill. God. se teneri replicam solvere. Retorqueo primo contra ipsum: absurdum, & hæreticū est, absolutè concedere hanc propositionem: *Verbum Dei non est factum caro*: ergo absurdum, & hæreticum est, absolutè concedere hanc propositionē: *Christus ascendit ad diem festum*. Atqui hanc propositionem absolutè concedere, non est absurdum, nec hæreticū: ergo neque illam absolutè concedere, erit absurdum, neque hæreticum. Hæc consequentia est legitima. Sussumpta ita certa est, vt illam absolutè non concedere, esset hæreticum, vtpotè contra Evangelistam testantem: *Christum ascendisse ad diem festum, etsi occultè*. Antecedens est Ill. God. Consequentia verò probatur: ideo iuxta Ill. Godoy absurdum, & hæreticū est absolutè concedere hanc propositionem *Verbum Dei non est factum caro*, quia hæc propositio est contra Ioannē testantem: *Verbum caro factū est*; atqui hæc propositio: *Christus ascendit ad diem festum*, est contra ipsum Christum testantem: se non ascendere ad diem festū, vt constat ex illo Ioann. 9. vbi ait Christus: *Vos ascendite ad diem festum; ego non ascendam*: ergo, &c.

76 *Aliter formatur retorsio.*

Aliter retorsionem formo: absurdum non est, nec hæreticum, absolutè cōcedere hanc propositionem: *Christus ascendit ad diem festum*: ergo absurdum non erit, nec hæreticum, absolutè concedere hanc propositionem: *Verbum Dei non est factum caro*. Antecedens constat ex *num. antecedenti*. Consequentia probatur, non minus hæc propositio: *Christus ascendit ad diem festum*, opponitur huic propositioni de fide: *ego non ascendam*; ac hæc propositio: *Verbum Dei non est factum caro*, opponitur huic propositioni de fide: *Verbum caro factum est*; atqui hoc non obstante absurdum non est, nec hæreticum, absolutè concedere hanc propositionē: *Christus ascendit ad diem festum*: ergo absurdum non erit, nec hæreticum, absolutè concedere hanc propositionē: *Verbum Dei non est factum caro*. Vndè sicut diversus modus ascendendi, nēpè, occultè, & manifestè, sufficit, vt absurdum non sit, nec hæreticū, vtrāque propositionem absolutè concedere, *ascendisse, & non ascendisse*; vtraque namque est de fide; ita diversus modus adventus Christi, scilicèt, in carne passibili, & impassibili, sufficit, vt absurdum non sit, nec hæreticum, vtrāque propositionem absolutè concedere, scilicèt, *Verbum Dei non est factum caro, & Verbum Dei factum est caro*.

77 *Retorqueo 2. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Retorqueo secundo ad hominem contra ipsum: absurdum, & hæreticum est absolutè cocedere hanc propositionem: *Verbum Dei non est factum caro*: ergo absurdum, & hæreticum est, absolutè concedere hanc propositionem: *Deus est comprehensibilis*: Antecedens est Ill. God. Consequentia probatur: ideo iuxta ipsum absurdū, & hæreticum est, absolutè concedere hanc propositionem: *Verbum Dei non est factum caro*, quia hæc propositio: *Verbum Dei non est factum caro* est contra Ioannem testantem: *Verbum caro factum est*; atqui hæc propositio: *Deus est comprehensibilis* est contra Scripturam testantem: *Deum esse incomprehensibilem* ex dictis *num.* 53. ergo, &c. Sussumo nunc; atqui hoc nequit asserere Ill. Godoy, quia de fide est: Deum se comprehendere: ergo cum ad hoc respondere teneatur, ad solvendam cogitur replicam, quam contra nos facit.

78 *Retorqueo 3. etiam ad hominē cōtra eundē.*

Retorqueo tertio ad hominem etiam contra ipsum: absurdum est, has propositiones simul componi: *Verbum Dei non est factum caro*; *Verbum Dei caro factum est*: ergo absurdum est simul componi has propositiones: *Remedium peccati fuit vnicum motivum Incarnationis*; *remedium peccati non fuit vnicum*

mo-

motivum Incarnationis. Insuper has: *Deus est Pater est propositio per se; Deus est Pater non est propositio per se.* Deinde has: *Pater intelligendo omnes creaturas concipit Verbum; Pater aliquas creaturas non intelligendo concipit Verbum.* Item has: *Spiritus Sanctus per se non potit à duabus personis procedere; Spiritus Sanctus per se petit à duabus personis procedere.* Amplius has: *Deus est nobis debitor; Deus non est nobis debitor.* Denique istas: *Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio egressionis importat: intelligere importat habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importat.*

Consequentia est clara; nam non magis opponuntur istæ propositiones: *Verbum Dei non est factum caro; Verbū Dei caro factum est,* ac cæteræ aliæ propositiones; cum contradictoriè opponantur. Sustummo nunc: atqui omnes prædictas propositiones simul componit, & componere tenetur Ill. Godoy; ergo & propositiones, quas in compossibiles iudicat, tenetur simul componere; ergo potius in ipsum, quam in nos, illius militat replica.

79 *Replicat 4.* Replicat quarto Ill. Godoy *num.* 16. cōtra solutionem supra datam: si propositio ab August. & alijs Patribus tradita, esset in Scriptura expressa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet, Verbum venturum, Adamo non peccante, etiam in carne impassibili: ergo nemo absque periculo Patribus contradicendi affirmare potest, Verbum venturum, etiam in carne impassibili, Adamo non peccante, nec peccato illius existente. *Confirmat.* Quod amplius confirmat: nam D. Thomas eisdem verbis docuit, Christum non venturum, Adamo nō peccante, quibus id August. & alij Patres docuerūt; sed Scotus, & nos cum illo affirmando: Christum venturum in illa hypotesi in carne impassibili, existimamus appertè D. Thomæ nos contradicere: ergo censere tenemur, nos Augustino, & Patribus contradicere.

80 *Respondeo ad replicā.* Respondeo ad hanc replicam nego antecedens: quia & si propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita, esset in Scriptura expressa, adhuc admitteret explicationem, vt claret in propositione Ioannis in Scriptura expræssa: *Vos ascendite ad diem festum; ego non ascendam,* de qua diximus *num* 48. & cuius explicationem negare non potest Ill. Godoy.

81 *Ad cōfirm.* Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: D. Thomas eisdem verbis, & in eodem sensu docuit Christum non venturum, Adamo nō peccante, quibus id Augustinus, & alij Patres docuerunt nego maiorem; eisdem verbis, & in diverso sensu concedo maiorem, & concessa minori, nego cosequentiam: quia nihil obest, quod verbis D. Augustini id doceat D. Thomas; cum in diverso sensu, ac Augustinus, loquatur D. Thomas. Quod autem hoc sit verum, patet: nā D. Thom. docet: Verbum non venturum nec in carne passibili, nec impassibili, Adamo non peccante; sed August. & alij P. P. solum negant adventum illius in carne passibili, Adamo non peccante: ergo in diverso sensu ab August. & P. P. docet D. Thom. Maior est ipsius Ill. God. Minor probatur. Primo ex Augustino *cit.* dicente: *Tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ*: ergo loquitur de Incarnatione, vt medicina peccati: ergo de Christo in carne passibili. Probatur secundo ex eodē *in Psalm.* 36. *Contione* 2. dicente: *Si tu, ò homo, nō dimitteres Deū, non fieret pro te Deus homo*; vbi solum negat: Deum fieri hominem pro nobis, idest, propter nos redimendos non existente peccato: ergo loquitur de Christo in carne passibili.

82 *Retorqueo replicam. 1* Soluta replica Ill. God. solum restat ipsam in ipsum retorquere, vt illā, sicut & cæteras factas, solvere teneatur. Retorqueo itaq; primo: hæc propositio: *Vos ascendite ad diem festum; ego non ascendam* est in Scriptura expræssa: ergo nemo absque periculo hæresis affirmare potest, Christum ascendisse, etiam occultè. Atqui hoc nequit asserere Ill. God. vtpotè cōtra fidem; constat enim ex Evangelio: Christum occultè ascendisse: ergo & si propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita, esset in Scriptura expræssa, potest quis absque periculo hæresis asserere, Christū venturū in carne impassibili, Adamo non peccante. Minor cū consequentia tenet. Antecedens est certum. Consequentia probatur: nā iuxta Ill. God. si propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita esset in Scrip-

tura expreſſa, nemo abque periculo hæreſis aſſerere auderet: Verbū venturum Adamo non peccante, etiā in carne impaſsibili; ſed per te eſt iuxta fidem hæc propoſitio: *Vos aſcendite ad diem feſtum; ego non aſcendam*: ergo, &c. Præmiſſæ ſunt veræ. Conſequentia autem eſt paritate evidens; eadem namque omnino eſt de vtraque ratio.

83 *Aliter formatur retorſio.*

Aliter, & vrgentiùs efformatur retorſio: quod hæc propoſitio: *Vos aſcenditte ad diem feſtum; ego non aſcendam*, ſit in Scriptura expreſſa, non obeſt, vt abſque periculo hæreſis poſsit quis affirmare, Chriſtum aſcendiſſe aliquo modo, ſcilicèt, occultè: ergo etiam ſi propoſitio ab Auguſt. & alijs Patribus tradita, eſſet in Scriptura expreſſa, poſſet quis abſque periculo hæreſis aſſerere, Chriſtum venturū aliquo modo, ſcilicèt, in carne impaſsibili, Adamo non peccante. Antecedens eſt ita certum, vt oppoſitū ſit hæreticū. Conſequentia eſt paritate notoria, quin poſſit aſsignari ratio pro negatione illius, quæ non militet pro negatione antecedentis, vt patebit omnibus.

84 *Retorqueo 2. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Retorqueo ſecundo ad hominem cōtra ipſum: ſi hæc propoſitio ab Auguſtino tradita: *Tolle vulnera, tolle morbos, & nulla eſt cauſa medicinæ*, eſſet in Scriptura expreſſa, nemo abſque periculo hæreſis aſſerere auderet, remedium peccati non eſſe vnicū motivū Incarnationis: ergo nemo abſque periculo Auguſtino cōtradicendi affirmare poteſt, remediū peccati nō eſſe vnicū motivum Incarnationis. Atqui hoc eſt contra Ill. Godoy alia motiva prætèr remediū peccati, etſi cum peccato connexa, aſsignantem: ergo cum ad ſolutionem huius teneatur, ad ſolutionem ſuæ replicæ cogitur.

85 *Retorqueo 3. ad hominem contra illum.*

Retorqueo tertio etiā ad hominē cōtra ipsū quod hæc propoſitio: *Deus eſt incomprehenſibilis*, ſit in Scriptura expreſſa, nō obeſt, vt abſq; periculo hæreſis poſsit quis affirmare, Deū ab aliquo intellectu, ſcilicèt, Divino, eſſe cōprehenſibilē: ergo etiā ſi propoſitio ab Auguſt. & alijs P. P. tradita, eſſet in Scriptura expreſſa, poſſet quis abſque periculo hæreſis aſſerere, Chriſtū aliquo modo venturū, ſcilicèt, in carne impaſsibili, Adamo nō peccante. Oppoſitū antecedētis eſt hæreticū. Cōſequentia paritate eſt notoria, quin poſſit aſsignari ratio pro negatione illius, quæ non militet pro negatione antecedentis, vt omnibus patebit.

86 *Retorqueo 4. ad hominem contra eundem.*

Retorqueo quarto ad hominem etiam contra ipſum: ſi namque hæc propoſitio à D. Thoma traddita: *Deus eſt Pater eſt propoſitio per ſe*, eſſet in Scriptura expreſſa, nemo abſque periculo hæreſis aſſerere auderet, prædictā propoſitionē aliquo modo non eſſe per ſe, etiam perſeitate conſtitutionis: ergo nemo abſque periculo D. Thomæ contradicendi affirmare poteſt, prædictā propoſitionem non eſſe per ſe aliquo modo, etiam perſeitate conſtitutionis. Atqui hoc aſſerit Ill. Godoy *tom. 3. in 1. p. diſp. 76. num. 24.* ergo cum periculo D. Thomæ contradicendi hoc aſſerit. Totum claret ad hominem contra ipſum vi replicæ, quam contra nos facit.

87 *Retorqueo 5. ad hominem contra ipſum.*

Retorqueo quinto etiam ad hominem contra ipſum: ſi nāque hæc propoſitio à D. Thoma traddita *1. p. quæſt. 34. artic. 1. ad 3. Pater concipit Verbum intelligendo omnes creaturas*, eſſet in Scriptura expreſſa, nemo abſque periculo hæreſis aſſerere auderet, Patrem concipere Verbum, aliquam creaturam non intelligendo: ergo nemo abſque periculo D. Tomæ contradicendi affirmare poteſt: Patrē concipere Verbum, aliquam creaturam non intelligendo. Atqui hoc affirmat Ill. Godoy *tom. 3. cit. diſp. 91. num. 2.* ergo fāteri tenetur, ſe D. Thomę cōtradicere, quod nunquam ipſe concedet. Antecedens, in quo ſolum eſſe poteſt difficultas, manifeſtè apparet vi replicæ, quam contra nos facit, & vt clarius appareat probandum eſt à nobis, cuius probatio deſeruit ad demonſtrandas retorſiones factas, & faciendas.

88 *Prob. antecedens.*

Probatur itaque antecedens: ideò ſi propoſitio ab Auguſtino, & alijs P. P. tradita eſſet in Scriptura expreſſa, nemo abſque periculo hæreſis aſſerere auderet, Verbum venturum, Adamo non peccante, etiam in carne impaſsibili, quia iuxta Ill. Godoy Auguſt. & Patres abſolutè negant: Chriſtum vēturum, Adamo non peccante, & cum negatione abſoluta non verè componitur aliqua affirmatio; vel quia hæc propoſitio: *Si non haberet caro ſalvari, nè quaquam Verbum Dei caro factum eſſet*, con-

tra-

tradictoriè opponitur huic: *Etiam si nō haberet caro salvari, Verbum Dei aliquomodo caro factum esset*; atqui D. Thom. absolutè concedit: Patrem concipere Verbum intelligendo omnes creaturas, cum qua absoluta affirmatione non verè componitur aliqua negatio; alioquin cum negatione absoluta verè componeretur aliqua affirmatio; & etiā hæc propositio: *Pater concipit Verbū intelligendo omnes creaturas*, contradictoriè opponitur huic: *Pater concipit Verbū aliquā creaturā non intelligendo*: ergo, &c.

89 *Retorqueo 6. etiam ad hominem.*

Retorqueo sexto etiam ad hominē contra ipsum: si hæc propositio à Cōcilijs, & Patribus tradita ex dictis *tom. 3. in 1. sent. disp. 93. num. 5. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, in quantum vnum sunt*, esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, in quantum plures sunt: ergo nemo absque periculo Concilio, & P.P contradicendi asserere auderet, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, in quantum plures sunt. Atqui hoc affirmat Ill. Godoy *tom. 3. in 1. p. disp. 93. num. 2.* ergo fateri tenetur se Concilio, & Patribus contradicere. Antecedens probatur: ideò si propositio ab August. & alijs P.P. tradita esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet: Christum venturum, Adamo non peccante, etiam in carne impassibili, quia iuxta Ill. God. August. & P.P. absolutè negant, Christum venturum, Adamo non peccante, & cum negatione absoluta non verè componitur aliqua affirmatio; atqui Concilium, Augustinus, & Anselmus absolutè negant, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, in quantum sunt plures, cum qua negatione non componitur verè aliqua affirmatio: ergo, &c.

90 *Retorqueo confiam. ad hominem contra Ill. Godoy.*

Et ex hoc retorqueo etiam confirmationem ad hominem contra ipsū: Scotus eisdem verbis docuit, Spiritū Sanctum non procedere à Patre, & Filio, in quantum plures sunt, quibus id Concilium, Augustinus, & Anselmus docuerunt; sed Ill. Godoy affirmando, Spiritum Sanctum procedere ab illis, in quantum plures sunt, existimat, se appertè Scoto contradicere: ergo censere tenetur, se Concilij, Augustini, & Anselmi mente pugnare, docens, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, in quantū plures sunt.

91 *Retorqueo 7. ad hominem contra eundem.*

Retorqueo septimo etiam ad hominem contra ipsum: si hæc propositio ab Augustino, & alijs Patribus tradita ex dictis *disp. præcedent. n. 67. & 68. Deus non est nobis debitor*, esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet: Deum esse nobis debitorem: ergo nemo absque periculo Augustino, & alijs Patribus contradicendi affirmare potest, Deū esse nobis debitorem. Atqui hoc affirmat Ill. Godoy *disp. præced. num. 4.* ergo fateri tenetur, se Augustino, & alijs Patribus contradicere. Totum est certum ad hominem contra ipsum, & claret per dicta *num 88.*

92 *Retorqueo confirmationem ad hominem etiā*

Et ex hoc retorqueo etiam confirmationem ad hominem contra ipsū: Scotus eisdem verbis docuit: Dei ad creaturam non esse iustitiā strictam, & rigurosam, quibus id Augustinus, & alij Patres docuerūt; sed Ill. Godoy affirmando: Dei ad creaturā esse iustitiam strictam, & rigurosam, existimat, se appertè Scoto contradicere: ergo censere tenetur, se cum Augustini, & aliorum Patrum mente pugnare. Retorsio facta est eisdem terminis, quibus confirmationem contra nos formavit Ill. Godoy. Maior verò, in qua potest esse difficultas, constat ex dictis *disput. præced.*

93 *Retorqueo 8. etiam ad hominem.*

Retorqueo octavo etiam ad hominem contra ipsum: si hæc propositio tradita à D. Thom. *in 1. p. quæst. 34. art. 1 ad 3. Intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio egressionis importatur*, esset in Scriptura expræssa, nemo absque periculo hæresis asserere auderet: intelligere importare habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importatur: ergo nemo absque periculo D. Thomæ contradicendi affirmare potest: intelligere importare habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua aliqua ratio egressionis importatur. Atqui hoc affirmat Ill. God. cum Dominicana familia: ergo fateri tenetur, se D. Thomæ contradicere.

94

Ex his itaque retorsionibus ad hominem contra Ill. Godoy formalis manifestè se se apperit: tot esse illius

inconsequentias, quot sunt contra ipsũ retorsiones. Et licèt plurimas alias efformare poterã, illas ommito, quia formalizatæ sufficiunt, vt nullitas replicarum, quas contra solutionem cõmunem Scotistarum facit, appareat.

§. VII.

Alia solutio ad argumentum principale.

95 3. *Potest responderi ad argum.*

DEnique ad argumentum factum potest responderi: Patres non negare absolutè, Verbum assumpturũ carnem, non peccante Adamo, sed illã assumpturum pro nobis, proptèr nostram salutem, & proptèr nos redimendos, quod verissimum est, quia non existente peccato, redemptio ab illo necessaria non esset. Quod autem non absolutè, sed cum hac limitatione loquantur, patet ex Augustino in priori testimonio, nempè, *Concione 2. in Psalm. 36.* ibi: *Si tu, ò homo, non dimitteres Deum, non fieret prote Deus homo.* Quibus verbis non negat absolutè Augustinus, Verbum futurum, vel fiendum hominem, non existente peccato, sed fiendum hominem pro nobis, ideſt, proptèr nos à peccato redimendos: nam ly *prote*, idem est, quod *proptèr te*: ergo Augustinus docens: Deus non fieret homo pro illo, solum intendit in tali hypotesi, non fiendum hominem propter illum; non autem quod absolutè homo non fieret, & proptèr alios fines, ob quos fuit à Deo Incarnatio Uerbi volita.

96 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

Hanc solutionem adducit Ill. Godoy *num.* 17. contra ipsamque replicat primo *num.* 18. nam obstant verba Augustini *Serm. 8. de verbis Apostoli*, vbi super illud: *Venit enim Filius hominis, quærere, & salvare, quod perierat*, sic ait: *Si homo non periisset, Filius hominis non venisset.* Quibus verbis non cum prædicta limitatione, scilicèt, pro nobis, vel propter nos, sed absolutè negat Augustinus: Filium hominis, ideſt, Christum venturum, si peccatum non existeret. Secundo obstant verba ex Hirenæo relata: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factũ esset.* Quæ verba vniversalia sunt, & sine vlla limitatione, & assumptionem carnis à Verbo nullo modo, & ex nullo fine futuram, peccato non existẽte, significant, ac proindè falsa essent, si ex aliquo fine in tali hypotesi Verbum carnem assumeret.

Replicat 2.

97 *Replicat 3*

Replicat tertio *num.* 19. nam mens Patrum asserentium: non venturum Christum, Verbumque non assumpturum carnem, Adamo non peccante, est amorem Dei erga homines extollere, qui tam eximium bonum, nempè, Incarnationis Verbi, illorum saluti alligavit, & proptèr illam decrevit; at si esset in vi præsentis decreti Incarnatio futura ob aliquos fines sine connexione cum salute hominũ, & cum illorum redemptione à peccato, minus benè hac ratione Dei erga homines amorem prædicarent, & extollerent Patres, cum Incarnatio esset à Deo volita ob alios fines, futuraque ob illos, quamvis salus hominum, illorumque redemptio à peccato non instarent: ergo non solum negant: Incarnationem futuram proptèr nos, peccato non existente, sed absolutè sentiunt: futuram non esse, si peccatum non existeret, hominesque tanto Redemptore non indigerent.

98 *Respõdetur 1. ad 1. & 2. replicam*

Hæc tamen non obstant; nam ad primam, & secundam replicam respondetur primo negando: Augustin. & Hirenæum absolutè, & sine vlla limitatione negare: Christum venturum, Adamo non peccante; quia locuntur de adventu Christi secundum decretum secundum, si ponantur duo; vel secundum decretum circũstantionatum, & modificatum modo passibilitatis; vel secundum decretum de adventu Christi, vt in executione positus est; non verò locuntur de adventu Christi secundum primum decretum; vel secundum decretum non circunstantionatum; vel secundum decretum de adventu Christi quoad substantiã, vt sequendus foret vi decreti ob gloriam Dei, & excellentiam misterij, peccato non existente, vt diximus *numer.* 44. cuius solutionis quadruplicẽ rationem assignavimus *num.* 45.

99 *Respondeo 2.*

Respondeo secundo negando vtrũque antecedens; nam Augustinus, & Hirenæus locuntur de adventu Christi in carne passibili, vt diximus *n.* 46. quod non est absolutè, & sine vlla limitatione adventum Christi negare, peccato non existente. *Tertio.* Tertio respondetur distinguendo vtrumque antecedens: Augustinus, & Hirenæus absolutè

lutè negant, Christum venturum, si peccatum non existeret, ly *absolutè* cū explicatione concedo antecedens; sine explicatione nego antecedens; & consequentiam, cuius ratio declarata manet *num.* 49. Quarto denique responderi potest, replicas retorquendo ad hominem contra Ill. God. omnibus retorsionibus factis.

Retorquetur.

100 *Ad 3. replicam respondeo.*

Ad tertiam replicam respondeo negando suppositum maioris; supponit namque, quod mens Patrum sit asserere: Christum non venturum, Adamo non peccante, quod est falsum, nisi hoc intelligat in carne passibili, quę est nostra, & Scoti sententia. Imò supposito omnisso, distinguo maiorem: est amorem Dei erga homines extollere, & deprimere concedo maiorē; extollere præcisè nego maiorem; nā licèt adventus Christi ob remedium peccati extollat amorē Dei erga homines in statu lapsus; valdè tamen minuit amorem Dei erga homines in statu innocentiæ; vtpotè hoc perseverante non esset natura humana Incarnatione exaltata. Vndè si Patres asserent: Christum nullo modo venturum, Adamo non peccante (vt intendit Ill. Godoy) Patres, potiùs, quam extollerent, minuerent misericordiam Dei erga homines, quod non est dicendum.

101 *Retorqueo argum. contra alios Thomistas.*

Soluto iam argumento Ill. God. ex Patribus deducto, solutisque, & retorsis replicis ab ipso factis, restat nunc contra alios Thomistas, eodem argumento vtentes, argumentum retorquere, vt illorum etiam inconsequentia appareat. Retorqueo itaque: etsi Scriptura affirmet: Christum venisse ob remedium peccati originalis, hoc non obstat, vt peccato originali deficiente veniret Christus vi præsentis decreti: ergo nullam vim habent authoritates contra veritatem nostræ conclusionis. Probatur antecedens: Scriptura testatur: Christum venisse non solum ob remedium peccati originalis, verum etiam ob remedium peccatorum actualium; sed hoc non obstat, vt deficientibus peccatis actualibus veniret Christus vi præsentis decreti: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est plurimorum Thomistarum, cum quibus Gonet *disp. 5. art. 2. §. 1.* Maior constat ex pluribus locis Scripturæ, pro quibus hæc duo sufficiant Pauli testimonia. Primo ex illo ad Titum *cap. 2. Dedit se ipsum pro nobis, vt rediueret ab omni iniquitate.* Secundo ad Ephesios *cap. 15. Venit nos ab omni peccato mundare.*

§. VIII.

Soluitur argumentum Ill. Godoy ratione D. Thomæ deductum.

102 *Arguit ratione Div. Thomæ.*

ILl. God. *num. 34.* ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta sic arguit: decretum Incarnationis, cum sit suprà debitum, & exigentiam naturæ; non nisi per revelationem nobis innotescere potest; ea enim, quæ suprà naturam sunt, non alitèr, quam per Dei revelationem possunt cognosci; sed quotiescumque in Scriptura Sacra de huiusmodi decreto fit mentio, cum peccato Adami semper connectitur, & cum redemptione ab illo: ergo ex vi decreti, quod Deus de facto circà Incarnationē habuit, Verbum carnem non assumeret, Adamo non peccante. Consecutio est legitima; deficiente enim termino connexionis decreti, necessum est, ipsum decretum deficere; ac proindè, si omne decretum de facto habitum de Incarnatione cum Adami peccato est connexum, hoc peccato deficiente, nullum decretū de Incarnatione subsisteret, ex his, quæ de facto existunt.

Maior etiam certissima est; nam ea, quæ suprà naturam sunt, nullum medium in natura habent, per quod innotescere possint, ac proinde solum mediante Diuina reuelatione possunt à nobis cognosci: Vndè ad probationē minoris tota difficultas deuoluitur, cuius probatio ex testimonijs Scripturæ desumitur. Primum habetur Lucæ *cap. 19.* illis verbis: *Filius hominis venit saluare, quod perierat.* Et 1. ad Timoth 1. *Christus Iesus venit peccatores saluos facere.* Et 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli.* Ac tandem in symbolo Nicœna de Christo loquendo dicitur: *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Incarnatus est, &c.*

103

Ex quibus testimonijs minor argumenti in hunc modum suadetur. Ratio Incarnationis est cum illius decreto connexa; sed ratio Incarnationis, quæ in prælegatis testimonijs tradi-

tur,

tur, est remedium peccati, nosque redimere ab illo, quod peccatum necessario supponit: ergo decretum Incarnationis, quod Deus de facto habuit, est cum Adami peccato connexum, & consequentèr, Adamo non peccante, nullum decretum de facto circa Incarnationem habitum potest subsistere. Ex quo vlterius fit, vt si Adamus non peccaret, Verbũ carnẽ non assumeret ex vi præsentis decreti.

104 *Retorqueo contra plures Thomistas.*

Ante directam ad argumentum responsionem, retorquendum est argumentum contra omnes Thomistas, qui tenent: Christum venisse vi præsentis decreti, deficientibus peccatis actualibus, contra quos sic formatur retorsio: decretum Incarnationis, cum sit suprà debitum, & exigentiam naturæ, non nisi per revelationem nobis innotescere potest; sed quotiescumque in Sacra Scriptura fit mentio de hoc decreto, non tantum ponitur cõnexum cum peccato Adami, verum etiam cum peccatis actualibus: ergo deficientibus peccatis actualibus, etiam si originale staret, Christus non veniret vi præsentis decreti. Maior est propositio in argumento assumpta. Minor constat ex illis eisdem authoritatibus in argumento adductis. Consequentia est legitima, & est contra Thomistas, contra quos procedit responsio.

105 *Retorq. cõtra Ill. Godoy, & aduersarios omnes.*

Retorqueo etiam argumentum contra Ill. Godoy, quæ retorsio est etiam generalitèr contra omnes aduersarios: decretum Incarnationis, cũ sit suprà debitum, & exigentiam naturæ, non nisi per revelationem nobis innotescere potest; sed quotiescumque in Sacra Scriptura fit mentio de hoc decreto, non tantum ponitur cõnexum cum peccato Adami, verum & ponitur remedium peccati, vt vnicum motivum prædicti decreti: ergo non fuit aliud motivum, quod est contra Ill. Godoy, & omnes aduersarios, admittentes alia motiva primaria, & principaliora, etsi cum peccato connexa. Minor claret in authoritatibus ab ipso adductis. Maior, & consequentia tenent.

106 *Respondeo 1. ad argument.*

Directè tamen respondeo primo ad argumentum distinguendo maiorem: decretum Incarnationis, cum sit suprà debitum, & exigentiam naturæ, non nisi per revelationem innotescere potest, notione, vel manifestatione fidei concedo maiorem; manifestatione probabili, & rationabiliter coniecturali nego maiorem; distinguo minorem: quotiescumque in Sacra Scriptura de huiusmodi decreto fit mentio, cum peccato Adami semper connectitur, vt decretum cadit sub veritate fidei concedo minorem; vt attinet ad veritatem probabilem, & ad rationalem coniecturam nego minorem, & consequentiam, per quod patet ad probationes vtriusque præmissæ.

107

Itaque de decreto Dei dupliciter potest loqui. Primo: vt pertinet ad fidem, & sic tantum per revelationem manifestatur. Secundo: vt pertinet ad opiniones probabiles, & sic non per revelationem, sed per non repugnantiam, per rationabiles coniecturas, & per rationes congruentiæ manifestatur. Vndè de decreto Incarnationis dupliciter potest loqui. Primo pro redemptione hominis à peccato, & sic est dogma fidei, quarè solum per revelationem cognoscitur. Secundo: vt pertinet ad quæstionem nostram, & sic cadit sub opinione; quarè non per revelationem, sed per non repugnantiam, per probabiles rationes, & coniecturas manifestatur.

108 *Respõdeo 2.*

Respondeo secundo ad argumentum omnissa maiori, negando minorem, ad cuius probationem ab authoritate explico loca Scripturæ, vt explicata manent *num.* 44. de quo quadruplicem rationem assignauimus *num.* 45. vel illa explico explicatione data *num.* 46. scilicèt, Scripturam loqui de decreto Incarnationis in carne mortali, & passibili, vt claret evidentèr ex ipsis locis ab Ill. Godoy traditis, per quod patet etiam, quid ad probationẽ à ratione sit dicendũ.

109 *Replicat Ill. God. 1.*

Replicat primo Ill. God. *num.* 36 ex vi decreti efficacis terminati ad substantiam Incarnationis constituitur Incarnatio in statu futuritionis: ergo si hoc decretum non fuit cum remedio peccati connexum, substantia Incarnationis non fuit connexa cum remedio peccati: ergo non dicitur propriè in symbolo: *Verbum descendisse de Cœlis propter nos homines, & propter nostrã salutem.* Probatur hæc consequentia:

idem

idem est, Verbum descendisse de Cœlis propter nostram salutem, ac fuisse carnem factum propter nostram salutem; sed non dicitur propriè, assumpsisse carnem propter nostram salutē, nisi nostra salus sit motivum Incarnationis quoad substantiam: ergo non dicitur propriè in Symbolo: *Verbum descendisse de Cœlis propter nos homines, & propter nostram salutem.*

110 Hæc replica est directè contra Scotistas dicentes: remedium peccati esse motivum Incarnationis secundū modum duntaxàt; non verò secundum substantiam; vndè tenendo cum alijs Scotistis esse motivum Incarnationis non solum quoadmodum, sed etiam quoad substantiam, vt diximus *numer.* 10. *& sequentibus*, quod probabilius iudico, ruit replica. Cæterum adhuc tenendo modum supradictum illorum Scotistarum.

111 *Respondeo.* Ad replicam respondeo negando secundam consequentiam, & ad probationem distinguo maiorem: idem est, Verbū descendisse de Cœlis propter nostram salutem, ac fuisse carnem factum, distinguo ly *carnem*: carnem passibilem concedo maiorem; præcisivè à passibilitate nego maiorem; distinguo etiam in minori ly *carnem*: carnem præcisivè à passibilitate concedo minorem; carnem passibilem nego minorem, & consequentiam. Vndè vt propriè dicatur: Verbū assumpsisse carnem propter nostrā salutem, sufficit quod nostra salus sit motivum Incarnationis, vt in carne passibili, quod est esse motivum Incarnationis quoadmodum, & in hoc sensu loquitur Scriptura, quia loquitur de Incarnatione, vt modò facta est.

112 Imò hoc probant ipsa verba Symboli: *Qui propter nos homines, & propter nostrā salutem descendit de Cœlis.* Vbi motivum Incarnationis quoad substantiam, est ly *nos homines*, ideſt, exaltatio, & glorificatio nostræ naturæ, vt probatum manet *num.* 34. motivum verò Incarnationis quoadmodum, est ly *propter nostram salutem*, ideſt, remedium peccati. Videat nunc Ill. Godoy doctrinam Scotistarum expræssam esse in textu, quem contra nos acritèr vrget.

113 *Replicat 2* Replicat secundo *num.* 37. etenim ex adductis testimonis Scripturę cōstat, decretum de Incarnatione cum futuritione peccati connexum; sed decretum de Incarnatione efficax cum peccato non connexum ex nullo testimonio Scripturæ colligitur: ergo nullū datur efficax Incarnationis decretum non connexum cum futuritione peccati. Consequentia tenet ex dictis; nam decretum de Incarnatione debet ex Scriptura constare, & per revelationē haberi. Maiorem fatemur Scotistæ, vt constat ex nostra solutione, & minor probatur: si enim ex aliquo testimonio Scripturæ colligeretur decretum efficax de Incarnatione non connexum cum peccato, maximè ex illo Proberb. 8. *cap. Initium viarum suarum ante quam quidquam faceret à principio*, quod de Sapientia Incarnata plures Ecclesiæ Patres interprætātur; sed ex hoc testimonio non colligitur decretum efficax Incarnationis non connexum cum futuritione peccati: ergo ex nullo Scripturæ testimonio infertur existentia talis decreti.

114 Consecutio est legitima; alia namque testimonia, quæ ad inferendam illius decreti existentiam à nobis aggregantur, vel locuntur de Sapientia increata, vel nihil difficultatis addunt suprà testimonium in maiori contentum: ergo si ex hoc non infertur, ex nullo testimonio colligitur. Minor autem, in qua est difficultas, probatur: ex illo testimonio, admisso, quod de Sapientia Incarnata loquatur, tantum colligitur prioritas decreti Incarnandi ordine intentionis ad decretum permittēdi peccatum; sed stat bene ista prioritas cum connexione decreti, cum futuritione peccati, & cum decreto permittendi peccatum; sicut decretum intentivum gloriæ, vt coronæ, in electis est prius ordine intentionis decreto efficaci meritorum, & tamen in nostra sententia est cum meritis, & cum decreto illorum connexa ita, vt ex vi talis decreti gloria conferenda nō sit, nisi merita intercedāt, & dependentèr ab illis: ergo, &c.

115 *Confirmatur 1.* Quod confirmat *numer.* 38. Primo: etenim in testimonio adducto exprimitur antecessio, & prioritas decreti Incarnationis, non solum ad decretū permittendi peccatum, sed etiam ad decretum producendi creaturas, vt constat ex illis verbis: *Ante quam quidquam faceret à principio*, ideſt, ante quam

de-

decerneret quidquam producere; & tamen decretum Incarnationis etiam sumptæ substantialitèr, fuit connexũ cum decreto producendi vniversum; aliàs Verbum carnem assumeret, saltim in statu impassibili, non solum non peccante Adamo, sed etiam non existente vniverso, quod nullus Theologorum, quẽ hucusque viderim (ait Ill. Godoy) docuit: ergo ex præcedentia, & prioritate decreti efficacis Incarnationis fiendæ ad decretum permittendi peccatum non sequitur independentia, seu inconnexio decreti Incarnationis cum decreto permissivo peccati, & cum peccati futuritione, & consequentèr non sequitur, ex vi talis decreti futuram Incarnationem non existente peccato.

116 *Confirmatur 2.*

Confirmat secundo *num* 39. Christus non veniret, etiam in carne impassibili, in vi alicuius decreti ex his, quæ de facto circa Incarnationẽ existunt, Adamo non existente, seu non existente vniverso, vt omnes Theologi docent, nullo dempto: ergo non veniret etiam in carne impassibili, Adamo non peccante. Patet consequentia: nam in testimonio relato, & in alijs, quæ solent à nobis adduci, aggregarique, ad probandum, adventũ Christi, & Incarnationem futuram, non existente peccato, nulla de peccato fit mentio, sed solummodo de creaturis, vt constat ex illo: *Primogenita ante omnem creaturam*, quod de Sapiẽtia Incarnata aliqui Theologi accipiunt; & ex illo: *Initium viarum suarum ante quam quidquam faceret à principio*: ergo ũ respectu Adami, & aliarũ creaturarum, de quibus expressa fit mentio in prædictis testimonijs, sola antecessio colligitur, vel prioritas naturæ; non autem connexionis negatio, id est, quod decretum efficax Incarnationis connexum non sit cum decreto producendi vniversum, mandandumque executioni vniverso non existente; paritèr respectu decreti permissivi peccati solum habebitur antecessio, vel prioritas naturæ; non verò negatio connexionis vnius decreti cum alio, ac proindè ex prædictis testimonijs perperam à nobis colligitur, venturum Christum, & Incarnationem futuram in carne immortali, & impassibili in vi præsentis decreti, Adamo non peccante.

117 *Noto pro solutione.*

Ante solutionem noto: quod replica Ill. God. est argumentum ab authoritate affirmativa pro vna parte, & negativa pro alia. Authoritas positiva facit fidem pro parte, quam affirmat; negativa verò non, dummodo non sit ratio convincens, & sic argumentum Ill. God. pro parte affirmativa convincit ex Scriptura: Christum de facto venisse ob remedium peccati, quod vt Catholici affirmamus. Pro negativa autem no convincit: Christum non venisse, si non esset peccatũ, quia authoritas negativa sine ratione convincente pro possibili nihil valet. Scriptura enim in authoritate affirmativa attendit semper ad factum, ad id, quod est credendum, & ad nostros mores; non verò ad separationẽ modi facti, ad modum faciendi, nec ad methaphysicas rationes, vt dixi *num.* 107. Ex quo.

118 *Retorqueo replicam.*

Retorqueo replicam contra Ill. God. ex testimonijs Scripturæ constat: decretum Incarnationis fuisse non quomodocumque connexum cum permissione peccati, sed fuisse sic cõnexũ, quod permissio peccati sit causa finalis *propter quã, & cuius gratia*; hoc enim indicat ly *propter nostram salutem*, vt intelligitur ab Ill. God. sed non est locus Scripturæ dicens expressè, quod permissio peccati non fuerit talis causa finalis: ergo permissio peccati fuit finis *propter quem, & cuius gratia*, quod est contra ipsum *num.* 184. Vndè sicut ibi negat, quod redemptio sit finis, *cuius gratia* Incarnationis, & negat benè, quia dum est ratio vrgens, & grave inconveniens, vt sit talis finis, non convincit authoritas negativa, quia hæc non probat, dum contraria positiva potest in bonum sensum explicari; ita nos negamus, quod decretũ Incarnationis sit cum peccato connexum; quia quod decretum Incarnationis non sit connexum cum peccato, rationibus efficacibus suadetur, & verba affirmativa Scripturæ in bonum sensum explicantur.

119 *Respondeo 1.*

Respondeo ergo directè ad replicam, & primo negando consequentiam; quia authoritas negativa, vt dixi, non convincit, quando in oppositum stat vrgens ratio, & grave inconveniens, & alioquin authoritas affir-

mativa in bonum sensum explicatur, quod totum in præsenti reperitur, vt patet evidenter; tum ex nostris probationibus; tumque in explicationibus datis ad omnia loca Scripturæ, & Patrum.

120 *Respondeo 2.* Respondeo secundo negando minorem, & ad probationem nego maiorem: quia textu allegato ab Ill. Godoy nos non probamus inconnexionem decreti Incarnationis cum peccato; sed solum prioritatem decreti Incarnationis respectu prævisionis peccati, & productionis vniversi; inconnexionem vero cum peccato, & non cum productione vniversi, ex omnibus illis locis adductis *num.* 19. probamus. Ex quo clare constat: male Ill. God transire ad probandam minorem, cum maior sit falsa.

121 *Ad confirmationes, & paritates respondetur.* Nec habet vim id, quod adducit pro probatione minoris, nec quod in confirmationibus tradit. Primo: quia supponit falsum; supponit namque: nos probare inconnexionem decreti Incarnationis cum peccato ex prioritate decreti Incarnationis respectu prævisionis peccati, quod non facimus. Secundo: nam paritates illæ de decreto intentivo gloriæ, vt coronæ, respectu meritorum, & decreto Incarnationis respectu productionis vniversi, manent solutæ *num.* 25. per disparitatem ibi assignatam, scilicet, quod tam electio ad gratiam, quam creatio vniversi, sunt virtualiter volita in intentione gloriæ, & prædestinatione Christi, ideoque essentialiter connexa; ast in decreto Incarnationis non est virtualiter volitum peccatū; ideoque inconnexum. Denique paritates prædictæ retorsæ manent contra ipsum *à num.* 22. *vsque ad* 28. ibique retorsiones videantur.

Retorqueo.

122 *Replicat 1* Vidit Ill. Godoy hanc secundam responsionem, & disparitatem, contra quam replicat primo *num.* 41. prædicta solutio est voluntaria: ergo ruit. Probatur antecedens: fundamentum ad probandam inconnexionem decreti Incarnationis cum decreto permissivo peccati est illud verbum *Ante quam quidquam faceret à principio*, illudque: *Primogenita ante omnem creaturam*; sed ex his verbis solū colligitur prioritas vnius decreti ad aliud, cum qua stat connexio vnius cum alio: ergo negatio connexionis inter prædicta decreta est voluntaria.

123 *Replicat 2* Replicat secundo *num.* 42. quia si non obstante, quod Christus intentus fuerit in vi præsentis decreti, vt omnium creaturarum finis, & ordine intentionis decretum illas producendi præcesserit, fuit volitus, vt caput hominum per derivationē gratiæ adoptivæ, vt nos cum Scoto fatemur, illo non obstante, potuit etiam intendi, vt caput hominum per derivationem gratiæ redemptivæ, & remissivæ peccati; sed Christus, vt caput hominum per derivationem gratiæ remissivæ peccati cum peccato habet conexionem: ergo no obstante prioritate decreti efficacis Incarnationis in prædictis testimonijs contenta, potuit Christus per tale decretum intendi, non solum vt connexus cum creaturis, sed etiam vt connexus cum decreto permittendi peccatum, & consequenter cum illius futuritione.

124 *Replicat 3.* Replicat tertio *num.* 43. non obstante, quod homines sint materia per gratiam adoptivam perficienda, potuit Christus antecedenter ad illos intendi, vt hominum caput per derivationem gratiæ adoptivæ decreto cum futuritione illorum connexo: ergo non obstante, quod peccatum sit materia per gratiam redemptivam, remissivamque destruēda, potuit Christus ante permissionem peccati intendi, vt caput hominum per derivationem gratiæ remissivæ, decreto præcedente ordine naturæ decretum permittendi peccatum; connexo tamen cum illo; & cum peccati futuritione, & consequenter ex prioritate decreti Incarnationis ad decretum permissivum peccati non colligitur, Christū fuisse interim sine connexione cum peccato, vel vt non connexū cū illo.

Patet consequentia: non enim solum materia destruenda præcedere debet formam destructivam, sed etiā materia perficienda debet formā perfectivam præcedere: ergo si non obstante, quod homines sint materia perficienda per gratiam adoptivam, potuit Christus antecedenter ad illos intendi, vt illorum caput per derivationem gratiæ adoptivæ, decreto cum illorum existentia connexo, etiam non obstabit, quod peccatum sit ma-

teria

teria per gratiam redemptivam destruenda, vt Christus intendatur antecedenter ad permissionem peccati, vt caput hominum per derivationem gratiæ redemptivæ, decreto connexo cum futuritione peccati.

125 *Respondeo ad 1. replicam.* Respondeo ad primam replicam negando antecedens: quia prædicta solutio est optimis rationibus stabilita, locis Scripturæ roborata, & inconvenientibus pro opposito confirmata. Ad probationem nego maiorem; vt enim diximus *num.* 120. illo textu non probamus inconnexionem, sed prioritatem. Sicut enim III. God. illo textu probat contra Cayetanũ prioritatem decreti Incarnationis respectu prævisionis peccati, & ad probandam connexionem recurrit ad alios textus; ita nos facimus ad inconnexionem probandam.

126 *Ad 2. & 3* Neque nos negamus: prioritatem vnius decreti respectu alterius stare cum connexione inter vtrumque, vt claret paritatibus de decreto gloriæ respectu gratiæ, & de decreto Incarnationis respectu productionis vniversi; cæterum hoc negamus de decreto Incarnationis respectu decreti permissivi peccati; tum: ob loca Scripturæ pro nobis tradita *num.* 19. tum: ob rationes datas *à numer.* 22. pro nostra conclusione, & præcipuè *num.* 24. & 25. vbi solutæ sunt paritates III. Godoy, per quod patet ad secundam, & tertiam replicam, quin alia indigeant solutione; semper namque disparitas perseverat. Sed quia replicis dictis, præsertim tertia, supponit III. Godoy: decretum Incarnationis Christi, non solum quoad substantiam, verum etiã vt Redemptoris præcessisse prævisionem peccati iuxta ordinem Divinorum decretorum ab ipso statutũ; ideò hoc contra ipsum in præsenti investigandum est, vt ipse facit §. 6. Sit ergo.

§. IX.

Occasione vltimæ replicæ explicatur ordo inter Divina decreta servatus, & triplex alia statuitur conclusio.

127 *1. Notabile* PRo declaratione Divinorum decretorum notandum est. Primo: in Deo distingui saltim cum fundamento in re aliqua signa prioris, & posterioris, quæ partim concipiuntur in actibus Divinis, & partim, in obiectis terminantibus tales actus. In actibus vnus concipitur prior alio, quando ex natura sua petit præcedere, quo modo intellectio est prior volitione. Imò inter ipsos actus intellectus, & hoc modo scientia simplicis intelligentiæ est prior scientia visionis, sicut in nobis simplex aprehensio est prior iuditio, & iuditium prius discursu. In obiectis verò vnum concipitur prius alio, quando vnum est causa alterius, vel quando ex natura rei vnum est prius alio, vel quando ex ordinatione voluntatis præcedit. Primo modo prior est natura, quam passio. Secundo modo substantia est prior accidẽte; & ratio vtriusque est: quia scientia simplicis intelligentiæ, vtpotè necessaria, exprimit res cum ea causalitate, & dependentia, quam habent in se. Tertio modo finis est prior medio, quia prius terminat actum voluntatis.

Vndè prioritas, & posterioritas scientiæ simplicis intelligentiæ sumitur à causalitate rerum, & connaturali dependentia earum; prioritas autem, & posterioritas scientię visionis, & decretorum Dei sumitur ex habitudine, quam habent res in ordine ad voluntatem Divinam ordinantem vnum ad aliud, vel volentem hoc esse propter illud.

128 *2. Notabile* Notandum est secundo: quod duplex in Deo consideratur ordo, scilicet, intentionis, & executionis, ex quibus ordo intẽtionis est prior, quia ordinatè volens prius intendit finem, & postea curat de medijs. Ordine intentionis finis est prior medijs, & è cotra ordine executionis iuxta illud axioma: *Quæ sunt priora in intentione sunt posteriora in executione*, quod semper est verum, nisi ratio impediat, vt in assũptione totius humanitatis ante partes.

129 *3. Notabile* Notandum est tertio: quod in bonis, quibus Deus ad extra communicatur creaturis, est quadruplex ordo. Ordo naturę, gratię, glorię, & vnionis hypostaticæ. In ordine naturæ cõsiderantur creaturæ vniversi, & bona naturalia cuiuscumque. In ordine gratiæ dona supernaturalia, quibus consequitur gloria. In ordine gloriæ ipsa gloria à Deo prædestinatis volita. In ordine tandem vnionis hypostaticæ

assump-

assumptio humanitatis ad personalitatem Verbi. Inter ordines istos diversimodè ab authoribus notantur signa prioritatis, & posterioritatis, ex qua diversitate nascitur controversia circa prioritatem, vel posterioritatem decreti Incarnationis respectu peccati Adami prævisi.

130 *Ordo Divinorum decretorũ positus ab aliquibus Thomistis.*

Caietanus, & alij Thomistæ primo: collocant ordinem naturæ. Secundo: ordinem gratiæ. Tertio: ordinẽ gloriæ. Quarto: ordinem vnionis hypostaticæ. Et quia ad ordinem naturæ dicunt spectare omnia peccata, consequenter asserunt: priùs Deum in illo ordine prævidisse peccatum Adæ futurum, & postea præordinasse pro remedio illius vnionem hypostaticam. Quare hunc ordinem signorum erga prædestinationem Christi in Deo disponunt. Primo: Deus cognoscens se ipsum, qui est omnium rerũ finis, voluit gloriam suam manifestare. Secundo: cognovit creaturas, & voluit illis dare esse naturale, in quo signo cognovit lapsum Adæ, & peccata omnia. Tertio: cognovit gratiam in communi. Quarto: gloriam. Quinto: prædestinavit Christum in remedium peccati. Alij verò Thomistæ sic ordinem explicant. Primo: voluit Deus creare homines, vt illo fruerentur in æterna beatitudine. Secundo: ad illam consequendam voluit eis cõferre auxilia, & dona supernaturalia. Tertio: voluit permittere peccatũ Adæ. Quarto: prævidit illud. Quinto: voluit remedium præparare. Sexto: elegit Incarnationẽ, vt medicinã peccati. Quare semper dicunt: prævisionem peccati præcessisse decretũ Incarnationis.

Alitèr ab alijs ponitur dictus ordo.

131 *Ordo Divinorum decretorũ positus ab Ill. Godoy.*

Ill. Godoy ab his omnibus Thomistis discordare videtur; nam *n.* 229. ordinem inter Divina decreta sic in Divina mente statuit. In genere causæ finalis primo fuit volitus Christus, nõ solum secundum substantiam Incarnationis, sed etiam vt passibilis, vt redemptor, & vt actualiter redimens, quam ordo vniversi, & quam permissio peccati; cum dependentia tamẽ ab illis, & posterioritate in alio genere causæ, nempè, in genere causæ materialis. Secundo: in vi meritorũ Christi prævisi in vi decreti intentivi prædestinati sunt Angeli, & homines, quorum prædestinatio ordine intentionis ordinem vniversi præcessit, & ex fine prædestinationis omne, quod est in vniverso, fuit volitũ iuxta illud Pauli 1. *ad Corint. cap. 3. Omnia vestra sunt vos autẽ Christi; Christus autẽ Dei.* Et ex eodem fine, eademq; intentione efficaci processerunt in electis permissiones peccatorũ personaliũ; ordine tamen executionis priùs fuit volitũ vniversum, & permissio peccati originalis, quã Christus prædestinatus, & permissiones peccatorũ personalium, & prædestinatorũ subitatiæ priùs, quã illorũ gloriæ, quæ est finis prædestinationis.

Oppositò verò ordine in signis decretorũ Dei procedit Scotus; nã *in 3. distinct. 7. quæst. 3. & distinct. 32.* divisit decreta Dei in instantia, & hæc in signa divisit. *Et distinct. 19. quæst. 1.* divisit prædicta decreta in signa, & hæc in alia subdividit. Vtràmque divisionẽ declaravit. Dividendo decreta Dei in instantia, & hæc in signa, sic procedit Scotus. Ordine intentionis in primo instanti fuit ordo vnionis hypostaticæ. In secundo ordo gloriæ. In tertio ordo gratiæ. Et in quarto ordo naturæ.

132 *Ordo Divinorum decretorũ positus ab Scoto.*

Primum instans, scilicèt, vnionis hypostaticæ, (suppositâ volitione bonitatis Divinæ, & manifestationis gloriæ suæ, qui est primus finis intentus à Deo in operibus ad extra) dividitur in triplex signum. In primo signo voluit Deus dare humanitati Christi summã gloriam. In secundo summam gratiã. Et in tertio vnire illam hypostaticè Verbo; sicque fuit completus ordo prædestinationis Christi.

133

Secundũ instans, scilicèt, gloriæ, dividitur in duplex signũ. In primo signo voluit Deus dare gloriã hominibus. In secũdo propter merita Christi abstrahentia à carne passibili prædestinavit electos, & circa reprobos se habuit mere negativè. Tertiũ instans, scilicèt, gratiæ, non dividitur, in signa, in illoque voluit Deus dare hominibus ad gloriam consequendam omnia dona gratiæ necessaria, & hæc suo ordine.

134

Quartum instans, scilicèt, naturæ dividitur in triplex signum. In primo propter electos, & propter Christum voluit Deus creare hunc mundũ sensibilem, quem disposuit ordine in Genesis narrato. In secundo vidit Deus hominem casurum, & omnes electos

135

cum ipso. (Christo, & Maria exceptis) In tertio denique providens de remedio decrevit Christum venturum in carne passibili in medelam peccati.

136 Dividendo decreta Dei in signa, & hæc in alia subdividendo, sic procedit Scotus. In primo signo Deus se intellexit sub ratione summi boni. In secundo intellexit creaturas omnes. In tertio prædestinavit electos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actū negativum. In quarto vidit illos casuros in Adā. In quinto tandē providit de remedio per merita Christi.

137 Primum signum subdividitur in duplex. In primo Deus se intellexit sub ratione summi boni. In secundo se amavit, & in hoc fuit perfectè beatus. Secundum in duplex etiam subdividitur. In primo Deus intellexit creaturas, vt possibiles scientia simplicis intelligentiæ. In secundo illas amavit amore complacentiæ, & in hoc signo completus est ordo possibilitatis rerum.

138 Tertium signum in quadruplex subdividitur. In primo Deus prædestinavit Christum, tanquam medium altius ad manifestationem suorum attributorum. In secundo prædestinavit alios propter Christum. In tertio decrevit eis dare gratiam, & alia dona, vt medium ad consecutionem gloriæ. In quarto propter electos decrevit creare mundum, & omnia bona naturalia, & in hoc signo completur ordo prædestinationis, ordo gloriæ, ordo gratiæ, & naturæ absolutè consideratus.

139 Quartum signum in tria subdividitur. Primo voluit Deus condere pactum cum Adamo, vt si de ligno non comederet, iustitia originalis transfunderetur in posteros. Secundo voluit permittere violationem legis. Et tertio vidit transgressum eius, sicque completus fuit ordo lapsus hominis. Quintum signum non subdividitur, in illoque decrevit Deus Christum venturum passibilem per mortem, & Crucem suam in remediū peccati. His itaque circa ordinem decretorum Dei statutis. Sit.

140 2. Conclusio. Secunda conclusio: *Ordine intentionis prius fuit volitus Christus quoad substantiam Incarnationis, quam res ordinis naturalis, & pertinentes ad ordinem gratiæ, & permissio peccati in genere causæ finalis.* Seu quod idem est: *Decretum Incarnationis secundum substantiam ordine intentionis præcessit prævisionem peccati in genere causæ finalis.* Hæc conclusio est Scoti *cit. num.* 132. in ipsaque convenit Ill. Godoy *num.* 115. ipsamque probant omnia loca Scripturæ, in quibus affirmatur: Christum fuisse primum prædestinatum. Prov. *cap.* 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ad Hæbreos 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filij sui, vt sit ipse primogenitus.* Ad Colos. 1. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniversa omnia, per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes.* 1. ad Corint. 3. *Omnia vestra sunt; vos autem Christi; Christus autem Dei*, in quibus ordo decretorum ab Scoto positus clarescet.

141 Dices. Nec dicas: prædicta loca intelligi de Christo, vt Deo. Nam Concilium Ephesinum *tom.* 1. *cap.* 4. prædicta verba Paulī exponit de Christo, vt homine. Nec iterum dicas: Christum appellari primum prædestinatum ordine dignitatis; non tamen ordine prioritatis, & causalitatis; Quia illa verba Paulī, scilicèt, *Omnes esse prædestinatos ad exemplar Christi, & quod omnia per ipsum facta sunt* expressè sonant ordinem causalitatis, & prioritatis; nam ly *ad exemplar* dicit causalitatem; & ly *per ipsum* prioritatem, vt ex terminis patet.

142 Conclusio probatur ratione Scoti. 1. Probatur conclusio ratione Scotī: ordinatè volēs prius vult finem, & ex illo, ea quę sunt fini propinquiora; sed Deus est ordinatè volens: ergo prius vult finem, & ex illo ea, quæ sunt finī propinquiora. Atqui fini primo intēto per voluntatem Divinam in productione vniversi, scilicèt, manifestatione suæ bonitatis, & attributorum, humanitas Christi est propinquior, quam res aliæ ad ordinem vniversi spectantes: ergo Deus prius vult humanitatem Christi, quam res aliæ ad ordinem vniversi spectantes. Maior latè probata manet *tom.* 2. *in* 1. *sent. tract. de Prædest. disput.* 65. §. 4. Minor, & consequentia tenent. Sumpta probatur: humanitas perfectior est cæteris alijs rebus; nā sola ipsa plus gratiæ

par-

participavit, quam tota hominum, & Angelorum collectio: ergo est propinquior. Hæc consequentia claret; quia quod est perfectius, est fini propinquius; sed per te humanitas est perfectior cæteris alij rebus: ergo, &c.

143 *Probatur 2.* Probatur secundo conclusio: intentio finis prior est in genere causæ finalis volitione, aut electione eorum, quæ ordinantur ad ipsum; sed Christus est finis omnium, quæ Deus produxit: ergo prius fuit volitus Christus ordine intentionis, quam res aliæ ad ordinē vniversi spectantes. Maior est apud omnes vera. Consequentia legitima Minor in verbis Apostoli expressa, & vltrà probatur: potuit Deus intendere Christum, vt talem finem: ergo sic de facto fuit intentus; cum hoc cedat in gloriam Christi.

144 *Probatur 3.* Probatur tertio: finis *cuius gratia* magis diligitur, quam id, quod propter illum diligitur iuxta axioma: *propter quod vnumquodque est tale, & illud magis* quod saltim in causis finalibus est certum; sed Christus fuit à Deo magis dilectus, quā totū genus humanū: ergo fuit finis *cuius gratia* in productione vniversi. Atqui finis *cuius gratia* prius intenditur, quā cætera, quæ sunt propter ipsum: ergo cum Christus sit talis finis, est prius volitus, quā cętera alia ad ordinem vniversi spectantia.

145 *Probatur 4.* Probatur quarto: consonum, & rationi consentaneum est, vt id, in quo Deus speciali modo reperitur, sit finis aliorum; sed in humanitate Christi speciali, & ineffabili modo plenitudo Divinitatis reperitur: ergo consonū, & rationi consentaneum est, vt Christus sit finis aliorum, & consequentèr prius volitus ordine intentionis. Minor, & consequentia tenent. Maior verò hac paritate probatur: quia enim in anima Iusti Deus speciali modo reperitur, ad Iustū, tanquā ad finē, cætera naturalia ordinatur: ergo, &c.

146 *Probatur 5.* Probatur quinto: de Divinis decretis, & eorū motivis semper discurrendum est consentanee ad naturas rerū, nisi oppositum sit revelatum; sed magis cōsonum est naturis rerum, quod genus humanum ordinetur ad Christum, vt ad finem, quam è contra, & oppositum non est revelatum: ergo magis consonum naturis rerum est, quod ad Christum, vt ad finem, genus humanum ordinetur: ergo prius, quā genus humanum, fuit volitus Christus ordine intentionis. Maior constat: quia Deus naturis rerum se atemperat, cum illisque conformatur. Probatur minor: magis consonum est naturis rerum, quod minus perfectū ordinetur ad magis perfectum vt ad finem, quam è contra; sed genus humanum est minus perfectum, & Christus magis perfectus: ergo, &c.

147 *Probatur 6.* Probatur denique ad hominem cōtra Thomistas aliquos hoc negantes: nam D. Thomas contra Henricum de Gandabo *in quodlibeto* 14. dicentē: bonum vsum liberi arbitrij fuisse prius prævisum, vt motivum decretandi prædestinationem hominum, sic arguit: bonus vsus liberi arbitrij adhuc prævisus est effectus gratiæ; sed gratia est effectus prædestinationis: ergo bonus vsus liberi arbitrij non fuit prius prævisus, vt motivum prædestinandi; quia effectus prædestinationis nō prævidetur, vt causa ad prædestinationem. Sic D. Thomas. Nunc autem contra prædictos Thomistas sufficiat summo argumentum: redemptio hominis à peccato adhuc prævisa, est effectus gratiæ Christi; sed gratia Christi est effectus prædestinationis Christi: ergo redēptio hominis à peccato non fuit prius prævisa, vt motivum prædestinandi Christum. Videant nunc Thomistæ, argumentum eandē vim habere contra ipsos, ac habet contra Henricum.

148 Argumenta contra nostram conclusionem alia sunt ab authoritatibus Scripturæ, & Patrum dicentium: decretum Incarnationis fuisse ob redēptionē generis humani, & sic post prævisionem peccati, quę soluta manent *n.* 44. & 46. Alia sunt à ratione, intenduntque ordinem naturæ præcedere ordinem gratiæ, vt subiectum antecedit accidens, & substantia prædestinati gratiam: quæ soluta sunt *in tom. 2. in 1. sent. tract. de Prædest. disp. 62 num. 128.* vbi dicitur: quod prætèr substantiam prædestinati omnia bona naturæ sunt effectus prædestinationis, consequentèrque ordine intentionis prædestinatione posteriora.

149 *Tertia conclusio.* Tertia conclusio: *Christus, vt passibilis, seu vt redemptor non fuit ordine intentionis prius volitus, quam res ordinis vniversi, & quam permissio peccati in genere*

causæ finalis; seu quod idem est: *Decretū Incarnationis quoad circunstantiā passibilitatis, vel Christi, vt redemptoris, non præcessit prævisionem peccati ordine intentionis in genere causæ finalis.* Sic Scotus *citatus*, cuius oppositum tenet Ill. God. *dicto n.* 115. contra quem probatur primo: sicut passibilitas, & mortalitas supponunt peccatum, in cuius pœnam passibilitas, & mortalitas succedunt loco impassibilitatis, & immortalitatis, quas habuisset natura humana in statu Innocentiæ; ita redemptio supponit captivitatem, ad quam redimendam ordinatur redemptio; sed decretū de passibilitate non præcessit prævisionem peccati: ergo nec decretum Incarnationis, vt est redemptio. Roboratur, & confirmatur ratio: Christus, vt redemptor, & passibilis, est medicus, & medicina: ergo supponit morbum, & infirmitatem. Probatur consequentia: quia medicus, vt medicus, & medicina, vt medicina, faciunt sensum reduplicativum, debent supponere rationem reduplicationis, scilicèt, infirmitatem, & morbū; sed Christus, vt redemptor, & passibilis facit sensum reduplicativum: ergo supponere debet rationem reduplicationis, scilicèt, infirmitatem, & morbum: ergo supponit morbum, & infirmitatem.

Prob. 1. cōtra Ill. Godoy.

150 *3. Paritate prob. conclus. ad hominem cōtra Ill. Godoy.*

Probatur secundo eadem conclusio paritatibus ad hominem cōtra Ill. God. Prima: pœnitentia, vt est purè remissiva peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati: ergo paritèr: Incarnatio, vt est medicina peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati. Secunda: efficax exclusio à gloria per modum pœnæ non fuit decretata ante prævisionem peccati originalis: ergo similitèr de Incarnatione. Tertia: pœna, vt pœna, non decretatur ante prævisionem culpæ: ergo Incarnatio, vt est medicina peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati.

Antecedens huius triplicis paritatis est Ill. Godoy *tom. 2. in 1. p* nam primum docet *disput. 63. num* 67. de quo plura ibi diximus. Secundum habet *disput. 69. num. 95.* Tertium concedit *disput. 65. num. 79.* Consequentia autem probatur: ideò pœnitentia, vt est purè remissiva peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati (& simillitèr de alia duplici paritate) quia pœnitentia, vt est purè remissiva peccati, supponit peccatum, vtpotè essentialitèr ab illo dependens; atqui Incarnatio, vt est medicina peccati, supponit peccatum, vtpotè, essentialitèr ab illo dependens: ergo Incarnatio, vt est medicina peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati.

Consequentia probatur.

Nec valet effugium de ordine executionis, & intentionis, scilicèt, quod Incarnatio, vt medicina peccati, sit decretata ante prævisionem peccati ordine intentionis; non verò ordine executionis. Non valet; quia antecedens triplicis paritatis concedit Ill. Godoy in ordine intentionis, vt claret ex ipso locis citatis. Nec etiam valet effugium disparitatis, scilicèt, quod pœnitentia, vt est purè remissiva peccati, exclusio à gloria per modum pœnę, & ipsa pœna esse bona occasionata; non verò Incarnatio, vt medicina. Non valet; quia hoc validissimis rationibus impugnatum manet *tom. 2. in 1 disput. 65. à num. 237. vsque ad num. 248.* loquendo de gloria, vt corona, quod idem est, ac de Incarnatione, vt medicina peccati, imò hoc magis vrget. Nec denique dicere valet: posse componi vnum esse priùs volitum in genere causæ finalis, & posteriùs in genere causæ materialis, quod est præsens assertum Ill. Godoy. Non denique valet; quia hoc refutatum manet *tom. cit. disput. 62. à num. 11. vsque ad 16.* & refutabitur infrà.

151 *3. Effugiū Ill. Godoy præcluditur.*

Probatur tertio conclusio ad hominem contra Thomistas fatentes cū communi sententia Scotistarū in tractatu de Prædestinatione: primum decretum prædestinationis, quod fuit ante prævisionem meritorum, non fuisse circa gloriam, vt præmium, & coronā reduplicativè, sed circa gloriam, vt hæreditatem, quia præmium supponit meritum, & corona certamen, in quo coincidere videtur Ill. Godoy *tom. 2. in 1. part. disp. 65. n. 124.* Infero nunc contra ipsos: ergo Incarnatio, vt medicina peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati. Probatur consequentia: non minus medicina peccati supponit peccatum,

152 *Prob. 3. cōclusio.*

ac præmium meriti supponit meritum; sed præmium per vos ita supponit meritum, quod præmium, vt præmium, non decretetur ante prævisionem meriti: ergo nec medicina, vt medicina, ante prævisionem peccati: ergo Incarnatio, vt medicina peccati, non fuit decretata ante prævisionem peccati.

153 4. Conclusio. Quarta conclusio: *Ordine intentionis Christus, vt redemptor, non fuit prius volitus, quam permissio peccati in genere causæ finalis, & posterius in genere causæ materialis.* Hæc conclusio est contra Ill. Godoy *num.* 115. & probatur primo: cum prioritate in genere causæ materialis in ordine intentivo nequit stare posterioritas in genere causæ finalis; sed prioritas permissionis peccati respectu Christi, vt redemptoris, est in genere causæ materialis per modum materiæ destruendæ in ordine intentivo: ergo nequit stare, quod permissio peccati sit prior in genere causæ materialis in ordine intentivo; & quod sit posterior in genere causæ finalis: ergo in ordine intentionis Christus, vt redemptor, non fuit prius volitus, quam permissio peccati in genere causæ finalis, & posterius in genere causæ materialis. Hæc consequentia claret: quia si ordine intentivo Christus, vt redemptor, esset prius volitus, quam permissio peccati in genere causæ finalis; & posterius in genere causæ materialis; Christus, vt redemptor, in ordine intentivo esset in genere causæ finalis prior permissione peccati, & ipsa posterior in genere causæ materialis; permissio autem peccati esset prior in genere causæ materialis; & posterior in genere causæ finalis. Prima consequentia ex præmissis infertur. Ex præmissis autem minor est Ill. Godoy *num.* 131.

Probat. 1.

154 Maior probatur 1. Maior vero, in qua solum potest esse difficultas, probatur primo: non minus repugnat prioritas, & posterioritas in eodem ordine, ac in eodē genere causæ; sed cum prioritate in vno genere causæ nequit stare posterioritas in illo genere: ergo nec cum prioritate in vno ordine stare poterit posterioritas in illo ordine: ergo cum prioritate in genere causæ materialis in ordine intētivo nequit stare posterioritas in genere causæ finalis.

155 Probatur 2. Probatur secundo prædicta maior, & simul confirmatur prima probatio: hoc principium: *Cum prioritate in vno genere stat posterioritas in alio*, ortum habet ex prioritate, & posterioritate causæ finalis, & efficientis: ergo illud principium ortum habuit non solum ex prioritate, & posterioritate in diverso genere causæ, sed etiam in diverso ordine: ergo non minus repugnat prioritas, & posterioritas in eodē genere causæ, ac in eodem ordine. Atqui cū prioritate in eodem genere causæ nequit stare posterioritas in illo genere: ergo, &c. Antecedens est manifestū; alioquin assignet Ill. God. vndè ortum habuit illud principium.

Consequentia verò prima, in qua stat tota difficultas, probatur: illud principium ortum habuit per te ex prioritate, & posterioritate causæ efficientis, & finalis; sed prioritas, & posterioritas harum causarum non solū sunt in diverso genere causæ, sed etiā in diverso ordine: ergo illud principium ortum habuit ex prioritate, & posterioritate non solum in diverso genere, sed etiam in diverso ordine. Minor pro prima parte est evidens. Pro secunda probatur: prioritas causę finalis respectu efficientis est in genere intentivo, eiusque posterioritas in genere executivo; è converso verò prioritas, & posterioritas causæ efficientis respectu finalis, vt apud omnes claret: ergo prioritas, & posterioritas harum causarum sunt in diverso ordine.

156 Prob. 2. cōclusio ad hominem cōtra Ill. Godoy. Probatur secundo conclusio: ideò Christus, vt redemptor, esset volitus ordine intentionis prius, & posterius, quam permissio peccati, & è contra, permissio peccati esset prævisa ordine intentionis prius, & posterius; quā Christus, vt redemptor, quia non repugnat inter duo mutua causalitas in diverso genere causæ; sed excepta finali, & efficienti, hoc de alijs est falsū: ergo cum causalitas inter decretū Incarnationis Christi, vt redēptoris & permissionē peccati non sit in genere finali, & efficiēte, sed in genere finali, & materiali, vt tenet Ill. God. falsum est, quod ordine intentionis Christus, vt redēptor sit in genere causæ finalis prius volitus, quā permissio peccati, & posterius in genere causæ materialis

Probatur minor: causa regulativa, & motiva sunt causę in diverso genere; sed repugnat inter hæc duo mutua causalitas: ergo, &c. Consequentia est legitima. Præmissæ autē sunt Ill. God. *tom. 1. in 1. p disp. 25. n. 78.* vbi clarè, & expresè impugnat mutuā præcedētiā inter intellectionē, & causam regulātē, & volitionē, vt causā motivā. Hæc probatio est ad hominem contra Ill. God. & quæcumque ad illam solutio, si attentè inspiciatur, erit cōtra ipsum.

157 *Prob. 3. cōclus. ad homin. contra Ill. Godoy.*

Probatur tertio conclusio ad hominē contra Ill. God. quod est prius in genere causæ materialis, potest in genere causæ finalis esse posterius, vt in præsenti asserit de permissione peccati respectu decreti Incarnationis Christi, vt redemptoris; atqui quod est prius in genere causæ materialis, potest esse posterius in genere causæ efficientis, vt de substantia genita, & generatione fatetur *tom. 2. in 1. p. disp. 62. n. 6.* & quod est prius in genere causę efficientis, & materialis potest esse posterius in genere causæ finalis, vt fatetur ibidem de potentia vitali, & actu illius: ergo omnes causæ possunt sibi invicem esse causæ in diverso genere causæ. Consequentia infertur ex ab ipso traditis, & doctrina generali illius ostenditur manifestè: quia, vt ipse ait, non repugnat mutua inter duo causalitas in diverso genere causæ: ergo omnes causæ iuxta ipsum possunt esse sibi invicem causæ in diverso genere causæ.

158

Sustummo nunc: atqui hoc est contra bonā phyloſophiam, iuxta omnes Thomistas, quos viderim, & quod magis est, & ad intentū facit, est cōtra ipsū Ill. God. ergo contra bonā phyloſophiā, contra omnes, & contra ipsū est, asserere: quod id, quod est prius in genere causæ materialis, potest esse posterius in genere causæ finalis: ergo cōtra bonā phyloſophiā, & cōtra ipsum est conclusio, quā statuit. Prima pars sustumptæ cōstat ex dictis *n. 155.* Secūda verò est mihi certa, quia apud nullū ex Thomistis vidi, quod materia, & efficiens possint sibi invicē esse causæ; & quidquid sit de his, tertia pars, quę ad intentum facit, probatur: causa regulativa, & causa motiva sunt causæ in diverso genere causę; sed falsum est apud Ill. God. quod causa regulativa, & motiva possint sibi invicem esse causæ, ex dictis *num. 156.* ergo cōtra ipsum est, quod omnes causæ possint sibi invicem esse causæ.

159 *Prob. 4. ratione fundam.*

Probatur denique conclusio ratione fundamētali: Christus, vt redemptor, fuit volitus in ordine intentionis ob redimendū hominē à peccato, tāquā propter finē Christi, vt redēptoris: ergo Christus, vt redēptor, nō fuit in ordine intētionis priùs volitus, quā permissio peccati in genere causę finalis. Antecedens constat ex illis verbis symboli Nicenæ: *Qui propter nos homines, & propter nostrā salutē descendit de Cœlis, & Incarnatus est.* Consequentia patet: nā licèt possit inter duo extrema dari mutua causalitas in diverso genere causæ; in eodē tamē genere, vel ordine, mutua, & reciproca causalitas inter duo extrema dari non potest: ergo si remediū peccati fuit finis Christi, vt redēptoris, Christus, vt redēptor, non fuit finis remedij peccati, & consequenter nec priùs volitus ordine intentionis, quam permissio peccati in genere causæ finalis.

160 *1. Notat Ill. Godoy pro responsione.*

Hæc est probatio, quæ absque dubio tangit difficultatē, vt fatetur Ill. God. *n. 162.* pro cuius solutione, aliorū solutionibus prępmissis, vt quā veriorem iudicat, explicèt, animadvertit primo *n. 183.* remediū peccati posse dupliciter sumi, videlicet, activè, & passivè. Primo modo sumptū idem est, quod activa redēptio, quę simul cū substantia Incarnationis fuit volita ex vi eiusdem decreti, tanquā finis omniū rerū; quia in substantia Incarnationis, & in redēptione activa est eadē ratio amabilitatis, & dignitatis, nempè, coniūctio ad personā Verbi. Secundo autem modo sumptū asserit, esse finē effectus respectu Incarnationis, seu finē *cui, & vtilitatis*; quia homo est, cui ex Incarnatione vtilitas provenit, libertas, scilicèt, à peccato; nō autē finē *cuius gratia* Incarnationis, sed potius remediū peccati est propter Incarnationem, vt finē *cuius gratia* ob rationes, quibus secundam conclusionem mostravit.

161 *2. Notat.*

Pro quo (prosequitur *n. 184.*) est secundo advertenda doctrina D. Thomæ *in 2. sent. dist. 15. q. 1. artic. 1. ad 6.* illis verbis: *Dicendum, quod aliquid potest esse propter aliud dupliciter: aut quia ordinatur ad ipsum, sicut ad finem proprium, &*

prin-

principalem, & sic inconveniens est dicere, quod aliquid sit propter vilius se, & Luna, & Stellæ propter noctuas, & vespertiliones, cum finis potior sit iis, quæ sunt ad finem. Alio modo potest dici aliquid esse propter aliud, cui ex ipso provenit aliqua vtilitas eo modo, quo posset dici Rex esse propter rusticum, ex cuius regimine provenit ei pax: & per hunc modum est intelligendum, quod in littera dicitur: omnes enim vtilitates, quæ ex corporibus cœlestibus proveniunt in inferioribus, sunt à Deo prævisse, qui corpora illa instituit. Quam doctrinã etiam tradiderat *in 1. d. 37. q. 4. art. 1. Et in 2. dist. 1. q. 1. art. 3. in corpore.*

Respondet. Ex illaque habetur, & argumenti solutio, & confirmatio doctrinæ ab illo traditæ *in 2. concluſ.* Si enim inconveniens reputat D. Thom. quod Luna, & Stellæ factæ sint propter noctuas, & vespertiliones, tanquam propter proprium finem, hoc est, finem *cuius gratia*, non autem tanquã propter finẽ *cui* ex Luna, & Stellis vtilitas sequitur, & quod Rex factus sit propter rusticũ, vt finem *cuius gratia*, non autem vt finem *cui vtilitatis*, inconveniens etiam debet censeri, quod remedium peccati, vel homo, vt redimens ab illo, sit finis proprius, hoc est, finis *cuius gratia* Incarnationis Verbi, non autem quod sit finis effectus illius, seu finis *cuius, & vtilitatis*, quatenus homini ex Incarnatione hæc vtilitas est secuta; nempè, remedium peccati, cum quo rectè compatitur, quod remedium peccati fuerit ad Incarnationem ordinatum, vt ad finem *cuius gratia*; quia est diversus modus causandi intrà genus causæ finalis.

162 *Falsitas solutionis ostenditur ex falsitate duplicis notabilis.* Sed quam veritatem hæc habeat solutio, duplex notabile enarrat; nam in primo falsum supponit, scilicèt, quod remedium peccati activè sumptum, quod est redemptio activa, sit finis omnium rerũ, & quod passivè sumptum sit finis effectus respectu Incarnationis, seu finis *cui, & vtilitatis*, quod esse falsum satis constat ex probationibus quartæ conclusionis, ampliusque ex dicendis constabit. Secundum verò notabile multum probat, vt ostendemus *num. sequenti.* Vltrà hæc tamen falsitas solutionis satis apparet ex impossibilitate mutuæ causalitatis inter Christum, vt redemptorem, & permissionem peccati in ordine intentivo, de quo dictum est satis. Quo pro dicto habito.

163 *Impugnatur solutio Ill. Godoy.* Impugnatur primo solutio Ill. Godoy: nam sequitur ex illa, Incarnationem futuram fuisse, quamvis homo à peccato redimendus non esset; consequens est contra ipsum: ergo & tradita solutio. Probatur sequela ex D. Thoma *in 2. dist. 1. quæst. 1. art. 1. in corpore*, illis verbis: *Et sic dicitur, esse propter aliud omne id, ex quo provenit ei vtilitas, sed hoc contingit dupliciter: aut ita quod illud, ex quo provenit alicui vtilitas non habet participationem Divinæ bonitatis, nisi secundum ordinem eius, ad hoc, cui est vtile: sicut sunt partes ad totum, aut accidentia ad subiectum, quæ non habent esse absolutum, sed solum in altero, & talia non essent, aut fierent, nisi illud esset, cui ex eis provenit vtilitas. sed quædam sunt, quæ habent participationem Divinæ bonitatis absolutam, ex qua provenit aliqua vtilitas alicui rei, & talia essent, etiam si illud, cui ex eis provenit vtilitas, non foret, & per hunc modum dicitur, &c.* At Incarnatio Verbi habet participationẽ Divinæ bonitatis absolutam, & non solum in altero, sicut accidentia in subiecto, nec ad alterum, sicuti partes ad totum; cum sit bonum excellentissimum omniũ, quæ Deus ad extra produxit: ergo si solum fuit propter hominem; vt cui ex eã provenit vtilitas reparationis a culpa, foret Incarnatio, etiam si nec peccatum existeret, nec homo esset redimendus ab illo.

164 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num. 187.* D. Thomã *ibi* loqui de creaturis ad ordinem naturæ spectantibus, quæ cum exigantur propter se à natura, quando absolutam participant Dei similitudinem; & non in altero, vel ad alterum, essent, quamvis non existerent, illa, quorum vtilitati deserviunt. Incarnatio autem, cum sit suprà exigentiam, & debitum naturæ, non foret, si non esset homo redimendus, cui vtilitas redemptionis proveniret ex illa; quia non nisi, vt inferens homini prædictam vtilitatem, illamque causans fuit de facto volita, & amata à Deo, ideòque, etsi absolutam, & perfectissimam Dei similitudinem participet, non foret, si peccatum non esset, & homo redimendus ab illo.

165 *Contra.* Hæc tamen responsio reiecta manet per probationes primæ conclusionis relatas §. 2. & 3. præsertim per sextam

probationem *num.* 40. positam, quam hic repetere cogimur. De Divinis decretis, & eorum motivis semper discurrendum est consentanee ad naturas rerum, nisi oppositum sit revelatum; sed decretum de existentia creaturarum participantium absolutã Dei similitudinem infert existentiam illarum, quamvis nõ existerent illa, quorum vtilitati deserviunt: ergo sic discurrendum est de decreto Incarnationis; cum oppositum non sit revelatum; alioquin de fide esset, Incarnationem non fore, peccato non existente. Maior est Ill. God. *num.* 122. vbi illam expræssè habet, illamque probat, & per illam convincit: Christum quoad substantiã Incarnationis fuisse ordine intentionis priùs volitum, quã permissio peccati. Minor est ipsius responsio. Consequentia est legitima.

Sussummo nunc contra ipsum; atqui Incarnatio Verbi habet participationem absolutam bonitatis Divinæ; cum sit excellentissimum bonũ, quod Deus ad extra produxit: ergo decretum de existentia Incarnationis Verbi infert existentiam Incarnationis, quamvis non existerent illa, quorum vtilitati deseruit: ergo quamvis peccatum non existeret, nec redimendus esset homo, cuius vtilitati deseruit Incarnatio iuxta Ill. God. Incarnatio foret. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima ex sussumpta. Sussumpta est Ill. God. in responsione.

166 *Impugnatur 2.* Impugnatur secundo prædicta Ill. Godoy solutio: finis *cuius gratia* dicitur ille, cuius gratia aliquid amatur, & fit; sed Incarnatio, vt redemptio, fuit facta, & amata à Deo gratia nostræ salutis, libertatisque à peccato: ergo salus nostra fuit finis *cuius gratia* Incarnationis, vt est redemptio: ergo nõ est finis *cui*, & *vtilitatis*, seu finis effectus respectu Incarnationis, vt est redemptio: ergo ruit solutio. Probatur minor: aliquid esse factum, & amatũ propter aliud, idem est, ac esse factũ, & amatum gratia illius; sed Incarnatio, vt est redemptio, fuit facta, & amata à Deo propter nostram salutem, vt expræssè claret ex verbis symboli: ergo, &c.

165 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. God. *num.* 186. concessa maiori, negando minorem, ad illius probationem distinguit maiorem: esse amatum propter aliud, tanquam propter finem proprium formalizantem amabilitatẽ voliti propter ipsum concedit maiorem: tanquã propter finem effectum non formalizantem amabilitatem voliti propter ipsum negat maiorem, & sub eadem distinctione minoris, negat consequẽtiam; quia in hoc modo discurrendi, quem probabiliorem iudicat, tametsi nostra salus fuerit aliquomodo, & secundum quid ratio volendi Incarnationem, quatenus Incarnatio fuit volita in ordine ad nostram salutem, vt ad finem effectum, & homini redimẽdo, vt fine *cui* vtilitatis; non tamen fuit ratio formalis, sub qua Incarnatio fuit volita à Deo; quia ad hoc requirebatur, quod Incarnatio eligeretur, vt medium propriè sumptum respectu nostræ salutis, quod inconveniens iudicat, fundatus in verbis Angelici Præceptoris superiùs adductis: & hoc necessarium erat, vt salus hominum obtineret rationem finis *cuius gratia* respectu Incarnationis, provt de facto fuit volita à Deo.

168 *Contra 1.* Hæc solutio eadem est cum suprà ab ipso datis, ideòque reijci debet suprà positis impugnationibus. Vltrà quod. Contra primo: Incarnatio, vt est redemptio, est medium propriè sumptum respectu nostræ salutis: ergo sic fuit à Deo volita: ergo salus nostra est finis *cuius gratia* Incarnationis, vt redemptio est: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Incarnatio largè accepta, scilicèt, pro vnione naturæ creatæ, & Divinæ in supposito increato, est medium propriè sumptum respectu satisfactionis condignæ pro peccato generis humani: ergo, &c. Consequentia est paritate evidens; nã si inconveniens non est, vt Incarnatio largè accepta sit medium propriè sumptum respectu satisfactionis condignæ pro peccato generis humani, nec inconveniens erit, quod Incarnatio, vt est redemptio, sit mediũ propriè sumptum respectu nostræ salutis.

Antecedens verò probatur: id est medium propriè sumptum respectu alicuius, quod est necessariũ ad illius consequtionem; sed Incarnatio largè sumpta fuit necessaria ad satisfaciendum condignè pro peccato generis humani: ergo, &c. Consequentia est

legitima. Maior ex terminis est manifesta, in quocumque medio propriè sūpto. Minor est III. God. *disp. 2. n. 91.*

169 *Contra 2.* Contra secundo: licèt Incarnatio non fuerit simpliciter necessaria ad redimendum hominē à peccato, negari tamen nequit, quod fuit necessaria ad melius esse: ergo fuit medium propriè sumptum respectu nostræ salutis: ergo fuit solutio III. God. Antecedens videtur esse huius Doctoris *disput. 2. num. 91.* vbi Incarnationem esse simpliciter necessariam ad reparandū hominem à peccato, negat duntaxat; vltrà quod probatur: nam id, quo cōmodius aliquid cōsequitur, est necessariū ad melius esse, vt patet in equo ad iter faciendum; sed commodius Incarnatione fuit assecuta redemptio hominis à peccato: ergo negari nequit, quòd Incarnatio fuit necessaria ad melius esse respectu redemptionis hominū à peccato. Verum igitur est antecedens. Nunc autem probatur consequentia: id est medium propriè sumptum respectu alicuius, quod ad illius consecutionem est necessarium ad melius esse; sed iuxta concessa negari nequit, quod respectu redemptionis hominum à peccato Incarnatio fuit necessaria ad melius esse: ergo Incarnatio fuit medium propriè sumptum respectu nostræ salutis. Minor, & consequentia tenent. Maior verò patet exemplo equi ad iter faciendum, de quo negari nequit, quod est medium propriè sumptum.

170 *Contra 3.* Contra tertio. Incarnatio fuit conveniens ad redimendum genushumanum: ergo Incarnatio fuit medium propriè sumptum respectu nostræ salutis, & consequenter fuit solutio. Antecedens est Theologorum commune, & probatione consequentiæ probabitur. Probatur consequentia: ratio, qua Theologi probant, quod Incarnatio fuit conveniens ad redimēdum genus humanū, probat evidenter, quod Incarnatio fuit mediū propriè sumptum respectu nostræ salutis: ergo Incarnatio fuit medium propriè sumptum respectu nostræ salutis. Probatur antecedens: ratio, qua Theologi id probant, est hæc: *Quod est vtile ad consequendum finem, est conveniens; sed Incarnatio fuit vtilis ad consequendam redemptionem;* nam satisfecit Christus superabundantèr pro toto genere humano: *Ergo Incarnatio fuit conveniens ad redimendum genus humanum*; atqui quod est vtile ad consequendum finem, est medium propriè sumptum respectu illius: ergo, &c.

Contra 4. Contra quarto: redemptio hominum à peccato verè, & propriè facta est, in quo nulli Catholicorum potest esse dubium: ergo per aliquid, quod verè, & propriè fuit medium; atqui non per aliud, nisi per mortem, & passionem Christi: ergo mors, & passio Christi fuit medium verè, & propriè respectu redemptionis hominū à peccato: ergo Incarnatio, vt est redemptio, fuit medium propriè sumptum respectu redemptionis hominum à peccato.

171 *Impugnatur 3.* Impugnatur tertio allata solutio: finis adæquatè dividitur in finem *cui*, & finem *cuius gratia*; sed remedium peccati fuit finis Incarnationis, quando quidem fuit ratio, & motivum illius, & non finis *cui*, *& vtilitatis*; non enim est nostra salus, cui vtilitas sequitur ex Incarnatione, sed homo, cui salus confertur: ergo libertas hominum à peccato fuit finis *cuius gratia* Incarnationis. Cofirmatur: sanitas enim non est finis *cui* medicinæ; sed finis *cuius gratia*; homo autem est finis *cui*; quia illi vtilitas provenit ex sanitate: ergo salus nostra non est finis *cui* respectu Incarnationis, sed finis *cuius gratia*; homo autem finis *cui*, quia illi vtilitas provenit. *Confirm.*

172 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num. 190.* finem *cuius gratia* esse absolutè, & simpliciter finem, ex quo, & fine *cui* vnica, & adæquata causa finalis conflatur; finem autem effectum esse secundum quid, & reductivè finem *cuius gratia*, & subiectum, cui vtilitas ex tali fine consequitur, esse reductivè finem *cui*; ex quo tantum sequitur, remediū peccati sumptum passivè fuisse finem *cuius gratia* non simpliciter, sed secundum quid respectu Incarnationis. Ad confirmationem concesso antecedēti, distinguit consequens: finis *cuius gratia* simpliciter negat consequentia; reductivè, & secundum quid concedit consequentiam. Ratio autem, cur sanitas est finis *cuius gratia* simpliciter medicinæ; secus autem nostra salus respectu Incarnationis, est, quia sani- *Ad confirmat.*

tas est ratio obiectiva formalis amandi medicinam, v.g. sumendi potionē amaram; salus autem nostra non ita respectu Incarnationis, sed hæc propter se amatur à Deo ly *propter* dicente rationem formalem obiectivam terminandi amorem Divinum; in ordine tamen ad salutem nostram, vt ad finem effectum per se à Deo intentū, saltim virtualiter in decreto Incarnationis; quem admodū amor causæ, in quātū talis, est virtualis amor effectus.

173 *Contra 1.* Hæc itaque solutio nihil addit ad suprà datas. Vndè licèt ad nobam impugnationem nos non cogat, de nobo tamen contra ipsum insurgā quod est nobiter insurgere contra omnes. Contra primo: id propter quod Incarnatio ita intenditur, vt illo non stante in genere intentionis, Incarnatio non foret intenta, est finis *cuius gratia* absolutè, & simpliciter Incarnationis; atqui Incarnatio ita fuit à Deo intenta propter remediū peccati, vt remdio peccati nō stante in genere intentionis, Incarnatio non foret intenta: ergo remediū peccati est finis *cuius gratia* absolutè, & simpliciter Incarnationis: ergo non tantum secundum quid, & reductivè. Secunda consequentia ex prima infertur; prima autē ex præmissis. Ex his minor est Ill. God. tenētis: nullo modo Verbum carnem assumere, peccato non existente.

Maior verò probatur: id propter quod Incarnatio ita intenditur, vt illo non stante in genere intentionis, Incarnatio non foret intenta, formalizat propter ipsum amabilitatem Incarnationis; & est ratio formalis obiectiva terminandi amorē Incarnationis; sed id, quod propter ipsum formalizat amabilitatem Incarnationis, seu est ratio formalis obiectiva terminandi amorem Incarnationis, est finis *cuius gratia* absolutè, & simpliciter Incarnanis, vt habet Ill. God. *numer.* 189. & 190. ergo, &c.

174 *Contra 2.* Contra secundo: quod Incarnatio propter se ametur à Deo, ly *propter* dicente rationem formalem obiectivā terminandi amorem Divinum; non tollit, quod Incarnatio ametur à Deo propter remedium peccati, ly *propter* dicente rationem formalem obiectivam terminandi amorem Divinum; atqui id, propter quod Incarnatio amatur à Deo, ly *propter* dicente rationem formalem obiectivam terminandi amorem Divinum, est finis *cuius gratia* Incarnationis absolutè, & simpliciter: ergo remedium peccati est finis *cuius gratia* Incarnationis absolutè, & simpliciter. Probatur maior: quod Incarnatio propter se ametur à Deo, ly *propter* dicente vltimam rationem formalem obiectivam terminādi amorem Divinum; non tollit, quod Incarnatio ametur à Deo propter remedium peccati, ly *propter* dicente rationem formalem obiectivam interme diam terminandi amorem Divinum: ergo, &c. Consequentia est legitima, & antecedens ita certum, vt qui illū negaverit, negare teneatur, esse fines *cuius gratia* inter medios, quod est cōtra Phylosophos, & Theologos.

175 *Impugnatur 4.* Impugnatur quārto suprà posita solutio: nā esse finem effectus, seu finē *cui*, *& vtilitatis solum*, non est esse finē absolutè, & simpliciter: ergo non potest dici absolutè propter aliud, quod solum illud respicit, vt finem vtilitatis, & consequentèr, si Incarnatio Verbi solum isto modo fuit propter hominem, vt finem, nempè, *cui*, *& vtilitatis*, non benè dicitur in symbolo Nicæna absolutè, Verbum esse propter nos Incarnatum.

176 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. God. *num.* 191. concessō antecedenti, negando consequentiam, qua infertur, nō posse absolutè dici esse propter aliud, quod solū ordinatur ad illud, vt finem effectum, & ad finem *cui vtilitatis*. Ratio autem, cur hoc possit absolutè affirmari, est, quia semper atque ly *propter aliud* cadit super aliquid superius respectu sibi inferioris, subintelligitur limitatio modi essendi propter illud, videlicèt, vt propter finem effectum, & finem *cui vtilitatis*. Vndè *loco vbi suprà* absolutè protulit D. Thom. Lunam, & Stellas esse factas propter hæc inferiora, quamvis non sint propter illa, vt propter finem simpliciter talem, nempè, finem *cuius gratia*, sed solum, vt propter finem effectum, & cuī inferunt vtilitatem.

Absolutè etiam dixit Phylosophus, substantiam esse propter suam operationem, quamvis ad illam, vt ad finē simpliciter talem non ordinetur. Absolutè etiam dicitur, meritum Christi,

quo

quo nobis vitam æternam meretur, esse propter nostram gloriam; & tamen meritum Christi non respicit illam, vt finem *cuius gratia* simpliciter, alias fuisset nostræ prædestinationis effectus: ex quo vlterius fieret, Christum omnes prædestinationis nostræ effectus non meruisse, cū non potuerit proprium meritum mereri, cuius contrarium communis sententia docet. Quia ergo Incarnatio est bonum supereminens nostræ saluti, & remedio peccati, absolutè dicitur facta propter remedium peccati, etsi non fuerit finis Incarnationis simpliciter, sed tantum secundum quid.

177 *Responsio Ill. Godoy. est illius in consequentia.*

Fateor: hanc Ill. God. solutionem satisfacere impugnationi factę, sed etiā fateor: talem impugnationem me nō feciſſe, vt efficacem, sed solum, vt solutio ipsius videatur, ex qua clarissimè apparet inconsequentia, quam committit in hac *disp.* vltrà à nobis relatas §. 5. & 6. ex illius doctrina alijs locis deductas. Pro cuius declaratione veritas à Phylosophis, & Theologis statuta, supponenda est, scilicèt, quod ly *propter* absolutè significat finem *cuius gratia* simpliciter. Quod patet: nam Phylosophi asserentes: *Propter quod vnumquodque est tale, & illud magis*, in ly *propter* absolutè significant finem *cuius gratia* simpliciter; & hoc idem significant Theologi clamantes: *Omnia propter se operatus est Deus.* Qua veritate supposita.

178 *Ostenditur inconsequentia.*

Sic inconsequentiam ostendo: licèt ly *propter* absolutè significèt finem *cuius gratia* simpliciter, cum hac absoluta affirmatione: *vnum fieri propter aliud*, verè componitur aliqua negatio, scilicèt, ly *propter* non significare finem *cuius gratia* simpliciter; sed hoc non est consequentèr procedere ad ea, quæ habet in hac *disput. num.* 13. & 14. ergo consequentèr non procedit. Maiorem tenet Ill. God. in responsione. Minor probatur: asserere, quod cum absoluta affirmatione verè componitur aliqua, negatio, & asserere, quod cum absoluta negatione non verè coponitur aliqua affirmatio, non est cōsequentèr procedere; sed primum asserit in hac sua responsione, & secundum asserit *num.* 13. & 14. ergo consequentèr non procedit.

179 Deniquè tertia, & quarta conclusio probatur per dicta *tom.* 2. *in* 1. *sent. disp.* 62. vbi statuendo contra Ill. God. repugnare ab intrinseco, quod substantia prædestinati sit effectus prædestinationis, in ipsum probavimus, impossibilem esse mutuā inter duo causalitatem in eodem ordine, licèt in diverso genere, scilicèt, finalis, & materialis. Item probatur ex dictis *tom. cit. disp.* 63. vbi contra ipsum affirmando: quod permissio peccati de facto non sit effectus prædestinationis præparatus à Deo ex intentione pœnitentiæ, asseruimus, tum: impossibilitatē prædictæ mutuæ causalitatis; tum: pœnitentiam ordine intentionis essentialitèr supponere peccatum. Deindè probatur per dicta *tom. cit. disp.* 65. vbi cōtra ipsum docuimus: gloriam, vt coronam, supponere prævisionem meritorum in ordine intentionis. Item probatur ex dictis *tom. cit. disp.* 69. vbi contra eundē demonstravimus, quod positiva reprobatio supponit prævisionem demeriti personalis in ordine intentionis. Similitèr ergo discurrendum est de Christo, vt redemptore, respectu permissionis peccati.

3. & 4. conclusio probantur.

Vide tom. 2. in 1. sentent. disp. 62. 63. 65. & 69.

§. X.

Argumenta Ill. Godoy contra tertiā, & quartam conclusionem solvuntur.

180 *Arguit 1. contra 3. concl.*

COntra tertiam conclusionem arguit primo Ill. Godoy *num.* 127. ideò nos cum Scoto docemus, Incarnationem quoad substantiam esse finem præintentum à Deo, & in ordine intentionis priorem decreto productionis rerum, & decreto permissivo peccati, quia Incarnatio quoad substantiā his omnibus est perfectior; sed etiam Incarnatio quoad circunstantiam proximè passibilitatis illa in perfectione excedit: ergo etiam quoad hanc circunstantiam fuit Incarnatio, vt illorum finis præintenta, & consequentèr illa ordine intentionis in Divina mente præcesit.

181 *Probatur minor.*

Minor, in qua est difficultas, probatur: excessus namque Incarnationis Christi substantialitèr acceptę respectu omnium creaturarum sumitur ex vnione ad Verbū, in qua omnes creaturas præcellit; nam humanitas Christi accepta secundum se non est Angelo perfectior, cum sit eiusdem ratio-

nis

nis cum humanitate noſtra, quam natura Angelica ſuperat in perfectione, & conſequentèr etiam Chriſti humanitatem excedit, ſi ſecundum ſe, & præciſivè ab vnione ad Verbum ſumatur, ſed non ſolum ſubſtantia humanitatis, ſed etiam accidens, vel circunſtantia paſsibilitatis proximæ fuit Verbo hypoſtaticè vnita: Verbum namque humanitatem proximè paſſibilem ſumpſit, & conſequentèr paſsibilitatem proximam ubi hypoſtaticè vnivit: ergo non ſolum Incarnatio quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad circunſtantiam proximæ paſsibilitatis excedit in dignitate omnia, quæ à Deo creata fuerunt, & conſequentèr debuit omnia illa in Divina intentione præcedere Chriſtus, non ſolum, vt homo, ſed etiam, vt homo paſsibilis.

182 Ex hoc etiam probat: Chriſtum non ſolum vt paſsibilem proximè, & vt Redemptorem in actu primo, ſed etiã vt actualitèr Redemptorẽ præceſſiſſe in intentione Divina res ordinis naturalis, & pertinentes ad ordinem gratiæ permiſsionemque peccati originalis. Chriſtus namque etiam vt actualis Redemptor, vel vt redimens actualitèr, eſt dignitatis ſimpliciter infinitæ, & conſequentèr excedens in dignitate omnia, quæ à Deo creata fuerunt, ſivè naturalis ordinis ſint, ſivè gratiæ; at ratio, ob quã iuxtà Scotum Incarnatio quoad ſubſtantiam omnia à Deo creata in Divina mente ordine intentionis præceſſit, eſt, quia ſic ſumpta illa in dignitate excedit: ergo vt conſequentèr loquatur, debet eandem præceſſionem Chriſto, vt actualitèr redimenti, concedere, aſſerendo: Chriſtum ſic ſumptum fuiſſe omnium illorum finem, à Deoque vt illorum finem intentum.

183 *Retorqueo.* Reſpondeo ad argumentum diſtinguendo maiorem ideò nos cum Scoto docemus, Incarnationem quoad ſubſtantiam eſſe finem præintentum à Deo, & ordine intentionis priorem decreto productionis rerum, & decreto permiſsivo peccati, quia Incarnatio quoad ſubſtantiam his omnibus eſt perfectior, duntaxàt nego maiorem; quia eſt perfectior, & quia eſt abſoluta ab omni circunſtãria correlationis, & dependentia à peccato cõtedo maiorem; & diſtinguo minorẽ: ſed etiam Incarnatio quoad circunſtantiam proximæ paſsibilitatis illa in perfectione excedit, ſine correlatione, & dependentia à peccato nego minorem; cum tali correlatione, & dependentia cõcedo minorem, ad cuius probationem diſtinguenda eſt minor, cum proxima conſequentia, & nego ſubſtantiam. Ex quibus patet ad probationem poſitam *num. anteced.*

684 *Retorqueo 1. argum. ad hominẽ* Cæterum licèt argumentum prædictum contra nos ad hominem obijciat Ill. Godoy, eo, quod illa ratione cum Scoto vtamur, ad probandam præceſsionem Incarnationis quoad ſubſtantiã reſpectu permiſsionis peccati, quia tamen ipſe ad id probandũ eadem ratione vtitur *num.* 116. & 122. contra ipſum ad hominem argumentum retorqueo primo: ideo docet Ill. Godoy *tom.* 2. *in* 1 *part. diſput.* 63. pœnitentiam, vt Omnipotentiam Dei manifeſtat, & ad vberiorem gratiam, & perſeverantiam conducit, eſſe finẽ præintentum à Deo, & ordine intentionis priorem permiſsione peccati, quia pœnitentia, vt Omnipotentiã Dei manifeſtat, & ad vberiorem gratiam, & perſeverantiam conducit, eſt perfectior permiſsione peccati; ſed etiam pœnitentia, vt eſt purè remiſsiva peccati, illam in perfectione excedit: ergo etiam vt eſt purè remiſsiva peccati fuit, vt illius finis præintenta, & conſequentèr illam ordine intentionis in Divina mẽte præceſsit, quod eſt contra ipſum *tom. & diſp. cit. n.* 67.

185 *Retorqueo 2. ad hominem etiam* Retorqueo ſecundo ad hominem cõtra ipſum: ideò namque docet *tom. cit. diſput.* 96. quod efficax excluſio à gloria ſit finis præintentus à Deo, & ordine intentionis prior permiſsione omnis demeriti perſonalis, quia eſt perfectior permiſsione omni demeriti perſonalis; ſed etiã eſt perfectior permiſsione peccati originalis; cum eadem ſit ratio: ergo efficax excluſio à gloria fuit præintenta, vt finis permiſsionis peccati originalis, & conſequentèr illam ordine intentionis in Divina mente præceſsit, quod eſt contra ipſum *tom. & diſput. cit. num.* 95.

186 *Retorqueo 3. etiam ad hominem.* Retorqueo tertio ad hominem etiã contra ipſum: quia ideò docet *tom. & diſput. cit.* quod pœna, vt eſt vtilis ad manifeſtationem iuſtitiæ vindicativæ Dei, eſt finis præintentus à Deo, & in

ordine intentionis prior decreto permissivo culpæ, quia pœna sub illa consideratione est perfectior decreto permissivo culpæ; sed etiam pœna, vt pœna est, illud in perfectione excedit: ergo etiam pœna, vt pœna est, fuit præintenta, vt finis illius, & consequentèr illud ordine intentionis in Divina mente præcesit, quod est contra ipsum *cit. num. 73.*

187 *Retorqueo 4.* Retorqueo quarto: ideò primum decretum prædestinationis circa gloriam, vt hæreditatem, fuit finis præintentus à Deo, & in ordine intentionis priùs prævisione meritorum, quia gloria, vt hæreditas, est perfectior meritis; sed etiam gloria, vt corona, & vt præmium, est meritis perfectior: ergo etiam gloria, vt corona, & vt præmiũ, fuit præintenta, vt finis meritorum, & consequentèr merita ordine intentionis in Divina mente præcesit, quod est contra Thomistas, cum quibus coincidere videtur Ill. Godoy, vt dixi *num. 152.*

188 *Arguit 2. contra 3. concluſ.* Arguit secundo Ill. Godoy contra eandem conclusionem *num. 129.* nam permissio peccati originalis non videtur decens fuisse, quod ex solo fine ostendendi suavitatem Divinæ providentiæ eligeretur; licèt namque ad ostensionem suavitatis providentiæ Divinæ pertineat permittere, quod natura defectibilis libera in aliquibus individuis deficiat, & à rectitudine deviet; quod autem in omnibus individuis deficiat, non videtur eligibile ex solo prędicto fine, videlicèt, ostendendi suavitatem Divinæ providentiæ: peccatum autem originale fuit defectus omnium individuorum humanæ naturæ: etenim peccante Adamo, omnes nos in illo voluntate capitis peccavimus: ergo non fuit eligibile ex solo fine ostendendi suavitatem providentiæ divinæ, nec ex alio fine congruentiùs potuit eligi à Deo, quam ex motivo tam excelsi boni, nempè, Christi Redemptoris, & consequentèr Incarnatio Verbi finis fuit permissionis peccati originalis illamque in mente Divina ordine intentionis præcesit.

189 *Respondetur.* Respondeo negando antecedens, & quando permissio peccati originalis ex solo fine ostendendi suavitatem Divinæ providentiæ non eligeretur, eligeretur ob alios fines, quin ex fine Christi Redemptoris eligi possit; repugnat namque, quod Redemptio nõ supponat permissionem peccati originalis ordine intentionis, & consequentèr illi repugnat ratio finis respectu peccati prædicti.

190 *Arguit 3.* Arguit tertio *num. 130.* permissio peccati personalis est in electis effectus prædestinationis ipsorum ex præelecta pœnitentia, non obstante, quod pœnitentia essentialitèr præsupponat peccatum, illudque essentialitèr concernat, vt materiam destruendam: ergo paritèr permissio peccati originalis fuit à Deo electa, & volita ex præintento Christo vt Redemptore, & ob illum tãquã finem. Quod satis insinuasse videtur D. Thom. *in hac quæst. art. 3. ad 3.* illis verbis: *Nihil autẽ prohibet ad aliquid maius humanam naturam productam esse post peccatum; Deus enim permittit mala fieri, vt inde aliquod melius eliceat; vndè dicitur Romanor. 4. vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia. Et in benedictione Cærei Paschalis dicitur: ò felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Ex quibus verbis argumentũ conficit in cofirmationẽ facti absque noba alia difficultate.

191 *Respondetur.* Respondeo negando antecedens; nam oppositum latè docuimus *tom. 2. in 1. sent. disp 63. à §. 3. vsque ad finem disputationis.* Neque authoritas D. Thomę illi fabet; similem namque authoritatem D. Thomæ contra nos obiecimus *disput. cit. numer. 72.* ad quam *num. sequentibus* duplicem responsionem dedimus, & triplicem contra Ill. Godoy retorsionem formavimus. Videantur ibi, & solutio ad omnia in argumento adducta apparebit.

192 *Arguit cõtra 4. concl.* Contra quartam conclusionem arguit Ill. Godoy *n. 131.* nam Christus ex vi decreti intentivi, quod de facto fuit in Deo, est volitus tanquam caput hominum per derivationem gratiæ redemptivæ; sed vt sic non potuit intendi, nisi prævisso homine, vt redimendo, & vt materia perficienda per gratiam, & peccato, vt materia per ipsam destruenda; cum gratia redemptiva essentialitèr respiciat hominem, vt materiam perficiendam, peccatũque, vt destruendum, & vtrumque vt sic essentialitèr præsupponat, & ab vtroque, vt materia, in suo genere

essentialiter dependeat: ergo decretū intentivum Christi posterius fuit permissione peccati in genere causę materialis,& etiā homine redimendo, & consequenter homo, & peccatum in genere causæ materialis decretum intentivum Incarnationis præcedunt.

193 *Confirmatur.* Quod amplius confirmat *num.* 132. Christus namque ex vi prędicti decreti fuit volitus,vt Redemptor, & vt hominem à peccato redimeret & consequenter propter remediū peccati vt finem effectus;sed intentio redimendi hominē à peccato peccatum prævisum, vt materiam destruendam, essentialiter supponit, & hominem, vt materiam perficiendam per gratiam redemptivam,& vt finem *cui vtilitatis*: homo namque est,cui vtilitas ex gratia redemptiva consequitur:ergo decretum intentivū Incarnationis Verbi,Christi que Redemptoris,etiam in ordine intentionis, supponit prævisionem peccati destruendi per Christum,vt Redemptorem, & prævisionem hominis per gratiam Redemptivam perficiendi in genere causæ materialis.

194 *Doctrina notatu digna.* Cæterum licèt Ill. Godoy hoc argumento, & confirmatione optimè probet vltimam partem suæ conclusionis,scilicèt posterioritatem Christi,vt Redemptoris, in genere causæ materialis, nihil probat contra nostrā conclusionem; nos enim non negamus hanc posterioritatem, sed hanc posterioritatem simul cum prioritate in genere causę finalis Christo,vt Redemptori, negamus, vt ex ipsa patet: Sed licèt nobis nō officiat argumentum,nec confirmatio,vt tamen dicta declarentur,hoc declaremus.Pro declaratione autē sciendū est, quod cōparatione facta inter Christum,vt Redemptorem, & remedium peccati, quod idem est,ac nostra salus, & hominem redimendum,Christus,vt Redemptor, est medium propriè sumptum,& remedium peccati, seu nostra salus est finis *cuius gratia* Incarnationis,vt Redemptivæ, absolutè, & simpliciter,& homo est finis *cui*, & *vtilitatis*, quod constat ex dictis *à num* 168. *vsque ad* 175. Facta autem comparatione inter hominem redimendum, & gratiam redemptivam, seu inter peccatum destruendum, & gratiam illius destructivam, homo est subiectum,seu materia, & gratia est forma, similiterque peccatum est materia,& gratia forma.

Atquè hinc sese aperit primo:quod remedium peccati, seu nostra salus præcesserit ordine intentivo in genere causæ finalis Christum,vt Redemptorem; quia in hoc ordine, & genere finis est prius volitus, quam medium. Secundo sese aperit, quod etiam homo præcesserit ordine intentionis in genere causæ finalis Christum,vt Redemptorem, quia in hoc ordine, & genere etiā finis *cui* est prius volitus, quam medium:cum ex fine *cuius gratia*, & fine *cui* cōfletur adæquata causa finalis,vt fatetur etiā Ill. God. *n.* 190. 195

Sese aperit tertio:quod homo redimendus,& gratia redēptiva (idemq; de peccato destruendo & gratia illius destructiva) sunt prius, & posterius in diversis generibus;nā homo est prior in genere causæ materialis, & gratia in genere causæ formalis,vt de materia, & forma dicitur in Philosophia; prioritas autē,& posterioritas ordine intentionis in genere causæ finalis inter hæc repugnat, quia nequit gratia redēptiva absolutè decerni priùs, quā decernatur subiectū,imò si aliquis eorū potest absolutè præcedere,debet esse subiectū,vt docuit Scotus, & claret per dicta *tom.* 2. *in* 1. *sent. disp.* 62. *n.* 14. 196

Ex his itaque patet, quid sit ad argumentum, & confirmationem dicendum:vtrumque namque solū probat,quod homo redimendus præsupponatur in genere causę materialis ad gratiam redemptivam, similiterque peccatum destruendum præsupponatur ad gratiam illius destructivā,quod nos fatemur; non verò probat, quod gratia redemptiva,& peccati destructiva præsupponatur ordine intentionis in genere causæ finalis ad hominē redimendum, & peccatum destruendum; nec probat, quod Christus,vt Redemptor, præsupponatur in dicto ordine, & genere ad remedium peccati,seu salutem nostrā,quod probare debebat,vt secundam & tertiam partem suæ conclusionis cū quarta concordaret,scilicèt,quod ordine intentionis Christus,vt Redemptor in actu primo,& secundo,esset priùs volitus, quam permissio peccati in genere 197 *Respondetur ad argument. & confirm.*

Nota pro solutione.

causæ finalis ; & posteriùs in genere causæ materialis. Vndè argumento, & confirmatione concesis, nihil contra nostram quartam conclusionem, quia nunquam sequitur prædicta mutua causalitas, nempè, Christi, vt Redemptoris in genere causæ finalis, & permissionis peccati in genere causæ materialis.

III. Godoy aliud non adducit in favorem conclusionis principalis, nec pro conclusione ex illa orta; vndè intentum habeo ad impletum. Sed quia alia via conantur alij, præsertim Vazquez, conclusionem Scoti principalē evertere, opus est, & necesitas, fundamenta proponere, & solvere, vt veritas opinionis Scoti in disputatione tam celebri firma, & firmissima maneat. Sit ergo.

§. XI.

Argumento Vasquij contra principalem conclusionem occurritur.

198 *Arguit Vazquez.*

COntra principalem conclusionē arguit Vazquez ineluctabilitèr suo videri: si Christus veniret, Adamo non peccante, vi præsentis decreti, aut veniret passibilis, aut impassibilis; alio enim modo venire non poterat; sed neutro modo : ergo nullo modo. Probatur minor : non passibilis; quia sic solum venit ob remedium peccati; non impassibilis; quia aliàs sic de facto veniret, quod est falsum, aut fuisset mutatū decretū de impassibilitate ad passibilitatem, quod est absurdum: ergo neutro modo veniret.

199 *Pro solutione notā.*

Hoc est Vasquij argumentum, cui valdè fidit, & cui connatur, Scoticam veritatem evertere; cæterum nō prævidit se ipsum interimere, quod retorsionibus contra ipsum declarabo, post directas ad argumentum responsiones, pro quibus noto, quod argumentum nō loquitur de mortalitate, quæ est passio intrinsica naturæ, quia hæc est inseparabilis à natura, sed de passibilitate extrinseca, quæ vi decreti mortis Christi ob redemptionem generis humani ad actum reddùci debebat, vt dixi *num.* 9. De hac ergo impassibilitate loquitur argumentum. Hoc notato.

200 *Respōdeo I*

Respondeo primo negando maiorem, & probationem imbibitam; quia vi præsentis decreti veniret Christus modo quodam medio inter passibilitatem, & impassibilitatem, sicut Adā in statu innocentiæ habuit carnē medio quoddam inter carnē gloriosam, & mortalem, qualē habuit post peccatum. Ratio est: nam per decretum Incarnationis quoad substantiam ante prævisionem peccati nō determinatur Christus venturus passibilis, nec impassibilis, quia ad decretum illud non attinet affirmatio, vel negatio modorum ex dictis *n.* 7. Nec repugnat, quod hoc decretum abstrahat ab vtroque modo pro illo signo; quia hæc est natura decretorum, & rerum, quod in primo signo quidditas tantum, & essentia decernatur; modi verò, & circunstantiæ in posterioribus.

201 *Dices pro Vasquio.*

Dices pro Vazquez: nequit cogitari caro in medio quoddam statu abstrahens à passibilitate, & impassibilitate : ergo ruit solutio. Respondeo distinguendo antecedens: à passibilitate, & impassibilitate intrinsica concedo antecedens; extrinsica nego antecedens, & consequentiam, vt claret in carne, quam habuit Adamus in statu innocentiæ. Dices iterum pro eodem: prædestinatio est circa res singulares cum omnibus modis, & circunstantijs : ergo ita fuit prædestinatio Christi : ergo cū passibilitate, vel impassibilitate. Distinguo antecedens: cum modis intrinsicis concedo antecedens; extrinsicis sub distinguo: prædestinatio rei secundum substantiam nego antecedens; secundum substantiam, & modos extrinsecos concedo antecedens; distinguo similitèr primum, & secundum consequens.

Respondeo.

Dices iterum.

Respondeo.

202 *Replicabis I. pro eodē.*

Replicabis primo pro ipso : iuxta solutionem datam vi præsentis decreti veniret Christus medio quoddam modo inter passibilitatem, & impassibilitatem; sed de facto venit Christus passibilis: ergo mutatum fuit illud decretum. Respondeo distinguendo maiorem: vi præsentis decreti formalitèr terminati ad substantiam Incarnationis, & virtualitèr ad illum medium modum veniendi concedo maiorem; formalitèr terminati ad substantiam, & illum modum nego maiorem; distinguo minorem : vi alterius decreti, vel primi extensi concedo minorem; vi primi decreti præcisè nego minorem, & consequentiam.

Respondeo.

203 *Declaratur solutio.*

Itaque, vt mutatum esset illud decretum, necessarium erat, quod ante decretum formale de modo, quo de facto Christus venit, esset decretum formale de non veniendi vt passibilis; cum ergo tale decretum non demus, quia illud primum decretum formaliter terminatur ad substantiam tantum Incarnationis, & virtualiter ad illum medium modum, non est decretum, quod mutetur. Quod autem vi illius decreti formaliter terminati ad substantiam Incarnationis, & virtualiter ad illum medium modum, hoc medio modo veniret Christus, Adamo non peccante; constat: nam licet hic medius modus veniendi nō sit formaliter decretatus, tamen ex intentione existentię Christi sequeretur virtualiter ille medius modus veniendi, vt experientia docet de Adamo in statu innocentiæ. Consonat hoc cum dictis *num.* 12. & 13.

204 *Replicab. 2*

Replicabis adhuc pro ipso contra solutionem: ergo hoc secundum decretum de passibilitate Christi, quo modo de facto venit, contrariatur cum illo primo decreto. Probatur consequentia: primum decretum est virtualiter de illo medio modo veniendi; sed hoc secundum est de passibilitate, quæ contrariatur illi medio modo veniendi: ergo secundum decretum de passibilitate Christi, quo modo de facto venit, contrariatur cū primo decreto. *Respondeo.* Nego consequentiā, & ad probationem distinguo minorem: est de passibilitate, quæ contrariatur illi medio modo veniendi cōtrarietate incompatibilitatis nego minorem; alia contrarietate ommitto minorem, & nego consequentiam; nam contrarium virtuale, & in causa non est incompatibile cum contrario formaliter, & in effectu, vt claret in aqua, quæ est virtualiter frigida, & formaliter vi ignis calida.

Cum ergo primum decretum sit virtualiter de illo medio modo veniendi, & secundum sit de passibilitate formaliter; primum decretum non est incompatibile cum secundo; alioquin decretum de modo, quo extitit Adamus in statu innocentiæ, esset incompatibile cum decreto de modo, quo extitit post peccatum.

205 Ex quo replicam retorqueo: secundum decretum de passibilitate Christi, quo modo de facto venit, contrariatur cum primo illo decreto terminato ad substātiam Incarnationis: ergo secūdum decretum de modo, quo extitit Adamus post peccatum, contrariatur cum illo primo decreto de modo, quo extitit Adamus in statu innocentiæ. Arqui hoc est contra factorem replicæ, quicumque sit, qui pro Vasquio illā formet: ergo contra ipsū etiā est replica ab ipso cotra nos facta. *Retorqueo replicam.*

206 *Respōdeo 2. ad argum.*

Respondeo secundo ad argumentum Vasquij negando minorem, ad probationem nego antecedēs quoad secundam partem, & vtramque probationem imbibitam; quia vi præsentis decreti veniret Christus, vt impassibilis, non quia formaliter fuisset decretatus vt impassibilis, sed quia ex intentione dandi gloriā animę Christi sequeretur virtualiter immortalitas corporis, & sic absque vllo alio decreto per naturalem sequelam beatitudo animæ redundaret in corpus, si non ordinaretur in remedium peccati. Ratio aut, cur de facto venit passibilis, est, quia prævisio peccato voluit Deus nos ab illo liberare per mortē Christi, ideoq; decrevit, quod gloria animæ Christi, quæ naturaliter debebat in corpus redūdare, in ipsa reprimeretur. At peccato nō existente, impedita nō esset redūdantia glorię animę in corpus, quare vi præsētis decreti sine aliqua mutatione veniret, vt impassibilis, immortalis, & glorificator.

207 *Respōdeo 3.*

Respondeo tertio ad prædictum Vasquij argumentum distinguendo maiorem: si Christus veniret, Adamo non peccante, vi præsentis decreti primi terminati solum ad substantiam Incarnationis, vel vi præsentis decreti non extensi; aut veniret passibilis, aut impassibilis nego maiorem; vi secundi decreti, vel primi extensi concedo maiorem; distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Itaque vi decreti primi, si ponantur duo; vel vi decreti nō extensi, nec veniret passibilis, nec impassibilis, quia ad illud decretum non attinet affirmatio, vel negatio modorum ex dictis *n.* 7. veniret tamen impassibilis, Adamo non peccante, secuto alio decreto, vel primo extensio ad impassibilitatem, sicut de facto venit passibilis ob reme-

dium

dium peccati, secuto alio decreto, vel primo extenso ad modũ passibilitatis.

208 *Dices.* Dices: vt Christus veniat, necessarium est decretum secundum, vel extensio primi ad modum passibilitatis, vel impassibilitatis: ergo vi præsentis decreti ad substantiam Incarnationis terminati, non veniret Christus Adamo non peccante. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: vt Christus veniat, vt passibilis, vel vt impassibilis, necessarium est decretum secundum, vel extensio primi admodum passibilitatis, vel impassibilitatis concedo antecedens: vt Christus veniat absolutè nego antecedens, & distinguo consequens: non veniret Christus absolutè nego cõsequentiã; vt passibilis, vel vt impassibilis concedo cõsequentiam, quia ad hoc solũ est necessariũ secundum decretum, vel extensio primi.

209 *Retorqueo instantiam.* Retorqueo etiam instantiam: vt Christus veniret itate peccato, necessarium fuit decretum secundum, vel extensio primi ad modum passibilitatis: ergo vi præsentis decreti ad substantiam Incarnationis terminati non veniret, stante peccato. Mala certè consequentia; sic similitèr & contra nos adducta. Vndè licèt decretũ circa modum sit necessarium, vt Christus veniat passibilis, aut impassibilis, semper verificatur, quod vi præsentis decreti quo ad substantiam Incarnationis veniret Christus, quia semper salvaretur esse prædictum decretum, licèt ratione huius non veniret, vt passibilis, nec vt impassibilis.

210 *Instabis.* Instabis: Christus per nos vi præsentis decreti non veniret vt passibilis, nec vt impassibilis: ergo nullo modo veniret. Probatur cõsequẽtia: si Christus veniret, vel veniret passibilis, vel impassibilis; sed per nos vi præsentis decreti nõ veniret vt passibilis, nec vt impassibilis: ergo nullo modo. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem, vt in *n.* 207. & *Retorqueo.* retorqueo: Vi præsentis decreti terminati ad Incarnationẽ ante prævisionẽ peccati nõ veniret Christus, vt passibilis, nec vt impassibilis: ergo nullo modo veniret vi præsentis decreti, adhuc Adamo peccante. Probatur cõsequentia eisdẽ terminis, quibus cõtra nos probatur. Enitplicè solutionẽ ad argumentũ Vasquij, quarũ quælibet est sufficiens, ex illisque prima est singularis, cæterũ bene firmata. Secunda, & tertia sunt inter Scotistas communes, sed vtraq; optima. Restat nunc argumentum contra Vazquez retorquere, vt se interimere videat.

211 *Retorqueo 1. argum. cõtra Vazquez.* Retorqueo itaque argumentũ primo contra Vazquez: si Deus decrevit decreto efficaci Adamũ extiturũ ante prævisionẽ peccati, vti dicit Scotus decrevisse Incarnationẽ. Inquiro nũc: vel Deus illo decrevit Adã extiturum in carne mortali, vel immortali? Non primũ; quia si peccatum non fuisset, mors non esset, & mors Adami decretata fuit ob peccatũ. Nõ secundũ; quia Adã mortus fuit, & mutaretur decretum de immortalitate ad mortalitatem. Atqui non alio modo, quia alio modo venire non poterat: ergo vi præsentis decreti nullo modo extiterat Adamus.

212 *Dices cum Vazquez.* Dices cum Vazquez: Deum decrevisse Adamũ extiturum in carne immortali ante prævisionẽ peccati, & mortali post peccati prævisionem. & sic de facto fuit Adamus ante peccatũ immortalis; & post peccatũ mortalis. Ait Christus semper fuit mortalis. *Contra 1.* Contra primo: ex hac responsione nõ evitatur mutabilitas decreti, vt cõtra Scotũ objicit Vazquez: ergo ruit. Probatur antecedẽs: quia vel illud primũ decretũ fuit efficax de existentia absoluta, & immortali Adami ante prævisionẽ peccati; vel nõ? Si secũdũ: nũquã esset Adamus immortalis. Si primũ: semper immortalis esset nisi mutetur decretũ: ergo ex responsione nõ evitatur mutabilitas decreti. *Contra 2.* Contra secundo: quia similiter & nos dicere possumus, quod venit Christus immortalis, & mortalis, vti Adam. Immortalis ob primum decretum vsque ad tempus solutionis peccatorum nostrorum, quo tempore impletum fuit decretum mortalitatis. Mortalitas in prædicto tempore, sicut de Adam discurrit Vazquez.

213 *Retorqueo 2. ad hominem contra Vazquez.* Retorqueo denique argumentum ad hominẽ cõtra Vazquez. Ipse namq; tenet. quod deficientibus peccatis actualibus, stãte originali, veniret Christus passibilis vi præsentis decreti. Hac opinione supposita, sic formo retorsionẽ. Si Christus veniret, deficiẽtibus peccatis actualibus vi præsentis decreti, vel veniret passibilis passione infli-

genda à Iudæis; vel non? Sed neutro modo veniret. Probatur minor: non primo modo; quia sic venit propter peccata actualia. No secundum; quia alias sic de facto venisset, quod est falsum, aut fuisset mutatum decretum, vt ait Vazquez: ergo neutro modo Christus veniret.

Vndè sicut in hac Vasquij opinione stat: quod deficiẽtibus peccatis actualibus vi præsentis decreti veniret Christus passibilis, præscindendo à morte infligenda à Iudæis, vel ab alijs causis naturalibus, seu violentis; ita in nostra sententia vi præsentis decreti terminati ad substantiã Incarnationis veniret Christus, præscindẽdo à mortalitate, vel immortalitate. Respodeat Vazquez, & pro nobis respondebit.

§. XII.

Alia argumenta solvuntur.

214 *Arguitur 1 cõtra conclus. principalem.*

ARguitur primo contra prædictam conclusionem principalẽ: Concilij Florentinũ *Sess.* 6. condemnat Baillardum affirmantem: Christũ venisse ob doctrinam nostram: ergo videtur non posse assignari hoc, nec aliud motivũ Incarnationis. Respondeo: Concilium condemnare Hæreticum asserentem: Christum nullo modo venisse ob remedium peccati, seu vt esset solum hominum Doctor, & Magister, quod nos nõ asserimus. Retorqueo etiã: nam III. Godoy quoque assignat alia motiva, & si peccato connexa, vt pluries dictum manet, quod etiam faciunt cæteri Thomistæ.

Respondeo.

215 *Arguitur 2.*

Arguitur secundo: adventus Christi solum ob remedium peccati magis exaltat Divina attributa: ergo Adamo non peccante Christus non veniret. Probatur antecedens: exaltat Dei misericordiã, & eius bonitatẽ: ergo adventus Christi solum ob remediũ peccati magis exaltat Divina attributa. Probatur prima pars antecedẽtis: maior charitas est diligere inimicos, quã amicos: ergo exaltat Dei misericordiã. Probatur secunda: maior bonitas est, quæ ex summo malo sumit occasionem summi boni, quam quæ sumit talem occasionem, nullo stante malo: ergo exaltat bonitatem Dei.

Respondeo.

Respondeo negando antecedens, cuius probationem distinguo: exaltat, & deprimit concedo antecedens; exaltat præcisè nego antecedens, & consequentiam. Itaque licèt adventus Christi solum ob remedium peccati exaltet misericordiam, & bonitatem Dei in statu lapsus, valdè tamen minuit in statu innocentiæ; vtpotè, hac perseverante non esset natura humana Incarnatione exaltata. Vndè nostra opinio est magis pia, magisque extollit Divina attributa, quam opinio contraria, quia nostra extollit in vtroque statu; contraria verò solum in statu lapsus.

216 *Declaratur solutio.*

Declaratur hoc, & vrgetur: Incarnatio ex motivo Divinæ bonitatis, & redemptionis magis exaltat simpliciter, & absolutè Divina attributa, quã Incarnatio ex motivo tantũ redemptionis: ergo adventus Christi solum ob remedium peccati nõ magis exaltat Divina attributa. Probatur antecedens: Incarnatio ex vtroque motivo, non solum declarat misericordiã, & bonitatem Dei erga peccatores, verum etiam summam propensionẽ Divinæ voluntatis ad se communicandum hominibus, etsi non forent peccatores; sed hoc secundum nõ declarat, imò deprimit, Incarnatio ex motivo tantũ Redẽptionis: ergo, &c.

217 *Ad probationes respond. 1.*

Ex his ad probationes pro prima, & secunda parte respondeo primo, illas negando absolutè, quia absolutè loquendo plus amat, qui vadit visitare amicum, nulla habita ratione infirmitatis, vel infortunij, quam qui vadit visitare illum, quia infirmum duntaxat, vt in nobis dicit experientia.

Respond. 2

Respondeo secundo conformiùs ad dicta distinguendo antecedens: ex motivo remedij tantum nego antecedens; ex motivo honoris, & remedij simul concedo antecedens, & nego consequentiam; quia maior charitas, & maior bonitas est, quæ oriretur ex hoc duplici motivo, quam quæ ex illo tantum oriretur, vt dixi *num.* antecedenti.

218 *Exemplis declaratur.*

Hoc claret in hominibus: nam maiorem amorem ostendit, qui omnia bona sua vult alteri communicare non solum, vt eum ab aliqua miseria liberet, sed etiam, vt eum in altiori ordine, ac dignitate constituat, quam si ei tantum in extrema necessitate constituto subvenire vellit: ergo similitèr. Claret etiam alijs exemplis: si

nam-

namque Rex domum subditi addiret, suumque Diadema in eius capite poneret, non ex sola necessitate morbi, sed etiam vt subditum honoraret, maiorem amorem ergà subditum ostenderet, quā si ex sola necessitate morbi id faceret: ergo paritèr. Item: si Pater familias daret prætiosum donum servo sano, quod alij ægroto dare solent, hoc planè esset indicium maioris amoris ergà servum: ergo à simili.

219 *Dices.* Dices: venire pro peccatoribus est maior charitas intensivè, licèt extensivè sit maior charitas venire pro Innocentibus: ergo adventus Christi solum ob remedium peccati magis exaltat Divina attributa. *Respondeo.* Respondeo omnino antecedens, & distinguo consequens: in statu lapsus concedo consequentiam; in statu innocentiæ nego suppositum; quia in hoc statu minuit charitatem ex dictis *à n.* 215. Imo, quod motivum veniendi propter redemptionem sit intensivè malus, & motivum veniendi propter nostrā glorificationem sit maius extensivè, non tollit, quod hoc motivum sit principalius, & consequentèr, quod veniret Christus, & si non esset redemptio hominis à peccato.

220 *Motivum veniendi propter nostram glorificationem est principalius.* Probatur hoc: quia Thomistæ apud Gonet *disput. 5. artic. 1.* tenent: quod Christus venit principaliùs in carne passibili ob remedium peccati originalis, quam ob peccata actualia, & quod vi præsentis decreti veniret ob originale, etsi actualia non essent, quamvis de facto pro omnibus venerit. Sic Thomistæ illi. Ego autem contra ipsos sustummo nunc: Atqui peccatum actuale est intensivè maius, quā originale, & hoc est extensivè maius, quā actuale: ergo licèt intensivè vnū motivum sit malus alio, dummodo hoc sit extensivè maius, poterit hoc esse principalius, & propter illud venire, ad huc intensivo deficiente. Probatur minor: peccatū actuale est magis voluntarium, quam originale; originale verò infirmat totam naturam; non autem actuale: ergo, &c.

221 Immò hæc est illa ratio Philosophi 1. *Ethic.* dicentis: quod sicut malum commune dicitur maius malum, quā particulare, etsi particulare sit in se grauius; ita bonum gentis magis stimatur, quam bonum speciale vnius, etsi hoc bonum speciale sit maius; atqui motivum Incarnationis se extendens ad statum innocentiæ est bonum gentis, & limitatum ad statum peccati est bonum speciale istius status: ergo illud censeri debet maius pro aduentu Christi; sicut è contra, de malo, & peccato originali dicunt contrarij.

222 *Arguitur 3.* Arguitur tertio: nihil est in executione, quod non præcesserit in intentione; sed decretum Incarnationis efficax, vt est mandatum in executione, pendet à permissione peccati: ergo etiam in intentione: ergo Incarnatio, vt efficacitèr intenta, fuit dependens à prædicta permissione: ergo non stante peccato non ad implerétur decretum Incarnationis: ergo non veniret Christus.

223 *Noto pro solutione.* Noto pro solutione: quod dupliciter sumitur intentio, & executio. Primo sumitur intentio, provt distinguitur ab omni linea executiva, sivè interna, sivè externa, & intentio sic accepta est de fine formaliter; executio verò de mediis ad finem. Secundo accipitur intentio pro actu interno Diuinæ voluntatis, vt distincto ab externo, qui externus dicitur executio. Intētio hoc modo accepta cōtinet in se internè quid quid executio exprimit externè; nā internè est intentio finis, & electio mediorū cū omnibus circūstātijs, quibus exequitur finis per media. *Respondeo.* Hoc notato respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: quod nō præcesserit in intentione secūdo modo accepta concedo maiorem; primo modo sumpta nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similiter primum, & secundum consequens; negoque consequentias sequentes. Ratio solutionis sumitur ex dictis, quid sit intentio primo, & secundo modo sumpta.

224 *Dices.* Dices: decretum Incarnationis intentivum secundo modo acceptum, seu provt dicit executionem internā, non tantum attingit substantiam Incarnationis, sed etiam modum, & ita in executione mandatum est: ergo ex vi huius præsentis decreti Christus nō veniret, Adamo non peccante. Consequentia claret: quia hoc præsens decretum internum adæquatè consideratum, substantiam Incarnationis, & modum passibilitatis involuit.

Respondeo. Respondeo concedendo totum; quia quando dicimus: vi præsentis decreti Christum venturum, Adamo nō peccante, non loquimur de præsenti decreto secundum omnem latitudinem decreti interni, tàm intentivi, quàm executivi, quia sic substantiam, & modum Incarnationis continet. Præscindimus enim in præsenti decreto intentionem Incarnationis ob gloriam Dei ab intentione ipsius ob remedium peccati; quæ intentiones sunt de facto in præsenti decreto adæquatè sumpto. Vndè dicimus: quod veniret, Adamo non peccante, vi præsentis decreti terminanti ad Incarnationem ob gloriam Dei, etsi deficeret decretum præsens secundum terminationem ob remedium peccati.

225 *Dices iterum.* Dices iterum: ergo dantur duæ causæ totales respectu eiusdem effectus. *Respondeo 1.* Respondeo primo distinguendo consequens: totales in esse signato, seu quoad sufficientiam concedo consequentiam; in esse exercito, quoad efficatiam nego consequentiam. Claret solutio ex dictis *num.* 111. *Secundo.* Respondeo secundo negando consequentiā: quia illa duo motiva efficientia pro decreto Incarnationis, scilicèt, gloria Dei, & redemptio nostra, non respiciunt decretum secundum eundem respectum, sed secundum diversos; vndè nō sunt causæ totales eiusdem omnino effectus, sed respectu diversorum, quod non est inconveniens.

226 *Arguitur 4.* Arguitur quarto: stat, quod Redemptio sit motivum posterius ratione; & origine respectu excellentiæ misterij, & quod respectu eiusdem sit prius dignitate, & excellentia: ergo & stabit, quod redemptio sit motivum præcipuum, & principale Incarnationis: ergo Adamo non peccante Christus nō veniret. Probatur antecedens: multoties contingit in nobis, quod motivum, quod est prius prioritate originis, & durationis, non sit prius dignitate, & excellētia: ergo similitèr.

227 *Respondeo.* Ad argumentum respondeo negando antecedens, & ad probationem quid quid sit de antecedenti nego cōsequentiam: nam inter hæc motiva inter se comparata maior, & excellentior est ipsa excellentia misterij, quam hominum redemptio; nam illa est propter se appetibilis; non verò hæc. Imò maior est dignitas, & excellentia solius animæ Christi, quam cæterarum omnium simul. Denique: maius beneficiū est Incarnatio Christi, quam eius mors, vel passio; nam ex Incarnatione secundum se sequitur fructus gratiæ, & gloriæ hominum, & Angelorū, quod ex redemptione, etsi hominibus sequatur; nō tamē Angelis.

228 *Dices.* Dices: motivum Redemptionis includit motivum Incarnationis secundum substantiam, & suprà ipsum addit quid excellens, scilicèt, admirabilem illius modum: est ergo motivum præcipuum, & principale. *Respondeo.* Respondeo distinguendo consequens: motivum redemptionis secundum id, quod includit, & quod addit concedo consequentiā; secundum se præcisè sumptum, & comparativè ad motivum Incarnationis secundum substantiam nego consequentiam ob rationem datam numero antecedenti.

229 *Arguitur 5.* Arguitur quinto: ex nostra sententia sequitur, quod status innocentiæ habuisset duo capita, scilicèt, Christū, & Adamum, & hic non solum esset caput naturale, vt de se claret; sed etiā morale; quia omnes dependentèr ab eo recepissent gratiam, & gloriā; sed hoc est falsum: ergo falsa est nostra opinio. *Respondeo.* Respondeo negando maiorē, quoad secundam partem, scilicèt, sed etiam morale, & distinguo imbibitā probationem: dependentèr ab eo, vt à causa meritoria nego; vt à conditione, scilicèt, propter dependentiam ab eius constantia, & perseverantia in statu innocentiæ concedo. Itaque in statu innocentiæ solus Christus esset caput morale gratiæ, & gloriæ, cuius etiam Adamus esset membrum; alioquin ignobilius caput haberet homines in statu innocentiæ, ac in statu lapsi, consequentèrque homo in statu naturæ lapsæ esset melioris conditionis, quam in statu innocentiæ, quod est absurdum.

230 *Dices.* Dices: si non peccasset Adamus, ipse esset caput morale gratiæ posteriorum: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Deus fecit pactum cū Adamo, quod si ipse non peccasset, suo merito gratiam originalem sibi conservaret, & eandē suis posteris transfundisset: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, & ad probationē

om-

ommisso antecedenti, nego consequentiam, quia adhuc in sententia adversariorum gratiam, quam habuit Adamus in statu innocentiæ, habuit ex meritis Christi, ideoque solus Christus esset fons, & origo totius gratiæ. Et licèt per comparationem ad posteros posset Adamus dici aliquomodo caput iustitiæ originalis eo, quod perseverasset in statu innocentiæ; cæterum absolutè, & simplicitèr loquendo debet dici Christi membrum, in quod Christus influit illam gratiã, consequentèrque solus Christus esset causa meritoria, & caput gratiæ, & gloriæ Adami, & posterorum.

§. XIII.

Occurritur triplici argumento speciali.

231 *Arguitur 1.* ARguitur primo contra prædictã principalem conclusionem specialitèr: vi præsentis decreti Christus non veniret, nisi ob aliquod sufficiens motivum decretatum decreto ipso de venturo Christo; sed non est aliquod sufficiens motivum, cessante Adami peccato: ergo si Adamus non peccaret, Christus non veniret. Probatur minor: omne motivum intentum decreto ipso de venturo Christo est cõnexum cum motivo redimendi hominem à peccato: ergo, &c. *Respondeo.* Distinguo antecedens: omne motivum intentũ decreto ipso de venturo Christo est connexum cum motivo redimendi hominem à peccato, connexione dependentiæ necessariæ ex natura rerum, vel quasi necessariæ dependentiæ prævisionis prioris permissionis peccati nego antecedens; connexione ordinationis Divinæ decreti iam facti ob vnum motivũ ordinantis ob redemptionẽ peccati cõcedo antecedens, & nego consequentiã.

232 *Contra.* Contra: ergo omne motivum decreto ipso de venturo Christo est cõnexum cum motivo redimendi hominem à peccato, connexione saltim ordinationis Divinæ ordinantis Incarnationem in redemptionem hominis à peccato: ergo non veniret Christus vi præsentis decreti, Adamo non peccante. Probatur consequentia: vi præsentis decreti non veniret Christus, nisi ob aliquod sufficiens motivum, vt decreto præsenti à voluntate Divina in adventum Christi est ordinatum; sed per nos nullum est motivum vi præsentis decreti no ordinatum ordinatione Divinæ voluntatis in redemptionem peccati: ergo non veniret Christus vi præsentis decreti Adamo non peccante.

Respondeo. Respondeo distinguendo maiorẽ: vi præsentis decreti no veniret Christus, nisi ob aliquod sufficiens motivũ, vt decreto præsenti à voluntate Divina in adventum Christi est ordinatum, attento decreto cum omni circunstantia circa modum, quo Christus de facto venit concedo maiorem; attento decreto sine aliqua circunstantia circa modum, quo de facto Christus venit nego maiorem; distinguo minorem: nullum est motivum vi præsentis decreti non ordinatum ordinatione Divina in remediũ peccati, decreti includentis circunstantias omnes adventus Christi, vt modo Christus venit concedo minorem; non includentis omnes circunstantias nego minorem; & distinguo consequens: ergo vi præsentis decreti circunstantionati circa modum, quo Christus de facto venit, non veniret concedo consequentiam; nõ circunstantionati nego consequentiam. Datur enim, vel duplex decretũ, vel decretum extensum, vt toties dictũ est.

233 *Contra.* Contra: ablata circunstantia adventus Christi, vt modo venit, auffertur præsens decretum; sed per nos no veniret Christus, Adamo non peccante, vi præsentis decreti circũstantionati hac præsenti circunstantia: ergo non veniret, nisi aufferatur præsens decretum. Probatur maior: ablata circunstantia illa auffertur efficatia decreti in linea saltim executionis; sed ablata efficatia decreti in linea executionis auffertur decretum: ergo, &c. Probatur maior: efficatia decreti in linea executionis attendit ad omnes circunstantias in executione ponendas: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: attendit ad omnes circũstantias intrinsicas, sine quibus nequit in executione externa poni decretum concedo antecedens; extrinsicas, sine quibus potest vi efficatiæ decreti poni nego antecedens, & consequentiam.

234 *Arguitur 2.* Arguitur secundo. adventus Christi in quacumque providẽtia, vel esset

in carne passibili, vel impassibili: ergo si Adamo non peccante, Christus veniret, vel veniret in carne passibili, vel impassibili: ergo decretum incarnationis quoad ipsius substantiam terminatum est connexum cum decreto de passibilitate, vel impassibilitate: ergo vi præsentis decreti Christus nō veniret, Adamo non peccante. Probatur hæc consequentia: si vi præsentis decreti Christus veniret, Adamo non peccante, vel veniret vi decreti, vt de facto connexi cum decreto de passibilitate, vel vi decreti, vt præcissi à decreto de passibilitate; sed neutro modo: ergo, &c. Maior est certa apud omnes. Minor pro prima parte est æque certa. Pro secunda vero.

Probatur: vi præsentis decreti, vt præcisi à decreto de passibilitate, Christus non veniret, Adamo non peccante: ergo nō veniret vi præsentis decreti, vt præcisi à decreto de passibilitate. Probatur antecedens: præsens decretum, vt præcissum à decreto de passibilitate, præscindit etiā à decreto de impassibilitate; sed vi decreti præscindentis à decreto de impassibilitate Christus nō veniret, Adamo non peccante: ergo, &c. Maior est certa: nam præsens decretum, vt præcissum à decreto de passibilitate, terminatur tantum ad substantiam Incarnationis, consequentèrque præscindit ab omni modo.

235 Minor autem probatur: vi decreti præscindentis à decreto de passibilitate Christus non veniret, Adamo nō peccante: ergo, &c. Antecedens est certum. Primo: quia alioquin de facto veniret Christus vi talis decreti, quod est falsum. Secūdo: quia aliquid esset in tempore, quod ab æterno nō esset decretatum. Tertio: quia decretum Incarnationis quoad ipsius substantiam terminatum, non esset connexum cum decreto de passibilitate, vel impassibilitate, quod est concessum. Consequentia eisdem rationibus probatur; vltrà quod sic: ideò Adamo peccante non veniret Christus vi decreti præscindentis à decreto de passibilitate, quia Adamo peccante veniret Christus passibilis; sed per nos Adamo non peccāte veniret impassibilis: ergo, &c. Confirmatur, & vrgetur difficultas: vt Christus veniret Adamo non peccante, necessariū erat decretum nobum de impassibilitate: ergo vi præsentis decreti non veniret, sed vi nobi.

Hoc argumentum, etsi specialitèr formalizatum, idem est cum Vasquij argumento; ideòque triplex solutio tradita ad ipsius argumentum §. 11. huic applicetur; vltrà quod respondeo negando, quæ negata sunt *n.* 234. negoque antecedens positum *n.* 235. quia Adamo nō peccante, vel peccante, Christus veniret vi decreti præcissi ex natura rei à passibilitate, & impassibilitate; virtualitèr tamen includentis passibilitatem, vel impassibilitatem. Ratio est: nam hoc ipso, quod decretum sit efficax, dicit virtualitèr media, postea formalitèr decretanda, vt claret in decreto dandi gloriam, vt coronam, vel hæreditatem, de quo diximus proprio loco, & per quod patet ad confirmationem. 236 *Respondeo.*

Arguitur tertio: Adamo non peccante non essent Sacramenta ex vi præsentis decreti: ergo Adamo non peccante vi præsentis decreti Christus non veniret. Antecedens est Scoti *in* 4. *dist.* 26. *quæst.* 1. §. *de primo litt. K. dicente*: *De primo non potest dici, quod Sacramentum Matrimonij sit institutum in statu innocentiæ, quia omnia Sacramenta habent efficatiam à passione Christi exhibita, vel præviſſa; si autem status innocentiæ stetisset, passio Christi nō fuisset exhibita, nec præviſſa.* 237 *Arguitur* 3.

Item: *in* 4. *dist.* 39. *quæst.* 1. *infrà A.* ait: *Tertia etiam ratio non movet, quia omnibus contractibus Matrimonij præcedentibus Legem Evangelicam non fuit annexum Sacramentum propriè dictum, nec fuisset annexum contractui in statu innocentiæ, si semper in illo mansisset, sicut dictum est suprà distinct.* 26. Item: *in* 2. *dist.* 20. *quæst.* 1. *in solutione ad* 1. loquendo de hominibus in statu innocentiæ, si durasset, ait: *Miraviliter fuissent adiuti filij, ne peccassent; tum: propter iustitiam originalem: tum: propter solicitam doctrinam Parentum, &c.* quibus verbis expræsè docet: alia via, quam per Sacramenta, præservandos fuisse homines in statu innocentiæ à peccato.

Probatur iam consequentia: nulla est ratio pro adventu Christi Adamo non peccante, quæ non stet pro existentia Sacramentorum, Adamo non peccante; sed hoc non obstante, Ada- 238 *Consequentia probatur.*

mo

mo non peccante non essent per nos Sacramenta vi præsentis decreti: ergo nec Christi adventus. Probatur maior: ratio pro adventu Christi, vel est, quia decretū Incarnationis præcessit prævisionem peccati futuri, vel quia manet motivum principale Incarnationis; sed quælibet ex his stat etiam pro existentia Sacramentorum, Adamo non peccante: ergo, &c.

239 *Prob. minor quoad 1. part.*

Probatur minor quoad primam partem. decretum de institutione Sacramentorum præcessit prævisionem peccati futuri: ergo si ratio pro advētu Christi est, quia decretum Incarnationis præcessit prævisionem peccati futuri, etiam stat pro existentia Sacramentorum, Adamo non peccāte. Probatur antecedens: quæ sunt ordinis gratiæ præcedunt in intentione Divina, quæ sunt ordinis naturæ; sed Sacramenta sunt ordinis gratiæ, & peccatum ad ordinem naturæ spectat: ergo, &c.

Prob. quoad 2.

Probatur minor quoad secundam partem: Adamo non peccante manet motivum principale institutionis Sacramentorum: ergo motivum principale Incarnationis etiam stat pro existentia Sacramentorum, Adamo non peccante. Probatur antecedens: in institutione Sacramentorum fuerunt hæc duo motiva, scilicèt, manifestatio potentiæ Divinæ, Sapientiæ, bonitatis, &c. & medicina peccati, sicut in Incarnatione manifestatio attributorum, & medicina peccati; sed ex his motivum principale est manifestatio potentiæ Divinæ, Sapientiæ, bonitatis, &c. sicut in Incarnatione manifestatio attributorum: ergo, &c. Maior patet: quia producere gratiam per res sensibiles est vnum ex maximis operibus potentiæ, sapientiæ, & bonitatis Divinæ. Minor, & consequentia sunt legitimæ.

240

Ad hoc argumentum respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad probationem negatis, quæ sunt negata, ad probationē minoris quoad primam partem nego antecedens, & distinguno probationem: quæ sunt ordinis gratiæ præcedunt in intentione Divina, quæ sunt ordinis naturę, si non dependeant, vel supponant, seu correlationem non dicant ad ea, quæ sunt ordinis naturæ concedo maiorem; si dependeant, vel supponant, seu correlationem dicunt, ad ea, quæ sunt ordinis naturæ nego maiorem, distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

Respondeo ad omnia.

Ratio est: nam passio Christi est ordinis gratiæ; peccatum verò ordinis naturæ; & tamen prius fuit prævisum peccatum, quam fuerit decretata passio Christi ob dependentiam, suppositionem, & correlationem passionis à peccato. Sic similitèr Sacramenta, vtpotè, dependentia, & supponentia passionem Christi, à qua habent suā efficatiam, vt claret ex verbis Scoti *in 4. adductis dist. 26.* vt suprà. Ad probationem minoris pro secūda parte nego antecedens, ad probationem nego maiorem; nam in Sacramentorum institutione primum motivum est à peccato dependens ob rationem datam; non verò Incarnatio, vt dictum, & probatum est in discursu disputationis, præsertim §. 2.

§. XIV.

Corollaria præcedentis doctrinæ, & vna difficultas resolvitur.

EX dictis in discursu huius disputationis colligo primo: verba Patrum asserentium: nullam causam fuisse veniendi Christum, nisi peccatores salvos facere, non ita esse accipienda, vt excludant causam adventus Christi à remedio peccati distinctam, & cum illo cōnexam. Prima pars corollarij est III. God. *num.* 222. quā hac ratione optimè probat: nam decretū intentivum Incarnationis, cum fuerit actus liberalitatis Divinæ, debuit moveri à Divina bonitate; motivum nāque liberalitatis est bonitas operantis: ergo verba Patrum non sunt ita accipienda, vt excludant à prædicto Incarnationis decreto omne motivū distinctum à remedio peccati.

241 *1. Corollarium.*

1. Pars probatur.

Secunda verò pars corollarij est contra III. God. *num. cit.* & probatur: nam intentum Patrum solum erat, Christum non venturum, vt passibilē, sicut de facto venit, non existēte peccato; sed hoc Patrum intentum salvatur quam optimè, quin motivum decreti Incarnationis distinctum à remedio peccati sit cum remedio peccati connexum: ergo verba Patrum non ita sunt accipienda, vt excludant

242 *2. Pars probatur contra III. Godoy.*

mo-

motivum cum remedio peccati connexum. Consequentia est legitima. Maior constat ex dictis *numer.* 44. vbi verba Patrum explicuimus in supra dicto sensu, de quo quadruplicem dedimus rationem *num.* 45. Minor patet: nam adventus Christi in carne impassibili salvatur absque omni cõnexione cum remedio peccati. Quod verò in oppositum adducit Ill. Godoy, solutum manet ratione data.

243 *2. Corollarium.*

Secundo ex dictis infertur: primam illam voluntatem, qua Deus Incarnationem decrevit ordine intentionis, fuisse ostensionem suæ gloriæ, & excellentiam misterij. Hoc corollarium est contra Ill. God. *num.* 223. asserentem: primam voluntatem, qua Deus Incarnationem ordine intẽtionis decrevit, fuisse amorem Dei erga homines. Probatur primo: voluntas prima, qua Deus Incarnationem ordine intentionis decrevit, terminata fuit ad motivum magis principale illius; sed hoc est ostensio gloriæ Dei, & excellentia misterij, vt diximus *numer.* 10. neque hoc videtur negare Ill. God. vt cõstabit probatione sequẽti: ergo, &c. *Probat 1. contra Ill. Godoy.*

244 *Prob. 2.*

Probatur secundo: Patres iuxtà Ill. God. *num.* 222. non negant motivum adventus Christi à remedio peccati distinctum, etsi illud negent à remedio peccati inconnexum; sed motivũ à remedio peccati distinctum aliud non est, nisi ostensio gloriæ Dei, & excellentia misterij: ergo hoc motivum terminavit voluntatem Dei, qua Incarcationem ordine intẽtionis decrevit: ergo hoc motivum terminavit primam voluntatem Dei, qua Incarnationem ordine intentionis decrevit. Probatur hæc consequentia: quia magis connaturale, & consentaneum est, quod motivum excellentius, & principalius alicuius rei terminet primam voluntatem, qua Deus illam ordine intentionis decrevit, quam quod prædictam voluntatem terminet motivum non ita excellens, & principale; sed inter ostensionem gloriæ Dei, excellentiamque misterij, & remedium peccati, illud est excellentius, & principalius: ergo, &c.

245 *Prob. 3.*

Probatur tertio: prima voluntas, qua Deus Incarnationem ordine intentionis decrevit, terminata fuit ad primum motivum Incarnationis ordine intentionis; sed primum motivũ Incarnationis ordine intentionis fuit ostensio gloriæ Dei, & excellentia misterij: ergo prima voluntas, qua Deus Incarnationem decrevit ordine intentionis fuit ostensio gloriæ, & excellentia misterij. Consequentia est legitima. Maior patet: nam primum motivum ordine intẽtionis est, quod ordine intẽtionis primo amatur. Minor autem probatur: quod est primũ in genere causæ finalis, est primum motivum ordine intentionis; sed respectu Incarnationis ostensio gloriæ Dei, & excellentia misterij est primũ in genere causæ finalis: ergo, &c.

Maior est certa: nam ordine intentionis finis *cuius gratia* est absolutè primum; sed finis *cuius gratia* est primum in genere causæ finalis: ergo vera est maior. Minor probatur: ordine intentionis priùs fuit volitus Christus quoad substantiam Incarnationis, quam permissio peccati in genere causæ finalis, vt habet Ill. God. *num* 115. atqui motivum, quo volitus fuit Christus quoad substantiam Incarnationis in genere causæ finalis ante permissionẽ peccati, aliud esse nequit, nisi ostensio gloriæ Dei, & excellentia misterij: ergo, &c.

246 *Objicit 1. Ill. Godoy.*

Sed contra prædictum corollarium objicit primo Ill. God. *num.* 223. verba illa Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; quibus apertè traditur, donationem Vnigeniti processisse ex amore Dei erga homines: ergo prima voluntas, qua Deus Incarnationem ordine intẽtionis decrevit, fuit amor Dei erga homines: ruit ergo nostrum corollarium. *Respondeo.* Respondeo concedendo verba Evangelistæ, & negando consequentiam; nã nullo modo ex verbis Ioanis sequitur: ex illis namque solum sequitur, in Deo Incarnationem decretãdo fuisse amorem erga homines; quod autem hæc esset prima Dei voluntas, qua Incarnationem ordine intentionis decrevit, nec Evangelista asserit, nec ad intentum illius de hoc agere pertinebat; imò nec Ill. God. illud fundat, & denique oppositum esse verius ex nostris præiactis probationibus constat, & amplius constabit, solvendo sequentem obiectionem.

247 *Objicit 2.*

Objicit secundo Ill. God. *num.* 224

nam

Objicit 2.

nam amare aliquem, est velle illi bonum cum discrimine inter Divinam, & humanam voluntatem, quod hæc ob suam limitationem non semper infert bonum, quod amato desiderat; Divina autem, si efficax est, bonum amato volitum infallibilitèr infert, & causat; sed prima illa volitione, qua decretata fuit Incarnatio, Deus voluit hominibus bonum Incarnationis, cũ terminata fuerit ad Christum, vt Redemptorem hominum à peccato, & à peccati captivitate; qua ratione hominibus bona fuit, & maxima omniũ gratiarum, quã Deus sua largitate in genus humanum effudit: ergo prima illa voluntas, qua Deus ordine intentionis Incarnationem Verbi decrevit, fuit amor, quo dilexit homines, illis tam excelsum bonum volens.

248 *Respondeo.*

Respondeo concessa maiori, negando minorem, & probationem imbibitam; prima itaque volitio, qua decretata fuit Incarnatio, non fuit terminata ad Christum, vt Redemptorẽ, sed ad Christum quoad substantiam Incarnationis, vt per totam disputationem manet probatum, & stabilitũ, quin aliud de nobo sit addendum.

249 *3. Corollarium.*

Tertio infertur: primum illud decretum fuisse actum Divinæ leberalitatis; non verò Divinæ misericordiæ erga homines. Prima pars est Ill. God. *num.* 225. quam secunda illius ratio (prima ommissa) optimè probat, scilicèt; nam voluntas nullam obligationem in operante supponens, & illius innitens bonitati, actus liberalitatis est; sed primum illud Incarnationis decretum nullam in Deo obligationẽ supponit, Deique innititur bonitati: ergo est actus liberalitatis Divinæ, imò actus liberalitatis ita perfectus, vt illo maximè Dei bonitas, & largitas ostendantur.

1. Pars probat.

250 *Prob. 2. cõtra Ill. Godoy.*

Secunda pars corollarij est contra ipsum citatũ, & per oppositũ ad illius probationẽ est à nobis probãda. Probatur itaque: obiectum misericordiæ erga homines est illorũ miseria sublevanda; sed prima illa voluntate non voluit Deus Christum hominibus, vt sublevativum miseriæ illorum, motus ab illa: ergo non fuit actus misericordiæ Divinæ erga homines Minor pro prima parte constat: nam prima illa Dei voluntas non fuit terminata ad Christum, vt Redemptorem hominum à captivitate peccati: ergo non fuit terminata ad Christum, quatenus sublevativus miseriæ hominum constitentis in peccato, & in peccati captivitate. Secunda pars eiusdem minoris probatur: vt enim docuimus in secunda conclusione *numer.* 140. decretum, quo primo Incarnatio fuit intenta, præcesit prævisionem peccati: ergo Deus ad tale decretum non fuit motus à miseria prævisa, & consequentèr huiusmodi decretum non fuit formalitèr actus Divinæ misericordiæ erga homines.

251 *Vltimum corollarium*

Denique infertur: ordinem inter Divina decreta sic esse in Divina mẽte statuendum, vt primo sit volitus Christus secundum substantiam Incarnationis, quam ordo vniversi, & quam permissio peccati sine posterioritate in genere causæ materialis. Secundo: proptèr merita Christi prędestinavit electos, & circa reprobos se habuit merè negativè. Tertio: decrevit Deus dare hominibus dona gratiæ ad consequendam gloriam. Quarto proptèr Christum, & proptèr electos decrevit Deus hunc mũdum sensibilem creare. Quinto vidit Deus hominem casurum. Sexto deniquè: providens de remedio decrevit Christum venturum in carne passibili in medelam peccati.

Ordo Divinorum decretorum.

252

Vndè ordine intentionis Incarnatio secundum substantiam fuit prior in genere causæ finalis, quam ordo vniversi, & permissio peccati, sine posterioritate in genere causæ materialis; loquendo autem de Christo, vt Redemptore, ordo vniversi, permissio peccati, & remedium illius fuerunt prius volita ordine intentionis, quam Christus, vt Redemptor; cum hoc tamen discrimine, quod remedium peccati fuit prius in genere causæ finalis, vt finis *cuius gratia*, saltim intermedius; homo redimendus, vt finis *cui*, *& vtilitatis*; & peccatum, vt materia destruẽda. Ordine verò executionis ordo vniversi, & peccatũ fuerunt priora Incarnatione quoad substãtiã; loquendo autem de Incarnatione, vt est Redemptio, hæc fuit prior remedio peccati, homine vt redimendo, & peccato vt destruendo; quia Incarnatio sic accepta fuit medium propriè

imptum, quo assecutũ est remedium peccati, quo homo fuit redemptus, & quo peccatum mansit destructum. Per hæc itaque dicta in disputatione declarata manent.

253 *An vi præsentis decreti non existente peccato originali, Christus veniret?*

Sed pro complemento totius disputationis restant (inquit Ill. God.) non nullę difficultates brivitèr expediędę. Prima est: an vi præsentis decreti, non existente originali peccato, veniret Christus in carne mortali, & passibili propter sola mortalia actualia?

254 *1. Suppositum.*

Pro quo suppono primo: Christum venisse ob remedium omnium peccatorum, vt constat ex illo ad Titum 2. *Dedit se ipsum pro nobis, vt redimeret ab omni iniquitate.* Et ad Ephes. 15. *Venit nos ab omni peccato mundare.* Ratio est: quia Christus venit, vt perfectissimus Redemptor satisfactione aliquo modo infinita: ergo ad omnia peccata se extendit, & in remedium omnium peccatorum.

255 *2. Suppositum.*

Suppono secundo: durante statu innocentiæ Adami posteros eius potuisse peccare, sicque essent peccata actualia sine originali. Hoc probat Scotus *in 2. dist. 20. quæst. 1.* nam filij Adæ in illo statu non nascerentur confirmati in gratia: ergo possent actualitèr peccare. Cæterum quid quid sit de hoc, pro nunc ab omnibus sine controversia admittitur hypotesis.

256 *3. Suppositum.*

Suppono tertio: Christum non venturum Adamo non peccante, si solum essent peccata actualia levia; nam peccata venialia non constituunt hominem inimicum Dei, nec absolutè excludunt à Regno Cœlorum, nec exigunt tantam satisfactionem, qualem infert mors, & passio Christi.

257 *4. Suppositum.*

Suppono quarto: quod vi præsentis decreti Incarnatio, vt passibilis, principalitèr facta est ob remedium peccati originalis, & non ita principalitèr ob actualia. Ratio est: quia præcipuum motivum fuit remedium peccati, per quod totum genus humanũ corruerat, vt patet ex illo ad Romanos 5. *Vt sicut per vnum hominem omnes homines perierunt; ita per vnum hominem vivificarentur.* Item: originale fuit radix cæterorum: ergo Christus, vt sapientissimus Redemptor, principalius venit, vt adhiberet remedium radici. Nec obest: quod peccatum actuale sit maius, quam originale, quia est magis voluntarium. Non obest: quia hoc tantum probat, quod sit maius intensivè, non verò extensivè, quod claret: nam peccatum originale maius malum inducit, quam actuale. Quibus suppositis.

258 *Respondetur ad difficultatem. Probatur.*

Asserendum est: vi præsentis decreti de passione Christi non venturum Christum, vt mortalis, peccato originali deficiente propter actualia. Sic Thomistæ cum D. Thom. *in præsenti artic. 3. in corpore*, cum quo Ill. God. *num. 232.* & probatur brevitèr: non existente originali peccato non foret præsens decretum de passione Christi: ergo vi præsentis decreti de passione Christi, non veniret Christus, vt mortalis, propter actualia, peccato originali deficiente. Probatur antecedens: peccatum originale fuit saltim motivum principale decreti mortis Christi; sed deficiente motivo principali deficit decretũ, & si sint motiva minus principalia: ergo, &c.

Confirmatur.

Augetur difficultas, & confirmatur: vna ex rationibus, quæ secundum aliquos Patres specialitèr movit Deum, vt potius homini, quam Angelo, subveniret, est, quia per peccatum originale tota natura ruerat; non tamen per peccatum Angelorum; sed hæc ratio cessaret, cessante peccato originali, & si actualia essent: ergo vi præsentis decreti de passione Christi non veniret Christus, vt mortalis, propter actualia, peccato originali deficiente.

259 *Arguitur 1*

Arguitur primo: quod potissimè movit Deum in peccato originali ad Incarnationem passibilem, fuit necessitas remedij, & reconciliationis cum Deo; sed etiam peccata actualia indigerent remedio, & reconciliatione: ergo vi præsentis decreti de passione Christi veniret Christus, vt mortalis, propter actualia, peccato originali deficiente.

Respondeo.

Respondeo concedendo maiorem, & minorem, & distinguo consequens: ergo veniret vi præsentis decreti nego consequentiam; vi alterius concedo cõsequentiam, & quod argumentum aliud non probet.

Solutio claret 1.

Claret primo: nam argumentum solum probat: similitudinem motivi peccatorum actualium cum motivo peccati originalis; non verò probat identitatem; sed similitudo motivi solum arguit similitudinem in decreto;

non

non autem identitatem: ergo ad summum probat: Christum venturum vi alterius decreti. Claret secundo: quia similitudo motivi peccatorum actualium cum motivo peccati originalis non tollit, quod remediū peccati originalis sit primarium motivū decreti, quia adhuc inter similia potest voluntas vnum intendere primario, & aliud secundario; sed hoc ipso deficiente originali nō potest venire vi præsentis decreti: ergo si probat, Christum venturum, probat vi alterius decreti.

Secundo.

260 Arguitur secundo: supposito, quod homines actualitèr peccantes in dicta hypotesi essent prædestinati, salvarentur: ergo veniret Christus passibilis, vt pro eorum peccatis satisfaceret.

Arguit 2.

Respō. leo 1. Respondeo primo: argumentum solum probare vi alterius decreti in prædicto casu habiti; vndè distinguo consequens, vt in argumento antecedenti distinxi. Respondeo secundo negando cōsequentiam. Primo: quia posset Deus condonare peccata eorū. Secundo: quia posset disponere satisfactionem per merita non peccantium. Tertio: quia non stante peccato originali nullus prædestinatus peccaret, sed reprobi tantum; quia prædestinati essent, sicut confirmati in gratia, quare in dicta hypotesi non peccarent. Ecce duplicem solutionem, quarum quælibet est sufficiens.

Secundo.

§. XV.

Alia difficultas solvitur.

261 SEcunda difficultas est: an existente peccato originali, Verbum assumeret carnem, Christus que Redemptor veniret in vi præsentis decreti, esto non existerent actualia peccata? Prima sententia negat in casu proposito futuram Incarnationem vi præsentis decreti. Hanc tenet Ill. Godoy *num.* 241. Secunda, & verior sententia affirmat, in casu proposito futuram Incarnationem vi præsentis decreti. Quam sententiam pro conclusione statuo contra Ill. Godoy, vt conformem Cantico Ecclesiæ: *O verè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est.* Cui consonant plures Patres, quorum authoritates in Authoribus videndas relinquo; nullam tamen in se objicit Ill. Godoy.

An vi præsentis decreti Christus veniret solo peccato originali existente?

1. Sententia Ill. God.

2. Et vera.

262 Probatur primo conclusio ratione ab Ill. Godoy non tacta: id, quod excitavit Deum ad prædestinandum Christum passibilem, fuit ruina totius naturæ humanæ, vt ex Apostolo diximus *num.* 257. sed solo peccato originali existente, tota natura humana maneret corrupta: ergo illa stante staret motivum Incarnationis Christi passibilis: ergo existente peccato originali, Verbum assumeret carnem, Christus que Redemptor veniret in vi præsentis decreti, esto non existerent peccata actualia. Confirmatur: manente eodem obiecto principali, manet idem decretum; sed solo peccato originali existente manet idem obiectum principale decreti Incarnationis Christi, vt passibilis, vt docet D. Thom. *in præsenti art.* 4. & concedit Ill. Godoy *num.* 266. ergo vi præsentis decreti Verbum assumeret carnem, Christus que veniret passibilis, solo peccato originali existente.

Prob. 1. cōclus.

Confirmatur.

263 Probatur secundo conclusio: stante originali peccato, & actualibus deficientibus, stat motivum decreti Divini de vnione Verbi cum natura humana: ergo stante originali peccato, & actualibus deficientibus, stat motivum Incarnationis. Atqui non Incarnationis præcisivè à passibilitate: ergo stat motivum Incarnationis passibilis. Probatur antecedens: vna ex cōsequentijs, quam tradunt Patres, & Theologi, vt Verbum vniretur potius cum natura humana, quam cum Angelica, est, quia natura humana ceciderat tota; non verò Angelica; sed hæc congruentia nulla esset, si solo stante originali peccato, non staret motivum decreti de vnione Verbi cum natura humana, vt ex terminis patet: ergo, &c.

Prob. 2. cōclus.

264 Probatur tertio conclusio paritate deducta ex doctrina generali Thomistarum negantium: habitum spei manere in Patria: ideò in patria non manet habitus spei iuxta Thomistas, quia deficiente desiderio, deficit omninò habitus spei: ergo deficiente peccato originali, deficit omninò Incarnatio passibilis, & mortalis. Probatur consequentia: ideò iuxta Thomistas deficiente desiderio, deficit omninò habitus spei, quia deficiente desiderio, deficit motivum principalius ponendi habitum spei; atqui de-

Prob. 3. ad hominē cōtra Ill. Godoy ex doctrina generali Thomistarum.

ficiente peccato originali, deficit motivum principalius incarnationis passibilis, & mortalis: ergo, &c. Maior est communis Thomistarum doctrina. Minor autem est Ill. Godoy *cit. num. antecedenti*, vbi esse etiam communiter Theologorum fatetur ipse.

265 *Arguit 1. Ill. Godoy.*

Contra hanc nostram conclusionē arguit Ill. God. *n.* 241. nam motivum adæquatum decreti incarnationis non fuit remedium originalis peccati, sed etiam actualium mortaliumsed deficiente motivo adæquato, vel parte illius, non potest idem decretum subsistere: ergo casu, in quo solum esset originale peccatū, non existeret præsens decretum, & consequenter non existeret Incarnatio in vi illius. Secūda consequentia ex prima evidenter colligitur: nam vi decreti non existentis nihil potest existentiam accipere: ergo si in data hypotesi præsens decretum non foret, no posset Incarnatio existere in vi illius. Prima consequentia benè ex præmissis infertur. Minor est certa, & maior, ad quā tota devoluitur difficultas, probatur: nam finis adventus Christi fuit perfecta hominis Redēptio à captivitate Diaboli: sed perfecta Redemptio non foret, si solum peccato originali remedium atulliset, non autem actualibus mortalibus: ergo, &c.

266 *Respondent aliqui.*

Ad hoc argumentum respondent aliqui: motivum, seu obiectum extensivum decreti, quo de facto intenta fuit Incarnatio, comprehendere sub se peccata actualia mortalia simul cū originali, secus autem motivum, aut obiectū primariū, sed hoc in solo peccato originali, & in illius remedio consistere; peccatis personalibus, & illorū remedio solū secundario ingredientibus, & vt idē persistat decretum, sufficere idē motivū primariū tametsi in secundario identitas non servetur: ac proinde etia si peccata actualia non forent manente originali peccato, idē maneret decretum, vi cuius in data hypotesi maneret Incarnatio, Christus que veniret Redemptor.

267 *Insuagit Ill. Godoy.*

Sed contra hanc solutionem insurgit Ill. God. *n.* 243 nam motivum primarium Incarnationis Christi, vt passibilis, & mortalis, fuit redēptio perfecta à captivitate Dœmonis quoad sufficientiam; sed hæc non consistit adæquatè in satisfactione pro culpa originali, sed etiam pro peccato personali mortali, cum per vtrumque homo Diabolo subijciatur, constituaturque sub ipsius potestate: ergo motivum primarium adequatum decreti intentivi Incarnationis, & Christi, quatenus redemptoris, nō fuit solum peccatum originale, & hominem ab illo redimere, sed etiam personale mortale, & satisfactio pro illo, & consequentèr deficientibus peccatis actualibus, & manente solo originali, esset variatio in obiecto primario motivo decreti intentivi Incarnationis, cum quo non stat idem decretum subsistere.

268 *Respondeo ad argum.*

Vnde illa solutione prætermissa, & in sua probabilitate relicta, respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: finis adventus Christi fuit perfecta hominis redemptio à captivitate Diaboli, distinguo inquam ly *hominis*: hominis specificè sumpti, seu totius naturæ concedo maiorem: hominis individualiter accepti nego maiorem, & distinguo minorem eadem distinctione, negoque consequētiam. Vel distinguo aliis terminis. finis adventus Christi fuit perfecta hominis redemptio à captivitate Diaboli, orta ex ruina totius naturæ humanæ concedo maiorē; à captivitate orta ex ruina huius, vel illius hominis nego maiorē; & eisdē terminis distinguo minorē, negoq consequentiam.

269 *Ratio solutionis.*

Itaque: dubitari nequit: Redemptionem hominis à peccato factam per Christum esse perfectam; ex hoc autem non probatur: Christum non venturum Redemptorem, deficientibus peccatis actualibus. Primo: nam stante solo originali, esset motivum sufficiens, & principalius, & esset perfecta hominis redemptio à captivitate Diaboli orta ex ruina totius naturæ humanæ, quæ Deum excitavit ad prædestinandum Christum passibile, vt ex Paulo, Patribus, & Theologis deduximus, & ostendimus in nostris probationibus. Secundo: quia re bene considerata potest dici: quod peccata actualia non fuerunt obiectum motivum adventus Christi, vt Redemptoris; sed solum obiectum impulsivum; quarè peccatis actualibus deficienti-

bus,

bus, maneret obiectum motivum decreti Christi redemptoris, quia hæc est natura obiecti impulsivi, vt diximus *num.* 5.

270 *Argues pro Ill. Godoy.*

Ill. Godoy aliam rationem pro sua conclusione non adducit; potest tamē pro ipso sic argumentari: vi præsentis decreti, quo re ipsa venit Christus, vt redemptor, nō potuit venire, nisi passibilis, & mortalis: ergo vi illius non poterat venire, nisi dependentèr à morte, & passione sua: ergo dependētèr à peccato actuali Crucifigentiū: ergo iam non posset venire vi præsentis decreti sine aliquo peccato actuali. *Respondeo.* Respondeo concedo antecedens, & distinguo primum consequens: à morte, & passione sua, quam de facto passus est nego cosequentiā; ab aliqua morte, & passione concedo consequentiā, & nego subillatas. Ratio est: quia decretū præsens de Christo passibili dependebat essentialiter ab aliqua morte Christi; non verò ab illa, quam passus est à Iudæis determinatè. Vndè in illo casu redimeret Christus peccatum originale per mortem à naturalibus causis infligendam sine vllo hominum actuali peccato; sicuti nunc homines naturalitèr, & sine aliorum culpa moriuntur.

271

Tertia difficultas est: quid sit in vtroque casu dicendū vi alterius decreti, an scilicèt, vi illius in vtroq; casu exituri veniret Christus redemptor, existente originali sine actualibus, vel his existentibus sine culpa originali? Circa quod censeo cum Ill. Godoy; non posse prudentèr iudicium in alterutrā partem determinari, nec positivè affirmādo, nec positivè negando: venturū Christum vi alterius decreti, casu, quo non existeret peccatū originale, sed suspendendum esse iudicium. Quod cum illo probo ex his, quæ *n.* 1. diximus: nam de his, quæ dependent ex sola libera voluntate Divina, non possumus prudentèr, nisi ex Dei revelatione, discurrere; sed Christū vi alterius decreti in prædictis casibus redemptorem venire, ex libera Dei voluntate dependet, & ex Dei revelatione, nec pars affirmativa, nec pars negativa cōstat: nihil enim in hoc puncto nobis revelatum est: ergo nō possumus prudenti iudicio alterutri parti determinatè assentiri, asserendo: vēturum determinatè, aut determinatè non venturum. Et hæc de tota disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. distinct. 1. §. 1.* ad illa verba: *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Hæc etiam de primo tractatu dicta sufficiant.

3. Difficultas.

TRACTATVS SECUNDVS.

DE MODO VNIONIS VERBI INCARNATI.

DISPVTATIO NONA.

Vtrùm vnio humanitatis ad Verbum facta fuerit in persona, vel in natura?

IN hoc dubio (sic incipit disputationem Ill. Godoy) non cum Catholicis, sed cum hæreticis est controversia, contra quos optimè illam tractat Doctor prædictus, cum quo in præsenti nullum habemus litigium; fatemur namque Catholicè: quod vnio Verbi ad humanitatem non est facta in natura, sed in persona. Vndè hanc disputationem prætermitendo, ad sequentem pergimus.

DISPVTATIO DECIMA.

An Christus verè sit, & dicatur persona composita propria compositione?

§. I.

Quibusdam præsuppositis referuntur sententiæ, vera eligitur, & probatur.

Num. 1 EX vnione humanitatis ad Verbum Christum esse compositum, sumpta compositione pro constitutione ex pluribus realiter distinctis, à nullo Theologorum negatur, imo nec posse negari ex ipsa terminorum explicatione manifestè convincitur; Christus enim est aliquod vnum, & non omnino simplex, & consequenter est aliqua ratione compositus, abstrahendo à modo talis compositionis. Quod igitur in discrimen vertimus, est: an persona Christi, prout in duabus naturis subsistit, sit composita vera, & propria compositione.

2 *Notabile necessario sciendum.* Pro cuius decisione necessario supponendum est, quod titulo disputationis supponitur, scilicèt, quod duplex est compositio. Vna nec propria, nec stricta. Alia verò stricta, & propria. Compositio non propria, nec stricta est vnio tantùm plurium distinctorum, quomodocumque se habeant. Compositio propria, & stricta est vnio distinctorum, se habentium, vt partes, sivè vnum se habeat per modum actus, & perfectivi, & aliud per modum potentiæ, & perfectibilis; sivè vtrumque se habeat per modum potentiæ. Vnde compositio realis non propria, nec stricta est vnio tantùm plurium realiter distinctorum, quomodocumque se habentium. Compositio verò realis propria, & stricta est vnio plurium realiter distinctorum, se habentium, vt partes, sivè vnum se habeat per modum actus, & perfectivi, & aliud per modum potentiæ, & perfectibilis; sivè vtrumque se habeat per modum potentiæ.

3 Cæterum, quia hoc est, in quo tota huius disputationis difficultas nititur, hoc firmandum est, vt appareat, quis magis propriè loquatur in præsenti disputatione, quæ (meo iuditio) est de nomine tantum. Et quidem, quod vnio tantum distinctorum, quomodocumque se habentium, sit compositio non propria, nec stricta, ostenditur: in Deo datur vnio realiter distinctorum quomodocumque se habentium, scilicèt, personarum; sed in Deo non datur realis compositio propria, & stricta: ergo cum vnio tantum pluriū realiter distinctorum, quomodocumque se habentium, sit compositio, erit tantū compositio nō propria, nec stricta.

Firmatur 1 pars notabilis.

4 Imò hoc fatetur Gonet *in præsenti disp. 6 n 32.* vbi ait: quod compositio, vt est vnio distinctorum, est perfectio depurata ab imperfectionibus partis, & potentiæ, cum quibus in creatis invenitur. Ex quo argumentum sustinuimo ad probandum intentum: compositio, vt est vnio distinctorum, est perfectio depurata ab imperfectionibus, cum quibus in creatis invenitur: ergo compositio hoc modo capta necessario debet poni in Deo: ergo cōpositio hoc modo capta non est compositio propria, & stricta. Hæc secunda consequentia est manifesta; repugnat enim Deo compositio propria, & stricta. Prima verò probatur: omnis perfectio simpliciter simplex necessario debet in Deo poni; sed omnis perfectio depurata ab imperfectionibus est perfectio simpliciter simplex: ergo, &c.

5 Quod autem vnio distinctorum se habentium, vt partes, sivè vnum se habeat per modum actus, & aliud per modum potentiæ, sivè vtrumque se habeat per modum potentiæ, sit cōpositio propria, & stricta, convincitur

2. Pars notabilis firmatur.

pri-

primo: vnio distinctorum quomodocumque se habentium, non est compositio propria, & stricta, vt proximè ostendimus: ergo ad compositionem propriam, & strictam aliquid aliud requiritur præter vnionem distinctorum quomodocumque se habentiũ. Atqui non aliud, nisi, quod se habeãt, vt partes, sivè vnum se habeat per modum actus, & aliud per modum potentiæ, sivè vtrumque se habeat per modum potentiæ; alioquin assignetur aliud. ergo vnio distinctorum, vt partes se habentium, est compositio propria, & stricta.

Firmatur 2 Secundo convincitur: compositio propria, & stricta, vel est physica, vel metaphysica, vel per accidens, vel integralis, vel per aggregationem; sed omnis talis est vnio partium: ergo, &c. Atqui in physica, metaphysica, & per accidens, vnum se habet per modum potentiæ, & aliud per modum actus, vt est manifestum; in integrali verò, & per aggregationem vtrumque se habet per modum potentiæ, quia vtrumque est in potentia ad se invicem vniri: ergo omnis compositio propria, & stricta est vnio distinctorum se habentium, vt partes, sivè vnum se habeat per modum actus, & aliud per modum potentiæ, sivè vtrũque se habeat per modum potentiæ. Vndè compositio propria, & stricta inintelligibilis est sine conceptu partis, & potentiæ.

6 Cum igitur Ill. God. hanc doctrinam admittere nollit, assignet mihi rationem, cur in creatis vnio realitèr distinctorum inferat compositionem; non verò in Divinis talem inferat cõpositionem vnio realitèr distinctorũ, scilicèt, relationum. Deindè assignet rationem, cur in creatis vnio virtualitèr distinctorum, scilicèt, vnio animalitatis, & rationalitatis, inferat cõpositionem; non verò in Divinis talẽ inferat compositionem vnio virtualitèr distinctorũ, scilicèt, vnio essentiæ cũ attributis, & ralationibus. Sed iam video doctrinam, quam adducit Ill. God. *num.* 20 in responsionem ad quandam obiectionem, quam doctrinam potest pro ratione petita assignarẽ; sed de hac infrà, vbi prædictam illius responsionem impugnemus.

7 Hoc itaque, vt necessario præsup-

posito. Duas in hac re reperio Theologorum sententias. Prima affirmat: personam Christi esse verè, & propriè compositam. Sic cum D. Thom. Ill. God. *num.* 3. Secunda sententia negat personam Christi esse verè, & propriè compositam. Sic Scotus *in 3 distinct. 6. quæst. 3. § secunda opinio*, vbi ait: *Sed illa opinio in hoc, quod dicit, personam Christi esse compositam, non tenetur communitèr propriè loquendo de compositione, scilicèt, ex actu, & potentia, sicut ex materia, & forma, vel ex duobus potentialibus.* Vndè cum Ill. God. non sumat compositionem in sensu ab Scoto acceptam, nempè, pro vnione distinctorum se habentium, vt partes, vt constabit ex solutione suorum argumentorum; alioquin concedere teneretur, naturã Divinam habere rationẽ partis. sequitur evidentèr, quod Scotum non impugnat; nam compositionem, vt ab Ill. Godoy statuitur in Christo, admittit absque dubio Doctor Subtilis.

1. Sẽtentia

D. Thom. Ill. Godoy

2. Sẽtentia. Scotus.

Cuius sententia sit nostra prima conclusio: *Persona Christi non est verè, & propriè composita*, seu quod idem est: *Persona Christi non est composita compositione propria, & stricta.* Probatur primo conclusio: compositio propria, & stricta partes componentes petit; sed nullum prædicatum Divinum potest rationẽ partis subire: ergo in Christo nequit esse propria compositio personæ. Cõsequentia est legitima; nam huiusmodi compositio non potest in Christo salvari, sine aliquo prædicato Divino, ex quo Christus componatnr: ergo si omni prædicato Divino repugnat, rationem partis subire, & hoc necessarium est ad propriam compositionẽ, nequit in Christo salvari. Minor cõstat: nam partialitas dicit incompletionem, & hæc imperfectionem repugnantem omni Dei prædicato.

8 1. Conclusio

Probatur 1

Maior autem, quam negat Ill. God. *num.* 17. cuius absoluta negatio est responsio illius, probatur primo, & primo simul impugnatur eius solutio: compositio propria, & stricta non est vnio distinctorum quomocumque se habentium: ergo ad compositionem propriam, & strictam aliquid aliud requiritur præter vnionem distinctorum, quomodocumque se habentiũ: ergo requiritur vnio distinctorum se habentium, vt partes; ergo composi-

9 *Prob. maior 1. & impugnatur responsio Ill. Godoy. 1.*

tio

tio propria, & ſtricta partes componentes petit. Antecedens conſtat ex dictis *num.* 3. & 4. Prima conſequentia eſt legitima, ex qua cæteræ ſunt optimè illatæ.

10 *Prob. 2. maior, & 2. impug reſponſio.*

Probatur ſecundo dicta maior, & ſimul ſecũdo impugnatur ſolutio Ill. God: inintelligibilis eſt compoſitio propria, & ſtricta ſine partibus: ergo compoſitio propria, & ſtricta petit partes componentes. Probatur antecedens: omnis compoſitio propria, & ſtricta, vel eſt phyſica, vel metaphyſica, vel per accidens, vel integralis, vel per aggregationem; ſed omnis talis compoſitio inintelligibilis eſt ſine partibus: ergo inintelligibilis eſt cõpoſitio propria, & ſtricta ſine partibus. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt certa, & minor innegabilis.

Impug. 3.

Probatur tertio eadem maior, & tertio impugnatur allata ſolutio: hoc nomen *compoſitio* à Doctoribus, & primis inſtituentibus impoſitum fuit ad per ſe ſignificandum vnionem pluriũ, per modum partium ſe habentium: ergo cum nomina ſtent pro principali ſignificato, compoſitio propria, & ſtricta partes componentes petit.

11 *Reſpondebis ex doctrina Ill. Godoy.*

Ad hæc autem nihil invenio, quod poſsit reſpõdere Ill. God. niſi impugnationibus præ dictis applicet doctrinã, quam tradit *num.* 20. ſcilicèt, verum eſſe, omnem compoſitionem exigere partes componẽtes, loquendo de cõpoſitione naturali; falſum autem loquendo de compoſitione ſupernaturali, & admirabili; ad hanc enim ſufficit vnio diſtinctorum, ſicut vt ex illa reſultet vnum per ſe, ſufficit, quod vnum extremum incompletum ſupponatur, & quod extremum completum, ex quo ſimul cũm incompleto reſultat, ſuppleat vices alicuius, per quod erat naturaliter complendum, quod in præſenti contingit; etenim natura humana ſupponitur incompleta ſine ſubſiſtentia propria; Verbum autem, quod completum præſupponitur, ſupplet vices ſubſiſtentiæ creatæ, per quam naturaliter humanitas erat complenda, & ad quam naturaliter inclinabat.

12 *Reijcitur 1 reſponſio.*

Hæc tamen reſponſio non tollit vim, & efficatiã noſtræ rationis; quarè reijcitur primo: quod perſona Chriſti ſit compoſita compoſitione admirabili, & ſupernaturali, impedit, vt ſit compoſita vera, propria, & ſtricta cõpoſitione; ſed iuxta ſolutionem datã perſona Chriſti eſt compoſita compoſitione ſupernaturali, & admirabili: ergo impedit, vt ſit compoſita vera, propria, & ſtricta compoſitione: ergo ruit reſponſio data. Probatur maior: quod perſona Chriſti ſit compoſita compoſitione admirabili, & ſupernaturali, impedit, vt ſit compoſita per vnionem plurium, ſe habentium, vt partes: ergo, &c. Probatur conſequentia: compoſitio vera, propria, & ſtricta eſt vnio plurium, ſe habentium, vt partes, vt manet probatum; ſed quod perſona Chriſti ſit cõpoſita compoſitione admirabili, & ſupernaturali, impedit, vt ſit compoſita per vnionem plurium, ſe habentium, vt partes, vt conceſſum eſt. ergo, &c.

13 *Reijcitur 2*

Reijcitur ſecundo prędicta reſponſio: non poſſumus aſſerere propriam, & ſtrictam compoſitionem in perſona Chriſti, niſi eam colligamus ex propria, & ſtricta compoſitione rerũ creatarum; ſed ex propria, & ſtricta compoſitione rerum creatarum non poſſumus colligere propriam, & ſtrictam compoſitionẽ in perſona Chriſti: ergo perſona Chriſti non eſt compoſita propria, & ſtricta compoſitione. Conſequẽtia eſt legitima. Maior certa; nam vt Ill. Godoy *tom.* 1. *in* 1. *p. diſp.* 5. contra nos inferat compoſitionem in Deo, illam colligere conatur ex compoſitione in creatis reperta, & vt nos cum omnibus compoſitionem à Deo relegemus, ab eo relegamus id, quod in creatis compoſitionem conſtituit. Minor verò probatur: nulla eſt compoſitio propria, & ſtricta in creatis, quæ non ſit vnio diſtinctorum, ſe habentium, vt partes; ſed in perſona Chriſti non eſt vnio diſtinctorum, ſe habentium, vt partes: ergo, &c.

14 *Reijcitur 3*

Reijcitur tertio: ſi vnio diſtinctorum realiter eſſet ſufficiens, vt perſona Chriſti eſſet compoſita compoſitione propria, & ſtricta, admirabili, & ſupernaturali, in Deo eſſet compoſitio propria, & ſtricta, admirabilis, & ſupernaturalis; ſed hoc eſt apud omnes falſum: ergo perſona Chriſti non eſt compoſita compoſitione admirabili, & ſupernaturali, quæ ſit propria, & ſupernaturalis. Minor, & conſequentia

te-

tenent. Maior autē probatur: in Deo est vnio distinctorum realitèr: ergo, &c. Probatur antecedens: in Deo est vnio personarum, quæ sunt realitèr: ergo, &c. Consequentia est legitima. Antecedens patet: nam sicut in persona Christi est vnio duarum naturarū realitèr distinctarum; ita in essentia Divina est vnio trium personarum realitèr distinctarum.

15 *Reijcitur 4* Reijcitur quarto: compositio admirabilis, & supernaturalis repugnat cū compositione propria, & stricta; sed compositio personæ Christi est iuxta solutionem admirabilis, & supernaturalis: ergo cōpositio personæ Christi non est propria, & stricta: ruit ergo solutio. Probatur maior: compositio admirabilis, & supernaturalis repugnat cum compositione imperfectionem involente ex parte vtriusque extremi; sed cōpositio propria, & stricta imperfectionem involuit ex parte vtriusque extremi: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior constat: nam si compositio admirabilis, & supernaturalis non repugnaret cū compositione imperfectionem involvente ex parte vtriusque extremi, in quo esset admirabilitas, & supernaturalitas compositionis? Minor probatur: nulla est compositio propria, & stricta, quæ imperfectionem non involvat ex parte vtriusque extremi, vt de qualibet est manifestum: ergo, &c.

Reijcitur 5 ad hominē. Reijcitur quinto ad hominem contra Ill. Godoy: omnis compositio naturalis exigit iuxta ipsum partes componentes: ergo & compositio personæ Christi. Probatur consequentia: si probat Ill. Godoy personam Christi non esse compositam compositione *ex his*, quia ad compositionem naturalem *ex his* requiritur, quod nullum de componentibus verè prædicetur de constituto; ex eo, quod exigitur à compositione naturali, infert ex actū à compositione personæ Christi; atqui Ill. God. probat personam Christi non esse compositam compositione *ex his*, quia ad compositionem naturalem *ex his* requiritur, quod nullū ex componentibus verè prædicetur de composito: ergo si omnis compositio naturalis exigit iuxta ipsum partes componentes; etiam hoc exiget compositio personæ Christi. Consequentia est evidens. Maior certissima est. Minor, in qua poterat esse difficultas, est ipsius *num.* 78. probantis exēplo compositionis naturalis, scilicèt, humanitatis ex corpore, & anima, personam Christi non esse compositā compositione *ex his*, quia ad compositionem humanitatis, quæ est naturalis, requiritur, quod nullum ex cōponentibus verè prædicetur de composito; vt ex ipso patebit legenti.

16 *Reijcitur 6* Reijcitur sexto: ratio excludendi à Deo omnem compositionem propriam, & strictam, est ratio illam excludendi à persona Christi: ergo persona Christi non est composita propria, & stricta compositione. Probatur antecedens: ratio excludendi à Deo omnem compositionem propriam, & strictam, est, quia omnis cōpositio propria, & stricta dicit imperfectionem ex parte vtriusque extremi; sed hęc est ratio excludendi à personaChristi compositionem propriā, & strictam: ergo, &c. Minor est certa; alioquin natura Divina quæ est vnum extremum compositionis personæ Christi, diceret imperfectionē, quod est absurdum. Causalis verò probata manet per omnes compositiones propias, & strictas, quæ in rebus creatis reperiuntur, vltrà quod de nobo probatur: omnis compositio dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi est compositio propria, & stricta: ergo omnis compositio propria, & stricta dicit imperfectionē ex parte vtriusque extremi. Antecedens est apud omnes verum. Consequentia probatur: compositio non dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi, non est compositio propria, & stricta: ergo, &c.

Antecedens prob. 1. Probatur primo antecedens: compositio non dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi, non est ita propriè, & strictè compositio dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi; sed compositio dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi est compositio propria, & stricta duntaxàt: ergo, &c. Probatur *Secundo.* secundo: compositio dicens imperfectionem ex parte vtriusque extremi non est compositio plusquam propria, & stricta: ergo, &c.

Probatur secundo conclusio ex D. 17

Probatur 2 conclusio.

Thom. *in 3. sent. dist. 6. quæst. 2. artic. 3. ad 5.* illis verbis: *Dicendum, quod Damascenus dicit, compositam hypostasim, in quantum est ibi aliquid de ratione compositionis, non quod sit simpliciter composita quantum ad perfectam compositionis rationem.* Quod etiam docuerat in corpore eiusdem articuli. Et ad Anibaldum *in eadem distinct. quæst. vnic art. 3. in corpore, & ad 4. argum.* quæ doctrina conformis est his, quæ tradit D. Thomas 1. *part. quæst. 3. artic. 8.* vbi docet, Deum in nullius rei compositionem posse venire; si autem Christus esset persona composita, vnum ex componentibus esset Verbum, quod Deus est, & consequētèr iam Deus in alicuius rei compositionem veniret: ergo Christus non est compositus, nec persona composita vera, & propria compositione.

18 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num. 10.* D. Thomam *in 4. artic. huius quæst.* esse à communi Theologorum sententia: vndè, ne dicamus illam mutasse, asserendum est in præallegatis ex *tertio sententiarum*, solum negasse compositionem secundum primam huius nominis impositionem, nempè, philosophicam & naturalem, & à Philosophis, in qua compositum excedit cōponentia: & hęc ad illius compositionem per se ordinatur; non autem negasse compositionem in Christo secundum huius nominis secundā impositionem factam à Theologis, fidei lumine ductis, qua ratione solum dicit vnionem plurium distinctorum in aliquo esse. In testimonio autem *ex 1. part.* negavit, Deum venire posse in compositionem alicuius naturæ, ad quod necessarium esset, quod vel vt materia, vel vt forma concurreret, quod omninò Divinæ actualitati repugnat; non autem negavit, posse Deum venire in compositionem personæ, ad quod sufficit concursus per modum termini, in quo nulla imperfectio Deo repugnans importatur.

19 *Contra 1.*

Sed contra primo: Damascenus nunquam dixit: Christum esse compositum secundum primam huius nomis impositionem, scilicèt, philosophicam: ergo ad summum potest dicere Damasc. Christum esse personā compositam secundum impositionē huius nominis factam à Theologis, fidei lumine ductis. Atqui de hac loquendo asserit D. Thomas, quod non est simpliciter composita, quantum ad perfectam compositionis rationē: ergo sentit D. Th. personam Christi non esse compositā compotione propria, & stricta secundum impositionē à Theologis factam. Antecedens est certum. Primo: quia alioquin dixisset Damasc. Divinam naturam esse partem, quæ esset vel potentia perfectibilis, vel actus informans. Secundo: quia dixisset, quod nec Concilium statuit, nec aliquis ex Patribus asseruit, nec aliquis ex Theologis affirmavit. Consequentia est legitima. Sustumpta est D. Thomæ. Consequentia verò probatur: compositio propria, & stricta secundum impositionem à Theologis factam est compositio simpliciter, quantum ad perfectam compositionis rationem; sed iuxta D. Thom. persona Christi non est simpliciter composita, quantum ad perfectam compositionis rationem secundum impositionē à Theologis factā: ergo.

20 *Maior probat. 1.*

Minor, & consequentia tenent. Maior autem probatur primo: compositio propria, & stricta est compositio simpliciter quantum ad perfectam compositionis rationem; quod patet ab oppositō: nam compositio non propria, nec stricta non est compositio simpliciter quantum ad perfectam compositionis rationem; quia omnis talis compositio, ideò nec propria, nec stricta dicitur, quia deficit à perfecta compositionis ratione; sed compositio secundum impositionem à Theologis factam, fidei lumine ductis, est compositio propria, & stricta iuxtà Ill. Godoy: ergo, &c. Secundo: *Secundo.*
compositio, per quam aliquid dicitur absolutè compositum, est compositio simpliciter, quantum ad perfectam compositionis rationem, vt de se patet; sed per compositionem propriā, & strictam secundum impositionem à Theologis factam Christus dicitur absolutè compositus, vt habet Ill. Godoy *num. 8.* ergo, &c.

21 *Contra 2.*

Contra secundo: iuxtà D. Thomam in Christo est aliquid, quod est de ratione compositionis secundū impositionem à Theologis factam, fidei lumine ductis: ergo iuxtà D. Thom. in persona Christi non est totum, quod est de ratione talis compositionis: er-

go iuxta D. Thom. persona Christi non est composita propria, & stricta compositione secundum impositionē à Theologis factam. Antecedens est certum: nam Damascenus loquitur, vt diximus, de compositione secundum impositionem à Theologis factam, de qua debet loqui D. Thom. in responsione ad Damascenum. Prima consequentia legitimè ex antecedēti infertur. Secunda verò probatur: non stat propria, & stricta compositio secundum impositionē à Theologis factā, quin stet totum, quod est de ratione talis compositionis, vt est manifestum omnibus; atqui iuxta D. Thomam in persona Christi non est totum, quod est de ratione compositionis secundum impositionem à Theologis factam: ergo, &c.

22 *Contra 3.* Contra tertio: D. Thomas negat: personam Christi esse simplicitèr cōpositam quantum ad perfectam compositionis rationem secundum impositionem à Theologis factam, vt dictum habemus: ergo iuxtà D. Thomā persona Christi non est composita propria, & stricta compositione secūdum impositionem à Theologis factam. Probatur consequentia: repugnat compositio propria, & stricta secundum impositionem à Theologis factam, absque perfecta ratione talis compositionis; sed D. Thom. negat: personam Christi esse simplicitèr compositam quantum ad perfectam compositionis rationem secundum impositionem à Theologis factam: ergo, &c. Aliam probationem pro nostra conclusione ex mente Conciliorum, & Patrum trademus in secunda probatione primæ partis secundæ conclusionis *num.* 49.

Vide aliam probationē conclusionis num 49.

§. II.

Argumentis Ill. Godoy occurritur.

23 *Arguitur 1. ex Concilijs.* CONtra dictam conclusionem arguit primo Ill. Godoy *num.* 3. ex quinta Synodo generali *actione* 8. *Can.* 4. illis verbis: *Cum enim multis modis vnitas intelligatur, alioqui, qui impietatem Apolinaris, & Eutychetis secuntur interemptionem eorum, quæ conuenerunt colentes vnitionem secundum confusionem prædicant; Theodori autem, & Nestorij sequaces diuisione gaudentes affectualem vnitatem introducunt.* Et post relatum vtrumque extremum errorem sic habet: *Sancta verò Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem eijciens vnitionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam; vnitio enim compositionē in misterio Christi non solū inconfusa, ea, quæ conuenerunt, conservat, sed nec diuisionem suscipit.* Referuntur hæc verba in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Consult.* 4. Quod etiam habetur *Can.* 7. & in eodem Concil. 5. Synodi Canones confirmantur; sed verba ista cum proprietate sunt accipienda, vt constat ex Concil. allegato *Consul.* 5. *cap.* 17. vbi damnantur, qui ea, quæ de Christo in his Cocilijs sunt diffinita, negant, propriè, & secundum veritatem dicta esse: ergo Christus verè, & propriè est persona composita.

24 *Confirmat.* Confirmat hoc *num.* 4. ex Patribus, qui absolutè Christum compositum docent. Ita Dionisius *capit* 3. *de Ecclesiastica Hierarquia part.* 3. *circa finem*, ibi: *Ad compositum, atque visibilem sine mutatione sui per summam clementiam benignitatemque processit.* Damascenus *lib.* 3. *fidei cap.* 3. 4 & 5. Athanasius *Oratione, quod vnus sit Christus.* Petrus Diaconus *De Incarnatione, & gratia cap.* 3. Bernardus *Serm.* 2. *in Cantica*, ad illa verba: *Osculetur me osculo oris sui*, vbi sic habet: *Attendite; sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro, quæ assumitur; osculum verò, quod paritèr ab osculante, & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Id ipsum docent, & eodem modo locūtur alij Patres frequentèr, quos lato calamo refert Vicentius; sed ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est, Christum esse vera, & propria compositione compositum.

25 *Respondeo ad argum. & confirm.* Respondeo tàm ad argumentum, quàm ad confirmationem: non obstare modum loquendi Conciliorum & Patrum, absolutè, & sine addito asserentium: personam Christi esse compositam; quia vt advertit Scotus *in* 2. *dist.* 33. §. *ad* 1. Patres, & Concilia inconfutandis hæreticis frequentèr sunt excessivè locuti, quia ex 2. *Ethic. capit. vlt.* via deveniendi ad medium est declinare ad aliud extremum; hinc ait Doctor, valdè ponderandum esse, contra quos Hæreticos disputant, si

enim

enim D. Auguſt. contra Arrium diſputat, videtur ad Sabellium declinare, & è contra; ſic igitur in propoſito, cum Neſtorius in Chriſto negaret veram, & ſubſtantialem vnionem naturæ humanæ cum Verbo, & diceret eſſe ſolum ſecundum affectum, & gratiam, ad hunc errorem confutandum voluerunt ad alterum extremum declinare, appellantes Chriſtum abſolutè, & ſine addito compoſitum. Et è contra: loquendo Concilia, & Patres adverſus Euthichetem aſſerentē, ex natura Divina, & humana in Chriſto vnam tertiam reſultaſſe, totis viribus compoſitionem in Chriſto avertere nituntur, & valdè ſobriè vtuntur exemplo compoſitionis animæ rationalis, & corporis, ex quibus vna reſultat natura, & videre eſt apud S. Maximum adverſus Eutych. Et Damaſcenum adverſus Acephalos: non ergo ex modo loquendi Patrum, & Cōciliorū ſolidè deducit Ill. God. Chriſtū dici verè, & propriè compoſitum.

26 *Ratio ſolutionis.*

Quod apparet ex ipſo modo loquendi Conciliorum, & Patrum: nam authoritatibus, quas ex Concilijs, & Patribus congregat Ill. Godoy, & quas lato calamo refert Vincentius, nulla eſt, quæ dicat, Chriſtum eſſe verè, & propriè compoſitum, ſed ſolum eſſe compoſitum, quod de compoſitione admirabili, & ineffabili intelligendum eſt, vt dicemus, & explicabimus in ſecunda concluſione, & expræſsè docuit D. Dioniſius *de Divinis nominibus capit.* 1. vbi loquens de hac vnione, Chriſtum appellat ex humanitate ineffabilitèr compoſitum his verbis: *Verbum aſſumpſit humanitatem noſtram, ex qua ineffabilitèr compoſitus eſt ſimplex Ieſus.*

27 *Informa reſpondeo 1.*

Vndè ad argumentum in forma reſpondeo primo: conceſſa maiori diſtinguendo minorem: Verba Concilij cum proprietate ſunt accipienda iuxtà intentum Concilij concedo minorem; vltrà intentum illius nego minorem, & conſequentiam. Cum itaque Concilia ſolum intendant excludere errores Neſtorij, negantis veram vnionem humanitatis ad Verbum, & Eutychetis aſſerentis, in Chriſto reſultare vnam tertiam naturam ex Divina, & humana, qui errores optimè reijciuntur dicendo, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam modo ineffabili, & admirabili, quin neceſſaria ſit compoſitio propria, & ſtricta; hoc modo Cōcilia ſunt intelligenda, quia intelligi debent iuxtà illorum intentum, quommodo diſtinguenda eſt minor confirmationis.

28 *Reſpondeo 2.*

Reſpondeo ſecundo conceſsis maiori, & minori, diſtinguendo conſequens: ergo Chriſtus verè, & propriè eſt perſona compoſita, ly *verè*, *& propriè* cadentibus ſuprà Chriſtum, ſeu adverbialitèr aceeptis, ita, vt ſenſus ſit: *verè, & propriè Chriſtus eſt perſona compoſita* concedo conſequentiam; ly *verè, & propriè* cadentibus ſuprà compoſitionem, ſeu adiectivè ſumptis, ita, vt ſenſus ſit: *Perſona Chriſti eſt compoſita vera, & propria compoſitione* nego conſequentiam. Itaque, vt verba Conciliorum in hac materia cum proprietate intelligantur, nullo modo eſt neceſſarium, aſſerere, Chriſtum eſſe perſonam compoſitam compoſitione vera, & propria, ſed ſufficit aſſerere: verè, & propriè Chriſtus eſt perſona compoſita, & ſi compoſitione ineffabili.

29 *Ratio ſolutionis.*

Ratio mihi convincens eſt: nam ſemel aſſerto: *verè, & propriè Chriſtus eſt perſona compoſita*, reiectus manet error Neſtorij, negantis veram vnionē humanitatis ad Verbum; & addito: *compoſitione ineffabili*, reiectus manet error Eutychetis, aſſerentis: in Chriſto reſultare vnam tertiam naturam ex humana, & Divina, quia hæc nequit reſultare, niſi ex compoſitione propria, & ſtricta: ergo verè, & propriè verba Conciliorum intelliguntur abſque propria, & ſtricta compoſitione. Hinc ad confirmationem diſtinguendum eſſet conſequens diſtinctione data, ſi adverbialitèr illatum eſſet, ſicut in argumento; ſed quia adiectivè deducitur, negandum eſt abſolutè.

30 *Retorqueo contra Ill. God.*

Et vt hæc noſtra ſolutio Concilijs, & Patribus conformior appareat, argumentum, & cōfirmationem retorque contra Ill. God. probando: noſtram opinionem eſſe magis tutam, quam illius opinio, quod ſic oſtendo: illa opinio eſt magis tuta, quæ minus fundamentum præbet ad errorē hæreticorum; ſed noſtra opinio minus fundamentum præbet ad errorē hæreticorum, quam opinio Ill. Godoy: ergo magis tuta eſt noſtra opinio.

Ma-

Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur: opinio negans, personam Christi esse compositā propria, & stricta compositione, minus fundamentum præbet ad inferendū, resultare tertiā naturā ex humana, & Divina, quā opinio asserens: personā Christi esse compositam propria, & stricta compositione, qui est error Eutychetis; atqui nostra opinio negat, & opinio Ill. God. asserit, personam Christi esse compositā propria, & stricta compositione: ergo, &c.

Prob. maior. Probatur maior: illa opinio, quæ nullū fundamentum præbet ad inferendam resultantiam tertiæ entitatis, minus fundamentū præbet ad inferēdam talē resultantiā, quā opinio, quæ ad dictam resultantiā inferendam aliquod fundamentū præbet; sed opinio negans, personā Christi esse compositā propria, & stricta compositione, nullum fundamentū præbet ad inferendā resultantiā tertiæ entitatis; opinio verò id asserens, aliquod fundamentū præbet ad dictam resultantiā inferendam: ergo, &c. Probatur minor: sine propria, & stricta compositione non stat resultantia tertiæ entitatis; sed cū propria, & stricta, compositione stat resultantia tertiæ entitatis: ergo, &c. Consequentia est evidens. Præmissæ autem in omni Phylosophia apparent, & vt certæ tenentur.

31 *Retorqueo 1. ad hominem.* Sed quia multotiès, multisque in locis prædicto modo arguendi ex Concilijs, & Patribus vtitur Ill. Godoy, eodē modo obseruato, in ipsum aliquas faciam retorsiones, vt prędicto modo arguendi nō fidat. Retorqueo primo: ex Scriptura constat expræsè: Christum non ascensurū ad diem festum, vt patet ex Ioanne 9. *Vos ascendite ad diem festum; ego non ascendam*; atqui verba Scripturę verè, & propriè sunt accipiēda: ergo Christus vērè, & propriè non ascendit ad diem festum, quod est contra Scripturam.

32 *Retorqueo 2.* Retorqueo secundo: Spiritum Sanctum non petere per se pluralitatē suppositorū in principio spirante, statuit Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi, vt refertur *in cap. fideli. De summa Trinitate, & Fide Catholica in sess. decretali*, his verbis: *Fideli, & debota professione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternalitèr ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs, sed tanquam ex vno; non duobus spirationibus, sed vnica spiratione procedit.* Et hoc idem posteà rursus diffinivit Concil. Florent. *in litteris vnionis.* Statuit etiam hoc D. Anselmus *Epist. de Processs. Spiritus Sancti contra Græcos cap.* 11. vbi de Spiritu Sancto ait: *Non ex eo procedit, in quo plures sunt Pater, & Filius, sed ex eo, in quo vnum sunt. Et cap.* 16. concludit his verbis: *Stat, Spiritum Sanctum esse de Filio, sicut est de Patre, nec tamen de duobus, sed ex vno, ex eo, scilicèt, quod Pater, & Filius vnum sunt, non ex eo, vndè alij sunt ab invicem.* Denique hoc statuit D. Augustinus 5. *de Trinit. cap.* 14. sub hac expræsione: *Fatendum est, Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti, non duo principia. Sed sicut Pater, & Filius vnus Deus, & ad creaturam relativam vnus Creator, & vnus Dominus, sic relativè ad Spiritum Sanctum vnum principium. Ad creaturā verò Pater, Filius, & Spiritus Sanctus vnū principiū, sicut vnus Creator, & vnus Dominus.* Atqui verba ista cū proprietate sunt accipiēda: ergo Spiritus Sanctus non petit per se pluralitatem suppositorum in principio spirante, quod est contra Ill. God. *tom.* 3. *in* 1. *part. disp.* 93. *num.* 2.

33 *Retorqueo 3.* Retorqueo tertio: Scriptura, & Cōcilia absolutè docent: remediū peccati esse vnicū motivū Incarnationis. Ita habet Lucas *cap.* 19. illis verbis: *Filius hominis venit salvare, quod perierat.* Et 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit peccatores salvos facere.* Et 1. Ioan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, vt dissolvat opera Diaboli.* Ac tandem in Symbolo Nicæna de Christo loquendo dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Incarnatus est, &c.* Atqui verba ista cū proprietate sunt accipienda: ergo remedium peccati fuit vnicum motivū Incarnrtionis, quod est contra ipsum *disput.* 8. *num.* 222.

34 *Aliter formatur retorsio.* Alitèr formo retorsionem: Patres absolutè docent: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis. Ita August. *in Psalm.* 36. *Concion.* 2. ad illa verba: *A Domino gressus hominis dirigentur*, vbi sic ait: *Si tu, ò homo, non dimiteres Deum, non fieret pro te Deus homo. Serm.* 8. *de verb. Apost.* super illud: *Venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat*, sic habet: *Si homo non perijsset, Filius hominis non veniisset.* Et ad Timoth. ad illa verba: *Christus Iesus*

venit peccatores salvos facere, glossa Augustini sic dicit: *Nulla causa fuit Christo Iesu veniendi, nisi peccatores salvos facere, tolle vulnera, tolle morbos, & nulla est causa medicinæ.* Id ipsum expræsis verbis testantur Hyrineus *lib. 5. adversus Hæreses cap. 14.* Athanasius *Serm. 3. contra Arrianos col. 212.* Leo magnus *Serm. 3 in Penthecost.* Cyrilus *lib. 5. de Trinit. ante medī, & super Ioan. lib. 2. cap. 3.* Gregorius magnus *in 4. Regum cap 1.* quorum verba adducit Vazquez *disp. 10. cap. 4.* Atqui ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiãt, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendum est: remedium peccati esse vnicum motivum Incarnationis, quod est contra Ill. God. *cit.*

35 *Retorqueo 4.* Retorqueo quarto: Patres absolutè docent: Deum non esse nobis debitorem. Dicunt enim: *Deum nihil nobis debere reddere, debita nulli debentem, non habere debitum ex iure, debere solum suæ bonitati, & misericordiæ præmium, quod nobis tribuit pro bonis operibus, amicitiarum nobis præmia repromittere, ideòque debitum Dei erga nos promissionis debitum esse.* Ita D. Anselmus *Prolog. cap. 10. Iustus es* (inquit) *non quia reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summè bonum. Et cap. 11. Illud solum est Iustum, quod vis, non Iustũ quod non vis.* Aug. *1. Confess. cap 4. Reddis debita nulli debens.* Bernard. *Serm. 1. de Anunt. Neque talia sunt hominum merita, vt propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, nisi eã donaret. Et Serm. 61. in Cant. Meritum meum miseratio Domini.* Gregorius 9. *Moral. cap. 14. Si opus virtutis exercuero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco.* Basilius *in Psal. 114. Manet sempiterna requies illis, qui in hac vita legitimè certaverint, non secundum debitum operum, sed secundum debitum Dei munificentissimi.*

Rursum August. *Serm. 13. de Verbo Domini: O magna benignitas Dei, cui cum pro conditione reddere debeamus obsequia, vt servi Domino, famuli Deo, subiecti potenti, mancipia Redemptori; amicitiarũ nobis præmia repromittit Et Serm. 16. de verb. Apost. Debitor nobis factus est Deus, non aliquid accipiendo, sed quod ei placuit promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quia dedi tibi, & aliter dicimus, debes mihi, qui promisisti mihi. Deo igitur, quid dicimus, redde mihi, quia dedi tibi? Quid dicimus Deo, quando quod sumus, & habemus boni ab illo habemus? Nihil ergo ei dedimus, nõ est quemadmodum ista voce exigamus debitorem Deum: illo ergo possumus exigere Dominum nostrum redde, quod promisisti, quia fecimus, quod iussisti, & hoc tu feciſti, qui laborantes iuvisti. Et Ser. 151. de tempore: Laudemus fratres Dominũ, quia promissorem tenemus, vt iam debitũ exigamus.* Idem de promissione, & debito fidelitatis docet Concil. Trident. *Sess. 6. cap. Vlt. Bene operantibus vsque in finẽ, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquã gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditèr promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda* Atqui ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè dicunt, cum proprietate sunt accipienda: ergo asserendũ est: Dei ad creaturã non esse verã, & propria iustitiã, quod est contra Ill. God. *d. 7. n. 4.*

36 *Arguit 2. Ill. God.* Arguit secundo Ill. God. *n. 5.* omnis vnitas per se, aut est per simplicitatẽ, aut per compositionẽ; sed Christus est per se vnus, & non per simplicitatem, simplicitas namque realẽ distinctionẽ constituentium excludit; in Christo autem sunt plura realitèr constituentia, & distincta, & consequentèr simplex non est: ergo est vnus per veram, & propriam compositionem. *Confirmatur primo.* Confirmatur primo: vt enim inquit Basilius *lib. 2. contra Eunomium*: illud dicitur compositum, quod vnum cum sit, ex multis constat; sed Christus vnus est, & constat ex multis: ergo est verè, & propriè compositus. *Secundo.* Confirmatur, & vrgetur secundo: nam compositio est distinctorum vnio: ergo vnio realis distinctorum realitèr est realis compositio, & vnio propria extremorum propriè distinctorum est verè, & propriè compositio; sed Christus constat ex pluribus propriè distinctis; natura nãque Divina propriè ab humana distinguitur, & vnitis vnione vera, & propria; non enim est, vndè vnio humanitatis ad Verbũ à proprietate vnionis deficiat: ergo est realitèr cõpositus vera, & propria cõpositione

37 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguẽdo maiorem: omnis vnitas per se, aut est per simplicitatem, aut per compositionem strictam, vel non strictam concedo maiorem; strictam præcisè nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Iuxta quam so-

Ad 1. confirm.

lu-

lutionem distinguo maiorem primæ confirmationis: illud dicitur compositum stricta, vel non stricta compositione, quod vnum eum sit, ex multis constat concedo maiorem; compositione stricta subdistinguo: quod ex multis constat quomodocumque se habentibus nego maiorem; se habentibus, vt partes concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiã.

Ad 2. Ad secundã confirmationẽ distinguo similitèr antecedens: cõpositio stricta, vel non stricta est vnio distinctorum cõcedo antecedens; compositio stricta subdistinguo: est vnio distinctorum quomodocũque se habentiũ nego antecedens; se habentiũ, vt partes concedo antecedens; & distinguo similitèr consequens, ex quo nihil contra nos, quia ad cõpositionẽ strictã necessario requiritur vnio distinctorũ se habentiũ, vt partes, modo quo diximus *n. 5*.

38 *Retorqueo argum.* Retorqueo etiã argumentũ Ill. God. nam compositio est distinctorũ vnio: ergo vnio realis distinctorũ realitèr, est realis cõpositio. Atqui Paternitas, Filatio, & Spiratio passiva, quę realitèr distingũtur, vniuntur in essentia Divina: ergo datur in Deo vnio distinctorum realitèr: ergo datur in Deo realis compositio, quod est hæreticum.

39 *Respondet Ill. Godoy.* Huic retorsioni, quã sibi obiecit Ill. God. solutionẽ adhibet, & duplicem retorsionẽ contra ipsam facit. Respõdet itaque *n. 7. in medio*: distinctionem solã extremorũ compositionẽ non facere, sed insupèr est necessariũ, quod vniantur inter se ad constituendũ aliquod vnũ, à quo distinguantur iuxtà compositionis qualitatem; relationes autẽ Divinę, etsi distinguantur realitèr inter se; non tamen realitèr vniuntur ad constituendũ aliquod vnum, à quo distinguãtur realitèr, ideòque ex illis nulla realis compositio resultat; at verò in persona Christi invenitur realis extremorũ distinctio, & ex illis resultat vnum, à quo realitèr distinguuntur extrema; & ideò rectè infertur in Christo compositio realis, & propria.

40 *Retorquet 1.* Et retorquet primo: nam nostra retorsio, si quid probat, convincit: non solum non esse in Christo propriam compositionẽ realem, sed etiã nullatenus esse compositum realitèr, quod nullus Theologorũ docet. Quod autem sequatur patet: nam Trinitas personarum non solum propriam, sed etiam omnem realem excludit compositionẽ; aliàs summè simplex non esset: ergo si ab illa fit argumentum ad Christum, non solum infertur in illo negatio compositionis propriæ, sed etiã omnimoda realis compositionis negatio, quod omniũ sententiæ adversatur. Retorquet secundo: nã si nostra retorsio aliquid probaret, cõvinceret, quod etiam si Paternitas Divina esset realitèr entitativè ab essentia distincta, non resultaret ex illis realis cõpositio ex Patre, quod omniũ Theologorũ sentẽtiæ adversatur, ex indè cõtra realẽ distinctionẽ relationum ab essentia à Gilberto assertam arguentium, quia ex illa sequeretur realis compositio in Deo. *Secundo.*

Sed non satisfacit responsio prędicta, ideòq; reijcitur: vel compositio est vnio distinctorum, vel suprà hoc aliquid aliud requiritur? Si primũ: ergo cũ in Divinis detur vnio distinctorũ realitèr; realis compositio erit in Divinis. Si secundũ: vel hoc est, quod extrema se habeant, vt partes, vel quãdo hoc non sit, hoc vlterius requiritur ad propriã, & strictam compositionẽ, vt satis probatũ est: ergo cum extrema personæ Christi nõ se habeant, vt partes; alioquin natura Divina esset pars; persona Christi nõ erit cõposita propria, & stricta cõpositione. Vndè quod suprà distinctionẽ extremorum addit Ill. God. ad propriã, & strictã cõpositionẽ, scilicèt, quod extrema vniãtur inter se ad constituendũ aliquid vnũ, à quo distinguantur iuxtà cõpositionis qualitatẽ, falsum omnino est, nisi extrema vniantur inter se, vt partes, vt apparet in omnibus cõpositionibus proprijs, & strictis, ratione quorum in Deo, & in Christo compositionem propriam, & strictam negamus. 41 *Reijcitur solutio 1.*

Reijcitur secundo allata solutio: & si sola extremorũ distinctio nõ faciat compositionẽ; vnio tamẽ propria extremorũ propriè distinctorũ, est verè, & propriè compositio; sed vnio relationũ in essentia Divina, est vnio propria extremorũ propriè distinctorũ: ergo est verè, & propriè compositio: ergo nulla est respõsio allata. Secũda consequẽtia ex prima infertur. Prima autẽ ex præmissis. Ex his verò minor est certa; tũ: quia verè, & propriè rela- 42 *Reijcitur 2.*

tiones vniuntur in Divina essentia: tũ etiam: quia relationes verè, & propriè sunt distinctæ. Maior autem in terminis est ipsius *num.* 5. quam expræsè repetit *num.* 42.

43 *Solvitur tacita obiectio*

Nec obest, quod in persona Christi inveniatur realis extremorũ distinctio, & ex illis resultet vnũ, àquo realitèr distinguantur extrema; nã ex hoc non infertur in Christo compositio propria, & stricta, vt infert Ill. Godoy, de quo duplicè assigno rationem. Prima est; nã ad compositionẽ propriã, & strictam requiritur, quod sit distinctio extremorum, se habentiũ, vt partes, & quod ex illis, vt partibus, resultet vnum, vt toties repetitũ est, quod non invenitur in persona Christi. Secunda ratio est: nam ad verã, & strictã compositionẽ realem requiritur vnio extremorũ, ex quibus, vt ex veris causis physicis, resultet vnũ, vt constat in omni compositione propria per se substantiali; hoc autẽ non reperitur in persona Christi, quia Verbũ, & humanitas non sunt veræ causæ physicæ aliquod tertiũ constituentes; sed dicuntur plura substantialitèr vnita, aliquod tertium constituentia; non adæquatè ab illis distinctum, vt de toto physico asseritur in physica; sed inadæquatè solum, vt includens, & inclusum; est namque idem Verbum cum hoc addito, nempè, cum humanitate hypostaticè vnita; & hanc doctrinam admittit, & fatetur Ill. Godoy *num.* 43.

44 *Retorsiones nullius sunt valoris.*

Nec retorsiones sunt alicuius valoris. Non prima: quia nos non sumimus argumentũ de Trinitate ad personam Christi, vt arguamus: vnio distinctarum personarum non est compositio: ergo nec vnio Verbi, & humanitatis; quin potius è contra ad hominem contra ipsum argumentum sumimus, scilicèt, in Christo est compositio propria, & stricta, eo, quod est vnio distinctorum: ergo in Deo est compositio propria, & stricta, quia in illo est vnio distinctorum, quod certè vrgens videtur, attenta ratione, quam pro confirmatione secunda suæ conclusionis adducit. Non secunda: quia non sumimus argumentum negativè, vt sumpsit Ill. Godoy *num.* 6. hic sibi obijciendo: *Non omnis realis extremorum distinctio realem facit compositionem: ergo ex eo, quod in Christo Verbum, & humanitas realitèr distinguantur, non sequitur, personam Christi esse realitèr compositam vera, & propria compositione*; sed potius è contra, scilicèt, positivè argumentum sumpsimus, vt ex retorsione patet.

45 *Retorqueo iterum.*

Denique ex hac retorsione contra nos facta, de nobo in Ill. God. retorqueo: si Paternitas Divina esset realitèr entitativè ab essentia distincta, resultaret ex illis realis compositio stricta in Patre, vt est concors sententia Theologorũ, ex indè contra realẽ distinctionem relationum ab essentia à Gilberto assertam arguentium, quia ex illa sequeretur realis compositio in Deo. Sic Ill. God. Nunc contra ipsum. Atqui ideò si Paternitas Divina esset realitèr entitativè ab essentia distincta, resultaret ex illis realis compositio propria, & stricta in Patre, quia in tali casu essentia Divina esset pars, & similitèr Paternitas: ergo ad compositionẽ propriã, & strictam, requiritur, quod extrema sint partes. Consequentia est contra totam doctrinam Ill. God. *in præs.*

46 *Prob. minor 1.*

Minor verò probatur primo de essentia, quo probato, potiori iure probatum manebit de Paternitate: casu, quo Paternitas Divina realitèr entitativè distingueretur ab essentia, essentia non esset infinita; cum non identificaret Paternitatẽ secum compossibilem: ergo esset finita, & consequentèr pars. Atqui ideò in tali casu faceret compositionẽ propriã, & strictã, quia esset finita: ergo & quia esset pars.

47 *Prob. 2. ad hominem cõtra Ill. Godoy.*

Probatur secundo prædicta minor quoad vtramque partem ad hominẽ contra Ill. Goy, pro quo referam argumenta, quæ contra nos facit. Ipse namque ad inferendam compositionem in Deo ex distinctione formali sic contra nos arguit *tom. 3. in 1. part. disp. 75. num. 30. Eo ipso, quod Divina essentia formalitèr distinguatur à Paternitate, est realitèr formalitèr ab illa terminabilis, & non est infinita formalitèr; sicut enim entitativa infinitas petit identitatem entitativam cum omni entitate, quæ in suo conceptu imperfectionem non dicit; ita infinitas formalitatis petit formalem identitatem cum omni formalitate: ergo nihil ei deficit, vt comparetur ad Paternitatem, vt potentia formalitèr.* Item: eodem vtitur argumento

tom. 1. in 1. part. disp. 5. num. 22. ad tollendam distinctionem formalem inter essentiam, & attributa; sic enim arguit: *Ex distinctione formali essentiæ ab attributis, & attributorum inter se, sequitur, Deū esse in potentia reali formali ad attributa, v. g. ad actum intelligendi, & volendi; consequens est falsum, & contra summam Dei actualitatem: ergo attributa non distinguntur ab essentia, & inter se distinctione reali formali. Probatur sequela: si entitativè realitèr distinguerentur ab attributis, esset ad illa in potentia reali entitativè: ergo si ab illis distinguitur realitèr formalitèr, erit ad illa in potentia reali formalitèr.* Ecce Ill. God. inferentem compositionem ex eo, quod Paternitas, & essentia essent partes: ergo vera est minor suprà posita.

§. III.

Compositio personæ Christi, & extrema illius explicantur.

48 2. Conclusio.

SEcunda conclusio: *Persona Christi est composita compositione quadam admirabili, & ineffabili, provt significat vnam personam in duabus naturis subsistentem; hæc autem compositio est ex Verbo, & humanitate; ex personalitate Verbi, & humanitate, & ex Divina, & humana natura.* Conclusio ista quoad primam partem in tantum est contra Ill. Godoy, in quantum est contra ipsum prima nostra suprà posita conclusio; quoad cæteras verò partes illam habet *num. 36.* & per omnes probanda est. Prima itaque pars probatur primo: Christus est persona composita, vt habent Concilia, Patres, & Theologi; sed non est persona composita compositione propria, & stricta, vt ostensum est per vtrosque dicta: ergo Christus est persona composita compositione quadam admirabili, & ineffabili, provt significat vnā personam in duabus naturis subsistentem. Præmissæ constant. Consequentia probatur: Christus est persona composita compositione à Patribus declarata; sed hæc est compositio admirabilis, & ineffabilis; nam ineffabilem vocavit Dionisius, cuius verba retulimus *num. 26.* & mirabilem appellavit D. Th. *in præsenti quæst. 2. artic. 4.* quod fatetur Ill. God. *num 2.* ergo, &c.

1. Pars probatur 1.

49 Prob. 2.

Probatur secundo eadem pars conclusionis: illa compositione est persona Christi iuxtà intentum Conciliorum, & Patrum composita, per quā salvantur errores Nestorij, & Eutychetis; sed per compositionem admirabilem, & ineffabilem, quin sit propria, & stricta compositio, salvantur errores Nestorij, & Eutychetis: ergo hac compositione est persona Christi composita. Maior, & consequentia tenent. Minor autem, ad quam devolvitur tota difficultas, probatur: per compositionem admirabilem, & ineffabilem, quin sit propria, & stricta compositio, salvatur vera vnio humanitatis ad Verbum, & evitatur resultantia tertiæ naturæ ex Divina, & humana; sed isti sunt errores Nestorij, & Eutychetis: ergo, &c.

Probatur maior: admirabilitas, & ineffabilitas huius compositionis cōsistit in hoc, quod vna persona sit in duabus naturis verè subsistens; sed quin hæc sit propria, & stricta compositio, per illam salvatur vera vnio humanitatis ad Verbum, & evitatur resultantia tertiæ naturæ ex Divina, & humana: ergo, &c. Probatur minor: per hoc, quod vna persona sit in duabus naturis verè subsistens, salvatur vera vnio humanitatis ad Verbū; sed per hoc, quod non sit propria, & stricta compositio, evitatur resultantia tertiæ naturæ ex Divina, & humana: ergo, &c. Consequentia est evidens. Maior manifesta, & minor omnibus apparet; nam sine propria, & stricta compositione repugnat resultantia tertiæ naturæ, sicut tertiæ entitatis. Hæc probatio deseruit etiam ad primam conclusionem firmandam.

50 2. Pars conclus. prob. 1.

Secunda pars conclusionis ostenditur primo ex 5. Synodo generali *actione 8. Can. 4.* illis verbis: *Sancta verò Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ* (nempè Eutychetis, & Nestorij) *impietatem eijciens vnitionem Verbi Dei ad carnem secundum compositionem confitetur.* Ex quibus verbis probatur secunda pars conclusionis: vnitio Verbi Dei ad carnem est compositiva, seu secundum compositionem, vt expressè à 5. Synodo asseritur verbis relatis; sed est vnitio Verbi, vt Verbum est, ad humanitatem: ergo est compositiva Verbi cum humanitate, & consequentèr persona Christi ex Verbo, & humanitate componitur.

51 Prob. 2.

Secundo probatur: Christus est compositus ex humana, & Divina natura;

tura; sed Divina natura non ingreditur istam compòsitionem immediatè se ipsa; ingreditur enim illam ea ratione, qua est extremum vnionis, non autem est vnionis extremum ratione sui immediatè, sed ratione Verbi; aliàs vnio esset immediatè facta in aliquo prædicato absoluto, & consequentèr esset toti Trinitati cōmunis: ergo ingreditur compositionem mediante Verbo, & consequentèr Verbum ratione sui cum humanitate personam Christi componit; nam propter quod vnumquodque est tale, & illud magis.

52 *3. Pars prob. Primo.* Et ex his tertia pars conclusionis ostenditur primo: nam id, quod vnionem istam mirabilem terminat, est extremum compositionis ex natura terminata, & extremo terminante; sed personalitas Verbi terminat vnionem: ergo ingreditur compositionē. *Secundo.* Secundo: nam persona creata componitur ex personalitate propria, & natura; persona etiam Divina constitnitur personalitate Divina, & natura terminata; sed personalitas Verbi supplet in hoc misterio vices subsistentiæ creatæ: ergo personam Christi constituit, & ex illa, & humanitate Christi persona est composita. *Tertio.* Tertio: nam in Divinis prædicatis id, quod de concreto dicitur, etiā de abstracto enuntiatur, nisi prædicatum talis conditionis sit, quod abstracto repugnet; quo circa hæc est vera: *Deus generat*, & hæc falsa: *Deitas generat*, quia generatio repugnat abstracto; secus autem concreto; sed componere Christi personam prædicatur de Verbo, & abstracto non repugnat; munus enim componendi non repugnat abstracto, cum de aliis abstractis verificetur, vt de humanitate, & Deitate: ergo verè affirmatur de personalitate Verbi, & consequentèr ex illa, & humanitate persona Christi est composita.

53 *4. Pars prob. 1.* Denique quarta pars conclusionis ostenditur primo: nam personā Christi esse compositam, præcipuè suadetur ex Concilijs, & Patribus asserentibus: vnionem esse factam secundum compositionem; sed Concilia, & Patres asserunt, personam Christi esse compositam ex duabus naturis, provt in illis subsistit: ergo persona Christi est composita ex natura humana, & natura Divina. Secundo: nam Concilia asserentia: personam Christi esse compositam, explicant de compositione ex persona Verbi, & humana natura; aliter enim nequeunt rectè explicari; sed etiam asserunt: esse cōpositam ex duabus naturis; ergo sic est persona Christi composita. *Secundo.*

§. IV.

Modus istius mirabilis compositionis exponitur.

54 *3. Conclusio.* SIt tertia conclusio: *Persona Christi est composita compositione huius ex his; non verò compositione huius ad hoc, seu cum his.* Hæc conclusio est contra Ill. God. *numer.* 70. in qua (ni fallor) inconsequentèr ad primam conclusionem procedit, quod ostendam per probationes ad hominem contra ipsum. Probatur itaque primo ex quinta Synodo generali *Canon.* 7. illis verbis: *Si quis in duabus naturis, non vt in Deitate, & humanitate vnum Divinum Iesum Christum cognosci confitetur, ex quibus inconfusè ineffabilis vnitas facta est, &c.* Et postea: *Ex quibus, & compositus est*, nempè, Christus; sed ly *ex* denotat compositionem huius ex his: ergo Christus est persona composita compositione huius ex his. *Prob. 1. ex Concilijs.*

Respondet Ill. God. *num.* 82. negando minorem: nam in hoc, quod est componi ex componentibus, omnes modi compositionis conveniunt; albū namque verè ex albedine, & corpore compositum est; & tamen non dicitur compositum compositione huius ex his, sed compositione cum his, aut huius ad hoc: ergo constare ex componentibus non constituit compositionem huius ex his, provt ab alijs condistinctam, sed genericè se habet ad omnes modos compositionis; vnde, vt compositio aliqua sit huius ex his, vltra hoc, quod est, ex componētibus resultare, requiritur, quod compositum sit vnum per se, & insuper, quod vtrumque extremum componens in composito, non solum intrinsicè, sed etiam in recto includatur, & pro conflato ex vtroque supponatur in recto; licèt autem personæ Christi vnitas per se non deficiat, deficit tamen inclusio vtriusque componentium in recto; non enim importat in recto, nisi solam subsistentiam; & ideo, etsi a Concilijs asserā- *55 Respondet Ill. Godoy.*

tur

tur compositа ex natura humana, & Divina, non colligitur esse ex illis compositâ compositione huius ex his.

56 *Impugnatur ad hominem contra Ill. Godoy 1.*

Sed licèt hæc solutio sit falsa, vt ex dicendis constabit, omitto pro nunc solutionem, & contra ipsum insurgo ad hominem. Primo: negari nequit, quod ly *ex* propriè sumptum significet compositionem huius ex his; sed persona Christi est composita ex natura Divina, & humana ly *ex* propriè sumpto: ergo negari nequit, quod persona Christi est composita compositione huius ex his. Consequentia est legitima. Maior patet primo: nam licèt ly *ex* communitèr sumptum significare possit quamcumque compositionem, propriè tamen sumptum significare debet compositionem declaratam per ly *ex*, quæ est compositio *huius ex his*; alioquin ly *ex* non sumeretur propriè. Patet secundo dicta maior: nam compositum compositione *cum his*, seu *huius ad hoc* non est compositum *huius ex his*, ly *ex* propriè sumpto; alioquin esset compositum vtraque compositione, terminis *huius ad hoc*, & *huius ex his* propriè sumptis, quod est falsum.

57 *Prob. minor.*

Minor verò probatur: persona Christi est composita ex natura Divina, & humana iuxtà verba Concilij in probatione relata: ergo persona Christi est composita ex natura Dei, & humana, ly *ex* propriè sumpto. Probatur consequentia: ideò iuxtà Ill. God. *num.* 3. Christus est persona cõposita compositione vera, & propria, quia esse personam compositam asserit Concilium, cuius verba cum proprietate sunt accipienda, vt constat ex Concilio allegato *consult. 5 cap. 17.* vbi damnatur, qui ea, quæ de Christo in his Concilijs sunt diffinita, negant, propriè, & secundum veritatem dicta esse. Atqui Christum esse personam compositam ex natura Divina, & humana, asserit idem Concilium, cuius verba cum proprietate sunt accipienda ob eandem rationem: ergo, &c.

58 *Impugn. 2.*

Impugnatur secundo ad hominem contra ipsum: ideò Ill. Godoy *num.* 4. probat: personam Christi esse compositam vera, & propria compositione, quia esse compositam asserunt Patres, & ea, quæ Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiãt, cum proprietate sunt accipienda; sed Patres non semel, aut iterum, sed sæpè absolutè pronuntiant, personam Christi esse compositam compositione *huius ex his*: ergo compositione *huius ex his*, ly *ex* propriè sumpto, est composita persona Christi. Maior, & consequentia tenent. Minor autem probatur: nam Patres sæpè absolutè docent, Christum esse compositum compositione *huius ex his*. Ita D. Bernardus *Serm. 2. in Cantic.* ad illa verba: *Osculetur me osculo oris sui*, vbi sic habet: *Attendite; sit os osculans Verbum assumens, osculatum caro, quod pariter ab osculante, & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta, mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* Id ipsum docent, & eodem modo locuntur alij Patres frequentèr, quos lato calamo refert Vincentius relatus ab Ill. God. *num. cit.* ergo, &c.

59 *Prob. 2. cõclus. ad homin. contra Ill. God. destruendo illius fundam.*

Probatur secundo conclusio destruendo fundamentum Ill. God. ad hominem contra ipsum: quod de persona Christi verè prædicetur vnum ex componentibus, scilicèt, Verbum, seu Verbi personalitas, non tollit, quod persona Christi sit composita compositione *huius ex his*; sed hoc est fundamẽtum Ill. God: ergo ruit illius fundamentum, & consequentèr persona Christi erit composita compositione *huius ex his*. Probatur maior: quod de persona Christi verè prædicetur vnum ex componentibus, scilicèt, Verbum, seu Verbi personalitas, non tollit iuxtà ipsum, quod persona Christi sit composita propria, & stricta compositione: ergo nec quod sit composita compositione *huius ex his*. Probatur consequentia: æquè est de ratione compositi compositione propria, & stricta, quod nullum ex componentibus divisim verè affirmetur de composito; ac de ratione compositi compositione huius ex his; sed quod de persona Christi verè prædicetur vnum ex componentibus, scilicèt, Verbum, seu Verbi personalitas, non tollit iuxtà ipsum, quod persona Christi sit composita propria, & stricta compositione: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor est opinio Ill. God. Maior autem patet in humanitate, de qua, quia ex corpore, & anima componitur compositione

stricta,

ſtricta, & compoſitione *ex his*, nullum ex illis diviſim verè affirmatur de illa; hæc namque propoſitio: *humanitas eſt anima*, & hæc: *humanitas eſt corpus*, ſunt falſæ. Et hoc eſt exemplum adductum ab Ill. God. in probatione prima ſuæ concluſionis.

60 *Vis prædictæ probationis ad hominem oſtenditur.*

Vt autem appareat, quā, qualē, & quātā vim habeat prędicta noſtra probatio ad hominem contra Ill. God. ab ipſo tradita referam, & tranſcribam. Ipſe namque *num.* 44. ſic contra ſe arguit: extrema namque propriæ compoſitionis diviſivè ſumpta, non poſſunt verè de compoſito enuntiari: vndè quia ex anima, & corpore humanitas propriè componitur, iſtæ propoſitiones ſunt falſæ: *humanitas eſt anima rationalis*: *humanitas eſt corpus*, quamvis verè ſit, & dicatur compoſita ex anima, & corpore; ſed hæc propoſitio: *Chriſtus, ſeu perſona Chriſti eſt Deus, & Verbum Dei*, ſecundum fidem eſt vera: ergo perſona Chriſti non eſt compoſita ex Verbo, & humanitate per veram, & propriam compoſitionem.

61 Cui argumento reſpondet *num.* 45. veram eſſe maiorem, quando compoſitum in recto pro omnibus componentibus collectivè ſumptis ſupponit; falſam autem, quando etſi omnia componentia in recto, & in obliquo importet, vnum tamen ſolum importat in recto; tunc namque importatū in recto de compoſito verè enuntiatur: vndè licèt album albedinem ſignificet de formali, quia tamen in ſupponendo, non albedinem in recto, ſed ſolum corpus importat, hæc propoſitio: *album eſt corpus* eſt vera, quamvis album reali, & propria compoſitione cōponatur ex albedine, & corpore. In exemplo autem adducto, nempè, humanitatis compoſitæ ex anima, & corpore, oppoſitum oppoſita de cauſa contingit; quia, ſcilicèt, humanitas, nec ſupponit in recto pro anima, nec pro corpore, ſed pro conſtituto ex illis. Quia ergo perſona Chriſti non ſolum in ſupponēdo, ſed etiam in ſignificando, ſolum importat in recto perſonalitatem Verbi in concreto, conſequens ſit, quod de perſona Chriſti verè prædicetur Verbum, etſi ſit ex Verbo, & humanitate compoſita.

62 Et in *num.* 78. ſic probat concluſionem nobis oppoſitam: nam de compoſito compoſitione *huius ex his* nullum ex componentibus verè prædicatur, vt conſtat in humanitate, de qua, quia compoſitione ex *his* componitur ex corpore, & anima, nullum ex illis diviſim verè affirmatur de illa: hæc namque propoſitio: *humanitas eſt anima*, & hæc: *humanitas eſt corpus*, ſunt falſæ; ſed de Chriſto, ſeu de perſona Chriſti verè prædicatur vnum ex componentibus, ſcilicèt, Verbum, ſeu Verbi perſonalitas; hæc enim propoſitio: *Chriſtus eſt Verbum Dei*, eſt certa ſecundum fidem, ſicut hæc: *Chriſtus eſt Deus*, hæc etiam: *Chriſtus eſt perſonalitas Verbi*, eſt vera per realem identitatem; nam ſequitur benè: *Chriſtus eſt Verbum, Verbum eſt ſua perſonalitas: ergo Chriſtus eſt perſonalitas Verbi*: ergo ex Verbo, aut Verbi perſonalitate, & humana natura non componitur perſona Chriſti compoſitione *huius ex his*, ſed *huius ad hoc*, ſeu *cum his*.

63 Ecce Ill. God. probantem concluſionem ab ipſo ſtatutam *num.* 70. eadem omnino ratione, quam in ſe obiecit *num.* 44. contra concluſionem, quam poſſuit *numer.* 36. Si ergo ratio prædicta vim non habuit contra ipſum, cur contra nos vim habebit? Debet igitur fateri, vtrumque æquè probare, vel ad neutrum valere, quorum vtrumque eſt contra ipſum; nam per ipſam probat: perſonam Chriſti non eſſe compoſitam compoſitione *ex his*, & illam ſoluit, vt non probet: perſonam Chriſti non eſſe compoſitam cōpoſitione propria, & ſtricta, quod eſt (meo videri) parum conſequenter procedere; cum ratio ſit eadem, & propoſitio, ad quam in vtroque loco devolvitur difficultas, eodem exemplo ab ipſo vtrobiquè probetur, vt apparet ex dictis.

64 *Solutio ad 1. prob. impugnatur.* Ex quo impugnatur etiam ad hominem ſolutio, quam Ill. Godoy adhibuit ad noſtram primam probationem poſitam *num.* 54. ad compoſitionem propriam, & ſtrictam *ex his* non requiritur, quod vtrumque extremū includatur in compoſito in recto: ergo ruit ſolutio. Probatur antecedens: ad compoſitionem propriam, & ſtrictam per ſe non requiritur, quod vtrūque extremum includatur in compoſito in recto: ergo paritèr. Antece-

dens

dens est Ill. God. asserentis in hac distinctione : personam Christi esse compositam propria, & stricta compositione per se, quin vtrumque extremum includatur in recto in persona Christi.

Consequentia est à paritate evidens, & demonstratur : ideò ad compositionem propriam, & strictam *ex his* requiriretur, quod vtrumque exmum includatur in composito in recto, quia hoc videmus sic evenire in composito naturali compositione *ex his*, vt patet in humanitate, quod est exemplum ab Ill. Godoy pro se traditũ; atqui ex hoc nõ probatur, quod ad compositionem propriam, & strictam *ex his* requiratur, quod vtrumque extremum includatur in composito in recto : ergo, &c. Maior, & consequentia tenent. Minor verò probatur : ex eo, quod in composito naturali compositione propria, & stricta per se videamus, quod vtrumque extremum includitur in composito in recto, vt patet ex eodem exemplo humanitatis, non probatur iuxtà Ill. Godoy, quod ad compositionem propriam, & strictam per se requiratur, quod vtrumque extremum includatur in composito in recto : ergo nec ex eo probabitur, &c.

65 *Prob. 3. cõclus. etiam ad hominẽ.* Probatur tertio conclusio ad hominem contra Ill. Godoy: omnis cõpositio propria, & stricta per se est compositio *ex his*; sed compositio Christi est compositio propria, & stricta iuxtà Ill. God. in tota hac disputatione, & est per se, vt habet *num.* 82. ergo Christi compositio est compositio *ex his*. Minor, & consequentia tenent. Maior autem in humanitate, quæ est exemplum ab ipso adductum, & ex hoc apparet in omni compositione propria, & stricta per se; nulla enim est, quæ non sit compositio *ex his*; alioquin aliquam assignet Ill. Godoy, & tunc fatear : inconsequentèr non procedere, asserendo pro vna parte: personam Christi esse compositam compositione per se propria, & stricta, & pro alia asserendo : non esse compositam compositione *ex his*.

***

§. V.

Argumenta Ill. Godoy diluuntur.

66 *Arguit 1.* COntra istam conclusionem arguit primo *num.* 78 nam de cõposito compositione *huius ex his* nullum ex componentibus verè prædicatur, vt constat in humanitate, de quo, quia compositione *ex his* componitur ex corpore, & anima, nullum ex illis divisim verè affirmatur de illa: hæc namque propositio : *humanitas est anima*: & hæc: *humanitas est corpus*, sunt falsæ; sed de Christo, seu de persona Christi verè prædicatur vnum ex componentibus, scilicèt, Verbum, seu Verbi personalitas; hæc enim propositio: *Christus est Verbum Dei*, est certa secundum fidem; sicut hæc: *Christus est Deus*; hæc etiam: *Christus est personalitas Verbi*, est vera per realem identitatem; nam sequitur benè : *Christus est Verbum*; *Verbum est sua personalitas* : *ergo Christus est personalitas Verbi* : ergo ex Verbo, aut Verbi personalitate, & humana natura non componitur persona Christi compositione *huius ex his*, sed *huius ad hoc*, seu *cum his*.

67 *Respondeo.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: de composito cõpositione *huius ex his* propria, & stricta nullum ex componentibus verè prædicatur concedo maiorem; de cõposito compositione *huius ex his* non propria, nec stricta nullum ex componentibus verè prædicatur nego maiorem, & concessa minori, distinguo consequens: ergo ex Verbo, aut Verbi personalitate, & humana natura non componitur persona Christi cõpositione *huius ex his* propria, & stricta concedo consequentiam; non propria, & stricta nego consequentiam. Itaque, licèt ad compositionem propriam, & strictam (loquendo de compositione per se, de qua procedit argumentum) requiratur, quod nullum ex componentibus verè prædicetur de composito, vt probat exemplum de humanitate; hoc tamen non requiritur ad compositionem, quę propria, & stricta non est, quin potius admirabilis, & ineffabilis, quod est consequentèr procedere ad dicta in prima, & secunda conclusione.

68 *Firmatur responsio.* Contra hanc solutionem nihil habet Ill. Godoy, nec contra illam vi-

detur

detur posse replicare; nam si ipse *num.* 20. facit distinctionem de compositione naturali, & compositione admirabili, & supernaturali, huic negando, quod omni naturali compositioni convenit; ita nos distinguimus de compositione propria, & stricta, & compositione, nec propria, nec stricta, huic negando, quod omni compositioni propriæ, & strictæ convenit.

69 *Arguit 2.* Arguit secundo *num.* 79. nam compositum compositione *ex his* intrinsicè in recto includit vtrumque extremum componens, & pro vtroque complexivè in recto supponit; sed persona Christi non includit intrinsicè in recto personalitatem, & humanitatē, nec pro vtraque in recto supponit, sed personalitatem importat in recto, & humanitatem in obliquo: ergo non componitur ex illis compositione *huius ex his*, sed compositione *huius ad hoc*, seu *huius cum his*. Consequentia est legitima. Præmissæ autem indigent probatione. *Maior probatur 1.* Maior ostenditur primo: album namque nō componitur ex albedine, & corpore compositione *huius ex his*, sed compositione *huius ad hoc*, seu *cum his*, eo quod in supponendo non importat in recto vtrumque, sed in recto importat subtractum, & albedinē in obliquo: ergo &c. *Secundo.* Secundo probatur: nam importare vnum ex componentibus solum in recto, & alterum in obliquo sufficienter distinguit à composito, vtrumque in recto importante, vt vnum dicatur compositum *huius ad hoc*, & alterū dicatur compositum compositione *huius ex his*: ergo idem, quod antea.

70 *Minor prob. 1.* Deindè minor argumenti suadetur primo ex doctrina D. Thomæ 1. *part. quæst.* 29. *artic.* 4. vbi docet: personam significare in recto relationē, vt subsistentem, & in obliquo rationalem Divinam naturā: ergo persona Christi, seu Christus, cum sint nomina personalia, non important in recto naturam, sed solum in obliquo. Quod etiam constat ex diffinitione personæ tradita à Boecio, & admissa ab omnibus Theologis, scilicèt: *Persona est rationalis naturæ individua substantia*, ideſt, incommunicabilis subsistentia, in qua diffinitione, vt ex ipsa constat, rationalis natura solum in obliquo ponitur: ergo à persona solum in obliquo importatur, & consequentèr persona Christi solum in obliquo importat naturam, & in recto personalitatem.

Secundo. Præterea probatur: nam si persona importaret in recto, sivè in supponēdo, sivè in significando, naturam, non posset dici, esse in Deo tres personas: consequens est contra fidem: ergo persona non importat in recto naturam. Probatur sequella: nam terminus numeralis cadens suprà substantivum numerat totū id, pro quo adæquatè supponit, & in recto de formali significat; sed persona est terminus substantivus: ergo si in recto significaret naturam rationalem, aut pro illa supponeret, non multiplicata natura, non posset terminus numeralis verè de persona enuntiari, & consequentèr, cum natura Divina non multiplicetur in personis, sed sit vna, & eadē in illis, vt fide docemur, hæc propositio esset falsa: *in Deo sunt tres personæ.*

71 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: compositum compositione *ex his* propria, & stricta intrinsicè in recto includit vtrumque extremum componens, & pro vtroque complexivè in recto supponit ommitto maiorem; compositum cōpositione ex *his* non propria, nec stricta nego maiorem; & concessa minori, distinguo consequens distinctione data. Dixi *omitto*, & non concedo, quia illa propositio, scilicèt, *compositum compositione ex his intrinsicè in recto includit vtrumque extremū componens, & pro vtroque complexivè in recto supponit*, est absolutè falsa; nam compositum per accidens, vti est album, est compositum compositione *ex his* propria, & stricta, licèt in supponendo non importet in recto vtrumque, sed in recto importet subtractum, & albedinem in obliquo. Ratio est: nam ad compositionem *ex his* propriam, & strictam sufficit, quod vna pars se habeat, vt potētia, & altera, vt actus, quod reperitur in quocumque composito per accidens. Quod autem intrinsicè in recto vtrumque includat, non est de ratione omnis compositi compositione *ex his*, sed tātū de ratione coppositi per se.

72 *Ad probationes maioris.* Et licèt ex hoc pateat ad vtramque maioris probationem; nulla namque est contra nos, quia adhuc absolutè

con-

concessa maiori argumenti sub data distinctione, non infertur: personam Christi non esse compositam compositione *ex his*, falsitas namque vtriusque declaranda est. Declaratur falsitas primæ probationis: ad propriam cōpositionem *ex his* sufficit, quod vnum ex componentibus se habeat per modum potentiæ, & alterum per modum actus; sed ex componentibus compositum per accidens, nempè, album, vnum se habet per modum potentiæ, scilicèt, homo, & alterum per modū actus, scilicèt, albedo; nam actuat, & informat hominem: ergo compositū per accidens, scilicèt, album, est compositum compositione *ex his* propria, & stricta. Minor, & consequētia tenēt.

73 *Maior prob. 1.* Maior probatur primo: nam ideò compositum integrale, sivè continuū, sivè discretum, sivè homogeneum, sivè etherogeneū (& idem de composito per aggregationem) non est compositum compositione propria *ex his*, quia extrema non sunt partes, quarū vna se habeat per modum potentiæ, & altera per modum actus: ergo, &c. Sed licèt hæc probatio sit mihi certa, & hæc sit differentia inter compositū per accidens, & integrale, quod hoc sit compositum compositione *cum his*, illud autem compositione *ex his*; quia tamen hoc contra Ill. God. nō sufficit.

74 *Secundo.* Probatur secundo prædicta maior paritate desumpta ex secunda illius probatione: importare vnū ex componentibus rationem potentiæ, & alterum rationē actus, sufficientèr distinguit à composito, vtrumque per modum partis sine ratione actus, & potentiæ importante, vt vnum dicatur compositum *huius ex his*, & alterū dicatur compositum compositione *huius ad hoc*, seu *cum his*: ergo, &c. Probatur antecedens: importare vnum ex componentibus solum in recto, & alterum in obliquo, sufficientèr distinguit à composito, vtrumque in recto importante, vt vnum dicatur compositum *huius ad hoc*, & alterum dicatur compositum compositione *huius ex his*: ergo paritèr. Antecedens est secūda maioris probatio, qua Ill. God. contra nos arguit. Consequentia paritate videtur certa. Et ex hoc patet falsitas secundæ probationis; nam importare vnum ex componentibus solum in recto, & alterum in obliquo, licèt sufficientèr distinguat à composito, vtrumque in recto importante, vt vnum dicatur compositum per se, & alterum sit compositum per accidens; non tamen distinguit sufficientèr, vt vnum dicatur compositū *huius ad hoc*, & alterum dicatur compositū compositione *huius ex his*, vt dictū habemus.

75 *1. Difficultas.* Pro complemento disputationis restant aliquæ difficultates, quæ, licèt ab Ill. God. non adducantur, brevitèr tamen expediendæ sunt. Et cum ex dictis in discursu disputationis constet: Christum esse vnum vnitate quadam compositionis, & si non propriè, & strictæ. Prima difficultas est: ad quod genus vnitatis redducatur hæc vnitas Christi? Nam cum vnitas alia sit aggregationis, alia ordinis, alia informationis accidentalis, alia continuationis, alia compositionis ex per se actus, & per se potentia, alia generis, alia speciei, & alia diffinitionis, non videtur Christus aliqua harū vnitatum dici posse vnus; nam in primis non sunt illæ naturæ in Christo aggregatæ tantum, & ordinatæ, vt dicebat Nestorius, nec vna est accidens respectu alterius, ita vt verè illi inhæreat, vt patet; nec etiam sunt vnitæ vnitate continuationis, vel compositionis ex per se actu, & potentia, vt dictum est; neque Christus vnum genere, aut specie dici potest, quia natura Divina, & humana plusquam genere differunt; nec consequentèr dici potest vnum numero, quatenus hæc vnitas infert specificam, & genericā; nec tandem dici potest vnum diffinitione, ita vt vnicam habeat essentiam ex Divina, & humana natura constitutam, quia illæ duæ naturæ in Christo manent impermixtæ.

76 *Respondetur.* Respondeo concedendo, nullo horum modorum propriè loquendo Christum posse dici vnum, vt colligitur ex Scoto *in 3. dist. 6. quæst. 1. ad 1.* sed sicut ista vnio, qua duæ naturæ substantiales completæ in vno vniuntur suppositō, admirabilis est, ac ineffabilis, vt inquiunt Concilia, & Patres; ita Christus erit vtique vnum per se, quia sunt illæ naturę invicem substantialitèr vnitæ, sed vnitate quadam ineffabili, & admirabili; quæ tamen ad vnitatem numericam redduci pote-

rit, non quidem eo modo, quo de vnitate numerica loquitur Philosophus, scilicèt, quod inferat vnitatem specificam, & genericam, sed eo, quia Christus nullo modo potest dici duo, vt Doctor ostendit *loc. cit. quæst.* 2. sed vnus propter vnitatem suppositi, qua etiam de causa *dist.* 7. *quæst.* 1. *Et dist* 11. *quæst.* 3. *Et dist.* 22. *litt. M.* docet, Christum esse vnum ens, non plura entia, ob vnitatem numericam suppositi.

77 2. Difficultas. Secunda difficultas est: an Christus dicendus sit vnus, vel duo? Hæc difficultas ortum habet ex eo, quod in Christo sint duæ naturæ, & vnum suppositum; ideoque dubitatur: an dicendus sit vnus propter vnitatem suppositi, vel duo propter qualitatem naturarum? Suppono: quod hæc nomina: *vnus, duo, vel alius*, sumi possunt masculinè, & neutralitèr. Sumpta masculinè referuntur ad suppositum, ideòque hæc est vera: *Pater est alius à Filio, Pater, & Filius sunt duo.* Neutralitèr capta referuntur ad naturam, vndè falsa est hæc: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tria.* Quo notato.

78 Respondeo: Respondeo: Christum in recto non esse duo neutraliter; bene verò in obliquo; esse tamen vnum masculinè. Sic Scotus *in* 3. *dist.* 6. *quæst.* 2. *§. ad quæstionem.* Probatur prima pars: *duo* neutralitèr sumptum refertur ad naturas, provt in se sunt distinctæ; sed in Christo sunt duæ naturæ: ergo eodem modo *duo* prædicatur de Christo, sicut naturæ sunt inter se distinctæ. Atqui vt sic sumuntur in abstracto, & non prædicantur in recto, sed solum in obliquo; nam hæc est falsa: *Christus est humanitas, & Divinitas*, & hæc est vera: *in Christo est humanitas, & Divinitas*: ergo similitèr hæc erit falsa: *Christus est duo*, & hæc vera: *Christus habet duo*: ergo Christus non est duo neutralitèr in recto; bene verò in obliquo. Nec obest, quod Scotus citatus *num.* 76. dicat: quod Christus nullo modo potest dici duo; quia loquitur de duo masculinè sumpto, vt claret ex verbis ipsius, & est probatio secundæ partis asserti; nam vnus masculinè refertur ad suppositum; sed in Christo est vnum suppositum: ergo Christus est vnus masculinè.

79 Ex dictis inter probandam conclusionem colligit Ill. God. *num.* 8. Christum absolutè dicendum esse compositum, & personam compositam. Quod patet primo: nam Concilia, & P. P. absolutè loquuntur, & absque vllo additamento dicunt, personam Christi compositam esse: ergo ita loquendum est, & absolutè dicendum, Christum esse personam compositam, quin sit necessarium, vti aliqua limitatione, vel addito diminuente. Secundo: nam ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; sed in re ita est, quod Christus est persona composita: ergo absolutè est dicendum. Nec in hoc est convenientia cum hæreticis in modo loquendi, quod solet esse in causa, vt id, quod aliàs sensum verum, & catholicum admittit, absolutè non proferatur, sed cum Concilijs, & Patribus ita absolutè loquentibus: ergo non est, cur prædicta propositio absolutè proferenda non sit.

Corollariũ Ill. Godoy.

Cæterum si dicere: Christum esse absolutè compositum, importet veram propriam, & strictam compositionem, nego Christum absolutè dicendum esse compositum, sed cum addito, vel additamento, scilicèt, compositione admirabili, & ineffabili, cui modo dicendi videtur subscrivere Caietanus 3. *part. quæst.* 2. *art.* 4. *in com. dubio* 3. vbi conceptis verbis asserit: compositionem simplicitèr non esse in persona Christi ponendã, quia necessario includit imperfectionem, sed necessario esse ponendam cũ addito, quomodo S.S. P.P. & veteres Scholastici posiuerunt, quod planè maximum esse debet huius veritatis indicium; vndè concludit ad removendas omnes imperfectiones, compositionem hanc vocari debere admirabilem, ac ineffabilem. Si autem dicere: Christum absolutè compositũ, nullam importet compositionẽ propriam, & strictam, assentio dictamini Ill. God. & quia in hoc immorari amplius non licet. Hæc de ista disputatione applicanda litterę Magistri *in* 3. *dist.* 6. *§.* 4. ad illa verba. *Cum autem, & alijs, qui istis in particulari consentiunt, &c.* Vbi à Durando excitatur.

80 *Veritas corollarij explicatur.*

DIS-

DISPVTATIO VNDECIMA.

An vnio humanitatis ad Verbum sit realiter distincta ab extremis? Quid sit? & quotuplex?

§. I.

Resolvitur prima pars istius disputationis.

Num. 1 *Duplex vnionis acceptio.*

CIRCA primam disputationis partem ante illius resolutionem breviter est advertendum: vnionem humanitatis cum Verbo posse dupliciter sumi. Primo activè, seu pro actione vnitiva, quæ cum maiori proprietate dicitur vnitio, quam vnio, quia ab illa vnio extremorum causatur; vndè ab vnione sic accepta dicuntur extrema efficienter vnita. Secundo potest sumi passivè, quo pacto vnio est effectus vnitionis, seu actionis vnitivæ, quomodo vnio est nexus, seu vinculum, à qua extrema fundamentaliter, & formaliter vnita dicuntur. Fundamentaliter, ab vnione considerata, vt nexus. Formaliter, ab vnione, vt denominãte extrema formaliter vnita.

2 Præsens ergo difficultas non est de vnione primo modo accepta; sic namque vsurpata, vel est actio immanens in Deo formaliter, & solum virtualiter transiens, vt tenet communis Thomistarum sententia; vel est actio formaliter transiens, vt extra Scholam D. Thomę communiter circunfertur. Si primum, est aliquid increatum, realiterque ab humanitate distinctum, & cum Verbo assumente realiter identificatum, quia nihil realiter in Deo immanens, ipsique formaliter conveniens, præter oppositas relationes, potest realiter à verbo distingui. Si secundum, est aliquid creatum, realiterque à Verbo distinctum, & cum humanitate in fieri realiter identificatum; quia actionem non distingui realiter ab effectu in fieri, in Physica docetur.

3 Est itaque dissidium de vnione secundo modo sumpta, scilicèt, passivè. Cum autem vnio sic accepta nihil aliud sit, quam vinculum duarum rerum, & vinculum sit duplex; ita vnio. Nam aliud est vinculum, *in quo* duo extrema copulantur, v.g. si extrema se habent vt actus, & potentia, vinculum *in quo* erit compositum; vel si non se habent vt actus, & potentia, vt duæ qualitates, vinculum *in quo* erit subiectum. Alterum est vinculum *quo* aliqua extrema copulantur, & est forma *à qua* extrema sunt, & denominantur formaliter vnita; nam licèt in vinculo *in quo* vniuntur, hoc tantum est realiter, & fundamentaliter, sicut duo parietes ab vnitate alicuius qualitatis sunt similes fundamentaliter, & realiter; à relatione autem similitudinis formaliter denominantur similes. In præsenti ergo non est difficultas de vinculo, & vnione *in quo*; nam si sermo sit de vnione, quæ facta est inter naturam Divinam, & humanam, vinculum *in quo* est personalitas Verbi; si verò sermo sit de humanitate, & personalitate, vinculum *in quo* est Christus, seu persona Verbi composita, quæ est terminus totalis Incarnationis. Sed difficultas solum est de vinculo *quo*.

In qua duæ extremæ oppositæ sententiæ versantur. Prima docet: humanitatem se ipsa Divino Verbo vniri, & Verbum humanitati absque aliquo reali nexu realiter ab illo distincto Hanc tenet Gregorius *in 1. dist. 28. quæst. 2. in responsione ad 17. & 18. argument.* Maior *in 3. dist. 1. quæst. 1.* Ocham *in 1. dist. 30. q. 1. §. ad 2. inconveniens.* Eidem sententiæ adhærent Caietanus *in hac quæst. artic. 7. & in hoc articulo accutissimè, & artic. 10. circa solutionem ad 1.* Alvarez *disp. 13. conc. 1.* Nazarius *artic. 8. controv. 3. concl. 3.* & alij plures in Physica disputantes: an vnio formæ, & materiæ in com-

4 1. *Sententia.* *Gregorius.* *Maior.* *Ocham.* *Caietanus.* *Alvarez.* *Nazarius.*

posito physico ab illis realiter distinguatur. Eandem sententiam tenet Valentia *disput. 2. quæst. 2. punct. 5.*

Valentia. 2. Sententia.

Secunda per extremum affirmat: humanitatem Christi vniri Verbo Divino per vnionem realiter ab ipsa, & Verbo distinctam. Hanc tenet Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 1. §. ad 1. dico*, vbi docet: vnionem hypostaticam esse per se relationem extrinsecus advenientem; & licet non sit inter Thomistas communior, Scotum sequitur Ill. Godoy *num. 4.* ex eo motus, quod licet Scoti opinio evidentibus, & demonstrativis rationibus non innitatur, efficatioribus argumentis subsistit, quam contraria sententia, & licet tot ex suis Patronos non habeat, conformius tamen ad Thomistica principia procedit, & ex D. Thomæ doctrina efficaciter deducitur. Licet ergo in hac parte litigium cum Ill. Godoy non habeamus, illam pertractare necessarium est, vt reliqua in disputatione dicenda intelligantur. Sit ergo.

Scotus.

Ill. Godoy.

5 *Conclusio.* *Conclusio: Vnio humanitatis ad Verbum realiter ab ipsa, & Verbo distinguitur.* Sic Doctor citatus, & probatur primo: quæ realiter separantur, si mutua sit separatio, entitativè realiter distinguuntur; si autem separatio sit non mutua, ideit, talis, quod vnum sine alio existere possit, non è converso, realiter saltim modaliter necessario debent distingui: nihil enim à se ipso potest realiter separari, nec sine se ipso, & sine sibi identificatis existere, & destrui, & non destrui realiter, quæ contradictoria sunt; sed vnio humanitatis ad Verbum est ab humanitate separabilis separatione reali non mutua, potest namque existere humanitas, non existente vnione humanitatis ad Verbum, cum possit à Verbo dimitti de potentia absoluta, & potuerit Verbo non vniri, in quibus casibus existeret humanitas, & non existeret vnio ipsius ad Verbum; è contra tamen non potest contingere, vt vnio humanitatis existat absque humanitate existente, cum sit modus illius, & implicet, modum existere sine re, cuius est modus: ergo vnio ista realiter modaliter ab humanitate distinguitur.

Prob. 1.

Confirmatur, & vrgetur; nulla alia ratione probatur distinctio realis subsistentiæ a natura, nisi quia in Christo existit natura humana sine propria subsistentia; sed etiam potuit existere humanitas sine vnione sui ad Verbum: ergo vnio humanitatis ad Verbū realiter ab humanitate distinguitur.

Confirmatur.

6 *Probat. 2. concluſ.* Probatur secundo conclusio: ex vi actionis vnitivæ producitur vnio humanitatis ad Verbum; & tamen ex vi illius actionis non producitur humanitas, sed per aliam distinctam: ergo, &c. Patet consequentia: nam diversæ actiones realiter productivæ petunt terminos productos distinctos realiter. Minor constat; nam ad productionem humanitatis Beatissima Virgo Maria concursum præstitit; secus autem ad vnionem humanitatis cum Verbo: ergo humanitas non per illā, sed per aliam actionem fuit producta. Maior autem probatur: omnis enim actio formaliter, aut virtualiter transiens, est realiter productiva; sed actio vnitiva humanitatis ad Verbum est actio transiens formaliter, aut virtualiter: ergo est productiva realiter; cumque humanitatem non producat, dicendum necessario videtur, quod producat vnionem humanitatis ad Verbum.

7 *Aliter formatur ratio.* Aliter affirmatur hæc ratio: distinctio realis actionum sumitur à distinctione reali terminorū ex 5. Physicorum; & D. Thoma 1. *part. quæst. 77. artic. 3.* ergo vbi fuerint actiones realiter distinctæ, ibi erunt termini realiter distincti. Atqui in Incarnatione sunt actiones realiter distinctæ: ergo sunt termini distincti realiter. Tunc sic, sed actiones realiter distinctæ in Incarnatione sunt productio humanitatis, & vnitio eius ad Verbū: ergo humanitas, & vnio, qui sunt termini illarū actionū, sunt realiter distinctæ. Sussumo iterum; sed vnio, quæ est terminus vnitionis, est vnio humanitatis ad Verbum: ergo vnio humanitatis ad Verbum realiter ab ipsa, & Verbo distinguitur. Antecedens cū consequentia, & prima sussumpta est certū. Tertia sussumpta ex secunda infertur.

8 *Sussumpta probatur 1.* Secunda autem probatur primo: actio creativa, & generativa sunt actiones realiter distinctę; sed productio humanitatis est actio generativa, &

vni-

vnitio est actio creativa: ergo actiones realiter distinctæ in Incarnatione sunt productio humanitatis, & vnitio eius ad Verbū. Consequentia est evidens. Maior certa, & minor patet: nā humanitas habet esse per generationē, & vnio per creationem. Probatur secundo prædicta sussumpta: productio substantiæ, & accidētis, productio rei naturalis, & supernaturalis, sunt actiones realitèr distinctæ; sed humanitas est substantia, & quid naturale; vnio verò ad Verbum est accidens, & supernaturale: ergo, &c. Tertio probatur: quod est prius alio, ab eoq̄ separabile, distinguitur realitèr ab illo; nā via separationis infert distinctionē realē; sed actio productiva humanitatis est prior actione vnitiva ad Verbū, ab eaque separabilis, quia non repugnat humanitatem esse productam, & non vnitam Verbo; imo nec nunc dimitti: ergo, &c.

Secundo.

Probat. 3.

9 *Prob. 3. cōclus.*

Probatur tertio conclusio: quod non est de se tale, debet fieri, & denominari tale per aliud in se ipso receptū; sed humanitas est de facto, & denominatur actu vnita Verbo: ergo per aliquid de nobo in ipsa humanitate receptum, & ad Verbi personā terminatū. Minor de fide est. Maior cōstat ex eo, quod constitutio, aut denominatio à forma constituente, aut denomināte provenit. Consequentia probatur primo: humanitas non se habet respectu Spiritus Sancti (cui est præsens) sicut se habet respectu filij; sed non ob aliud, nisi quia est vnita personæ Filij, & nō personæ Spiritus Sancti: ergo humanitas habet in se aliquid, per quod sit, & denominetur vnita personæ Filij. Secundo: humanitas alterius individui non magis est, indistans à Verbo Divino, quā humanitas Christi; cū Deus immensitate divinitatis suæ non longè sit ab vno quoque nostrum, vt ait Apostolus; sed humanitas alterius individui non est actu hypostaticè vnita Verbo, sicut humanitas Christi: ergo, &c.

Aliter formatur ratio.

Aliter efformatur ratio prædicta: impossibile est, quod natura sit de nobo realitèr, & substantialitèr vnita absque aliquo, à quo de nobo habeat talem verā, & realē denominationē; sed hoc non habet natura à se ipsa sola, nec à Verbo solo, nec ab ipsa, & Verbo simul sumptis existentibus, & intimè præsentibus: ergo ab alio realiter distincto à natura, & Verbo. Maior est certa. Minor pro prima, & secunda parte claret ex eo, quod tàm natura, quàm Verbum potest separatim existere. Pro tertia parte probatur: si natura haberet illam denominationem à natura, & Verbo simul existentibus, & intimè præsentibus, illam etiam haberet à tribus Divinis personis; sed hoc est falsum; alioquin tres personæ essent verè, & substantialitèr vnitæ cum natura, quod nequit dici: ergo natura non habet illā denominationem ab ipsa, & Verbo simul sumptis existentibus, & intimè præsentibus. Probatur maior: tres personæ sunt naturæ intimè præsentes: ergo, &c.

Respondet Gonet *disp. 6. de Incarnat. art. 3. n. 61.* ad hoc sufficere actionem vnitivam Dei, quæ cum efficacissima sit, potest ea vnire, quæ longissimè etiam ad invicem distant. Et licèt (inquit) talis actio secundū se extrinsica sit humanitati, & transeat facta vnione, tamē est intrinsica ratione sui termini formalis, in quo etiam virtualitèr semper manet, nimirum, ratione subsistentiæ Verbi Divini, vt communicatæ humanitati, quæ est terminus formalis actionis vnitivæ Dei. Hæc solutio eadem est cum illa, quā ad secundam probationē adducit pro cōtrarijs III. God. *n. 24.* scilicèt: quod ex vi actionis vnitivæ producitur Christus, vt homo, qui est terminus totalis illius; nec ad rationem actionis formaliter, aut virtualitèr transeuntis aliquid aliud exposcitur, quam quod terminum totalem producat.

10 *Respondet Gonet.*

Sed impugnatur primo hęc solutio: Omnis actio productiva termini totalis necessario petit terminum partialem producere, media cuius productione terminū totalē attingat; sed respectu actionis vnitivæ humanitatis ad Verbum non potest assignari terminus partialis productus, nisi vnio humanitatis: ergo huiusceмodi actio, nō solum producit Christum, sed etiam producit vnionem. Consequētia cum minori tenet. Maior probatur: non enim posset generatio ęterna Verbi Verbum producere, tanquam terminum totalem, si nec relationem

11 *Impugnatur solutio. 1.*

produceret, nec produceret naturam Divinam; aliàs defendi posset, nec naturam Verbi, nec filiationem fuisse productam per æternam generationem, & defendi simul, Verbum fuisse per illam productum, tanquam terminum totalem, quod catholicè dici non potest: ergo, &c.

12 *Impugn. 2.* Impugnatur secundo prædicta solutio: nam ex vi actionis vnitivæ humanitas Verbo vnitur; sed non vnitur per illam formaliter: ergo vnitur per illam effectivè; sed vniri effectivè per actionem est efficienter vnionē causari, quod idem est, atque vnionē produci: ergo ex vi prædictæ actionis producitur vnio; cumque ex vi illius non producatur humanitas, necessario est dicendum, vnionem realiter ab humanitate distingui. *Impugn. 3.* Tertio: actio vnitiva Dei, licèt efficacissima sit, non potest vnire ea, quæ longissimè distant, nisi in ratione causæ efficientis, nec esse, nisi id, quo Deus denominatur vniens; sed causa efficiens nequit esse causa formalis, quæ in quolibet opere necessario requiritur: ergo licèt actio vnitiva sit causa efficiens humanitatis, debet in se aliquid recipere, quo constituatur, & denominetur intrinsicè vnita Verbo; sed non recipit actionem vnitivam Dei, quia non esset vnita, sed vniens, quod est falsum: ergo recipit vnionem, qua formaliter vnitur Verbo.

13 *Impugn. 4.* Impugnatur quarto: Incarnatio est vnio naturæ humanæ cum Verbo in vnitate suppositi; sed vnio non est actio causę vnientis naturam cum Verbo: ergo est aliquid realiter distinctum à natura, & Verbo. Probatur minor: actio causæ vnientis naturam cū Verbo solum facit naturam esse intimè præsentem cum Verbo; sed hæc actio non est vnio naturæ cum Verbo in vnitate suppositi: ergo, &c. Maior patet: quia id est, quod ad summum potest facere illa actio. Consequentia est legitima. Minor verò hoc modo probatur: si actio faciens naturam intimè præsentē cum Verbo esset vnio naturæ cum Verbo in vnitate suppositi; natura humana Christi esset vna vnitate suppositi cum Patre, & Spiritu Sancto; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur maior: natura humana Christi est intimè præsens cum Patre, & Spiritu Sancto iuxta fidem: ergo, &c.

14 *Impugn. 5.* Impugnatur quinto: vt actio vnitiva Dei, quæ ex Goneto est extrinseca humanitati, & transit facta vnione, sit intrinsica ratione sui termini formalis, & virtualiter remaneat ratione subsistentiæ Verbi Divini, vt communicatæ humanitati, oportet, quod in humanitate, quæ est vnita, sit aliquid, quod gerat vices actionis vnitivæ, quæ transivit; alias sicuti sublata causa tollitur effectus, sequeretur, quod si actio vnitiva esset causa formalis vnionis, sublata actione vnitiva, humanitas non amplius remansisset vnita; sed hoc non potest esse persona Verbi, quæ cum increata sit, nequit gerere vices Incarnativæ actionis, quæ est actio temporalis; nec humanitas ex se sola, seclusso quocumque medio de nobo recepto, & per actionem Incarnativam derelicto, quia ex hoc sequeretur, quod humanitas Christi esset vnita, etiam si esset à Verbo separata; nam si per actionem vnitivam nihil in se de nobo, & reale acceperit, per actionem separativam nihil deperdere potest: ergo humanitas per actionem Incarnativam Dei non vnitur formaliter, & intrinsicè Verbo, sed per aliquid ab ipsa productum, & in humanitate receptum.

15 *Impugn. 6.* Impugnatur denique: vt actio vnitiva Dei remaneat virtualiter ratione subsistentiæ Verbi Divini, vt communicatæ humanitati, oportet, quod virtus illius remaneat: dicimus enim: solem esse virtualiter in visceribus terræ, quia virtus eius est in ipsis; sed actio vnitiva nihil sui habere potest, nisi vnionem ab humanitate, & Verbo distinctam; nā humanitas non est virtus actionis vnitivæ, cum sit producta per actionē distinctam, præcedentem actionem vnitivam, vt fatetur Gonet; nec subsistentia Verbi, cū sit increata, & ab æterno existens: ergo est vnio medians.

16 *Dices cum Gonet.* Dices cum Gonet *num.* 65. Christum esse id, quod per actionem vnitivam producitur, sicut suppositum humanum est id, quod per generationem humanam producitur. Sed quam falsa sit in nostra doctrina hæc solutio, patet ex eo, quod actio productiva

sup-

ſuppoſiti humani eſt productiva termini partialis, ſcilicèt, formæ corporeitatis, media qua attingit productionem ſuppoſiti humani, quod eſt terminus totalis: falſa igitur eſt ſolutio; cæterũ, quia hoc negabit Gonet.

17 *Contra 1.* Contra primo: humanitas eſt ſaltim natura vnita ſubſiſtentiæ Verbi prius, quam Chriſtus ſit productus; nã Deus vnit humanitatem ſuppoſito Verbi, vt Chriſtus ſit productus, non è contra: ergo priùs, quam actio vnitiva producat Chriſtum, producit aliquid, quo humanitas ſit, & denominatur intrinſicè vnita. *Secundo.* Secundo: quia Deus nequit producere Chriſtum actione vnitiva, quin vniat humanitatem Verbo Diuino; cum Chriſtus conſtet duabus naturis vnitis: ergo licèt Chriſtus ſit terminus *qui* actionis vnitivæ, nequit eſſe id, quo actio vnitiva formaliter vnit humanitatẽ Verbo, nec id, quod per actionem vnitivam primo producitur. *Tertio.* Tertio: quia in compoſito humano datur etiam vnio à partibus ſimul ſumptis diſtincta. *Quarto.* Quarto: quia Chriſtus includit eſſentialiter Diuinitatem, & humanitatem vnitas: ergo nequit eſſe id, quo naturæ vniuntur, ſed tantum id, propter quod vniuntur, nec id, quod per actionem vnitivam primo attingitur, & conſequenter, nec id, quod primo producitur; cum illa actio vnitiva prius tangat humanitatem vniendam, vt vniat ipſam, quam compoſitũ, nempè, Chriſtum: ergo actio vnitiva, cùm ſit productiva, producit aliquid in humanitate, quam primo tangit.

§. II.

Triplex alia ratio pro noſtra ſententia aſſignatur.

18 *Prob. 4. concluſio.* PRobatur quarto concluſio: humanitas Chriſti priùs prioritate naturæ, quam referretur ad Verbum Diuinum, per ſui aſſumptionem immutata fuit; ſed hoc ſalvari nequit, niſi admittatur in humanitate modus ſubſtantialis vnionis, per quem formaliter coniungatur Verbo Diuino: ergo talis modus neceſſario admittendus eſt. Maior videtur certa in doctrina D. Thomæ, qui varijs in locis docet, relationem prædicamentalem, quam humanitas conſequenter ad ſui aſſumptionem refertur ad Verbum Diuinum; cauſari ex mutatione non ipſius Verbi, ſed humanitatis, quæ ad illud aſſumitur. Minor verò ſuadetur: non videtur poſſe ſalvari, quod aliqua natura priùs, quam referatur ad aliud, immutetur, niſi antecedenter ad eiuſmodi relationem, vel aliquid de novo in ſe recipiat, vel aliquid ex ijs, quæ habebat priùs prioritate ſaltem naturæ, deperdat: ergo cũ humanitas Chriſti in ſui aſſumptione ad Diuinum Verbum nihil amiſerit, quod haberet priùs prioritate etiam naturæ, vt ſalvetur per talem aſſumptionem immutatam fuiſſe, neceſſe eſt fateri, aliquid in ea fuiſſe receptum antecedenter ad ſui relationem ad Verbum, quod non poteſt eſſe aliud, quam modus ſubſtantialis vnionis.

19 *Reſpondet Gonet.* Reſpondet Gonet *num.* 74. diſtinguendo maiorem: humanitas Chriſti priùs prioritate naturæ, quam referretur ad Verbum, per ſui aſſumptionem immutata fuit, mutatione propria, & rigoroſa negat maiorem; mutatione impropria, & largè ſumpta concedit maiorẽ; & ſub eadẽ diſtinctione minoris, negat conſequentiam.

20 *Explicat reſponſionẽ* Explicat ſolutionem: in miſterio Incarnationis natura humana non mutatur propria, & rigoroſa mutatione. Primo: quia ad mutationem propriã, & rigoroſam neceſſarium eſt, vt res, quæ dicitur mutata, ante receptionẽ eius, ratione cuius mutata dicitur, prę exiſtat; humanitas autem Chriſti non præexiſtit ante quã terminaretur per perſonalitatem Diuinã, cum in eodem inſtanti producta ſit, & aſſumpta à Verbo. Secundo: quia terminatio nõ eſt propriè receptio alicuius formæ, quæ tamen ad rigoroſam mutationẽ requiritur. Si autem loquamur de mutatione largè, & impropriè ſumpta, concedi poteſt, humanitatẽ Chriſti mutatam eſſe, quæ mutatio conſiſtit in hoc, quod cum haberet naturalem inclinationem ad propriam ſubſiſtentiam, terminata fuit per alienam, ſcilicèt, Diuinam.

Poteſtquè hæc doctrina, & ſolutio illuſtrari ex opinione probabili, quæ nullum inter materiam, & formam modum vnionis admittit; nam iuxtà hanc ſententiam, vt anima rationalis de non vnita corpori, fiat ipſi vnita, & ad illud, vt ad ſuam compartem

referatur, non requiritur, quod mutetur mutatione propria, & rigurosa, sed sufficit mutatio quædam impropria, & largè sumpta, nimirum, extrinsica quædam connotatio, qua connotet materiam, vt potentiam recipientem, quam antea non connotabat. Cur ergo paritèr idem dici non poterit de humanitate assumpta à Verbo, eam, scilicèt, prius, quam referatur ad Verbum, non debere immutari mutatione propria, & rigurosa, modum subitantialem vnionis recipiendo, sed sufficere mutationem largam, & impropriam, quæ ex actione vnitiva Dei, & passiva Verbi Divini terminatione ipsi advenit?

21 *Reijcitur 1 solutio.* Reijcitur primo hæc solutio Gonet: humanitas Christi priùs prioritate naturæ, quam referretur ad filium, per sui assumptionem immutata fuit mutatione propria, & rigurosa: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: ad mutationem propriam, & rigurosam necessarium est, quod res, quæ dicitur mutata, præexistat ante id, ratione cuius mutata dicitur; sed humanitas Christi saltim prioritate naturæ præexistit ante assumptionem, ratione cuius mutata dicitur: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est ipsius Gonet. Minor verò probatur: prius est, quod humanitas existat, quam quod humanitas assumatur: ergo humanitas Christi saltim prioritate naturæ præexistit ante assumptionem. Consequentia est evidens. Antecedens patet primo: nam prius est, humanitatem esse, quam assumi. Secundo: quia assumi sequitur ad esse. Tertio: quia ininteligibile est, aliquid transire ad esse subsistens, quin priùs sit saltim prioritate naturæ. Verum igitur est antecedens. Et ex hoc.

22 *Reijcitur 2* Reijcitur secundo solutio Gonet: duo contradictoria vera, & propria nequeũt verificari de eodem, nisi posita aliqua mutatione vera, & propria; sed de humanitate Christi verificantur duo contradictoria vera, & propria: ergo humanitas Christi mutatur mutatione vera, & propria: ergo ruit solutio. Probatur minor: de humanitate Christi pro priori naturæ ad assumptionem verificatur verè, & propriè, quod non sit vnita Verbo, & post assumptionem verificatur verè, & propriè, quod sit Verbo vnita; sed hæc sunt duo contradictoria vera, & propria: ergo, &c.

Confirmatur, & vrgetur, simulque reijcitur tertio: quod verificaretur de humanitate, si ante Incarnationem existeret humanitas, vti existebat Verbum, verificatur de humanitate pro priori naturæ ad assumptionem; sed si ante Incarnationem existeret humanitas, vti existebat Verbum, verificaretur verè, & propriè de humanitate, quod non esset vnita Verbo, sicut de Verbo verificabatur, quod non erat vnitum humanitati: ergo de humanitate pro priori naturæ ad assumptionem verificatur, quod non sit vnita Verbo. Atqui post assumptionem verè, & propriè verificatur de humanitate, quod sit vnita Verbo: ergo de humanitate verificantur duo contradictoria vera, & propria. Omnia sunt vera, si vera est maior.

23 *Confirm. & vrgetur, simulque reijcitur 3.*

Prob. maior Maior autem probatur: quod verificaretur de humanitate, si ante Incaruationem existeret humanitas, vti existebat Verbum, est, quod esset humanitas, quin denominaretur vnita Verbo; sed de humanitate pro priori naturæ ad assumptionem verificatur, quod sit humanitas, quin pro illo priori denominetur vnita Verbo; alioquin verum non esset prioritate naturæ, humanitatem priùs esse, quã assumi, quod falsũ apparet: ergo, &c.

24 *Amplius vrgetur, & reijcitur 4.* Et ex hoc etiam vrgetur amplius, & reijcitur quarto: si humanitas existeret ante Incarnationem, vti existebat Verbum, non posset humanitas transire ad vnionem cum Verbo, nisi per veram, & propriam mutationem: ergo nec de facto transire potuit ad vnionem cum Verbo, nisi per veram, & propriam mutationem. Probatur consequentia: ideo si humanitas existeret ante Incarnationem, vti existebat Verbum, non posset humanitas transire ad vnionem cum Verbo, nisi per veram, & propriam mutationem, quia transiret de cõtradictorio in cõtradictoriũ, scilicèt, de nõ denominari vnita ad vnitam denominari; sed etiam de facto transijt de contradictorio in contradictorium, scilicèt, de non denominari vnita ad vnitam denominari: ergo, &c.

Denique istæ impugnationes (ab 25

op-

Illustratur doctrina tradita.

oppositò Gonet) illustrari possunt ex opinione probabiliori, quæ inter materiam, & formam modum vnionis ab ipsis realitèr distinctum admittit; nam iuxta hanc sententiam, vt anima rationalis de non vnita corpori fiat ipsi vnita, & ad illud, vt ad suam cõpartem, referatur, requiritur, quod mutetur mutatione propria, & rigurosa, quin sufficiat mutatio impropria, & largè sumpta, nimirum, extrinsica quædam connotatio, qua cõnotet materiam, vt potentiam recipientem, quam anteà non connotabat. Cur ergo paritèr idem dici non poterit de humanitate assumpta à Verbo, eam, scilicèt, in assumptione debere immutari mutatione propria, & rigurosa, modum substantialem vnionis recipiẽdo, quin sufficiat mutatio larga, & impropria, præsertim, cum capax, sit prædictam mutationem recipiendi?

26 *Probatur 5 concluſ.*

Probatur quinto conclusio: Incarnatio est vnio naturæ humanæ cum Verbo in vnitate suppositi; sed hæc vnio non est natura sola, nec solum Verbum, nec actio causæ vnientis naturam cum Verbo: ergo est aliquid realitèr distinctum à natura, & Verbo. Probatur minor quoad vltimam partem: actio causæ vnientis naturam cum Verbo solum facit naturam esse intimè præsentem cum Verbo; sed hæc actio non est vnio naturæ humanæ cum Verbo in vnitate suppositi: ergo hæc vnio non est actio causæ vnientis naturam cum Verbo. Maior patet: quia ad summum id est, quod potest facere actio illa.

Minor verò probatur: si actio faciens naturam intimè præsentem cum Verbo, esset vnio naturæ cum Verbo in vnitate suppositi, natura humana Christi esset vna vnitate suppositi cũ Patre, & Spiritu Sancto; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur maior: natura humana Christi est intimè præsens cum Patre, & Spiritu Sancto iuxta fidem: ergo, &c.

27 *Prob. 6. cõcluſ. paritate contra Thomiſtas.*

Probatur denique conclusio paritate desumpta ex doctrina generali Thomistarum: natura humana est intimè vnita cum Verbo: ergo per aliquid intrinsicè existens in natura. Atqui actio vnitiva non existit intrinsicè in natura, cum apud Thomistas, vt fatetur Gonet *num.* 51. Deus ad extra non operetur per actionem formaliter transeuntem, sed virtualitèr tantum, quæ est ipsamet actio increata, sine virtuali distinctione identificata cum virtute operativa illius: ergo nõ est vnita per actionem: ergo per vnionem realitèr ab illa distinctam. Probatur consequentia prima, in qua est tota difficultas: ens rationis iuxta Thomistas nequit dici intrinsicè tale, nisi per aliquid intrinsicè existens in illo: ergo paritèr.

Alitèr effor matur paritas.

Alitèr formo paritatem: ens rationis ab extrinsica denominatione solum causalitèr dicitur ens rationis; non verò formalitèr intrinsicè: ergo paritèr: natura humana ab actione vnitiva solum causalitèr dicetur vnita Verbo; non verò formalitèr intrinsicè. Antecedens est Thomistarum doctrina. Consequentia est doctrina, quam in præsenti negant, & nos contra ipsos in præsenti docemus; dicimus namque, quod natura humana ab actione vnitiva non formalitèr intrinsicè, sed efficientèr duntaxat, dicitur, & est vnita Verbo.

§. III.

Triplici argumento Gonet occurritur.

28 *Arguit 1.*

ARguit primo Gonet *num.* 51. ratione, quam vocat fundamentalem: per illud Verbum Divinum vnitur actu, & formalitèr humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini, & vltimi complementi; sed exercet in ea rationem termini formalitèr per suam personalitatem absque aliquo alio intermedio: ergo per illam formalitèr absque aliquo etiam modalitèr distincto illi vnitur. Maior est evidens; nam cum Uerbum vniatur naturæ humanæ per modum termini vltimi, & complementi, necesse est, vt id, per quod illi vnitur, sit ipsum actuale exercitium terminandi; sicut quia forma vnitur materiæ per modum actus informantis, illud, per quod ei vnitur, est exercitium actuale informandi.

Minor probatur.

Minor verò probatur: nihil creatum potest esse actuale exercitium, sivè actus secundus virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra: ergo, &c. Antecedens probatur: Non

mi-

minùs est infinitum Uerbum Diuinũ, & actus purus in ratione termini naturæ, quam Deus ipse absolutè in ratione principij productivi; sed ex eo, quod Deus est simplicitèr infinitus, & actus purus in ratione principij productivi, exercitium producendi res ad extra non potest esse aliquid ab illius infinita virtute productiva in recto distinctum; vndè docent communitèr Thomistæ, Deum non operari ad extra per actionem formalitèr transeuntem, sed virtualitèr tantum, quæ est ipsamet actio increata, sine virtuali distinctione identificata cum operativa virtute illius: ergo ex eo, quod Verbum Divinum est infinitum, & actus purus in ratione termini naturæ, exercitium terminandi naturam non potest esse aliquid creatum, & ab eius personalitate realitèr distinctum.

Confirmatur. Confirmatur: subsistentia creata immediate vnitur per se ipsam naturæ creatæ: ergo multo magis debet concedi subsistentiæ Divinæ. Antecedens videtur certum. Consequens probatur: Personalitas Verbi est simplicitèr infinita, & actualissima in ratione terminandi; continet enim omnem perfectionem, & rationem terminandi, seclusis imperfectionibus, quæ in creatis subsistentijs reperiuntur: ergo si subsistentia creata immediate per se ipsam terminat naturam creatam, multo magis debet concedi subsistentiæ increatæ Uerbi.

29 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum distinguendo maiorem: per illud Verbum Divinum vnitur actu, & formalitèr humanitati assumptæ, per quod exercet in ea rationem termini, & vltimi complementi, vt *quo* concedo maiorem; vt *quod* nego maiorem. Distinguo paritèr minorem: exercet in ea rationem termini *quod* formalitèr per suam personalitatem, id est, personalitas Uerbi est id, quod vnitur humanitati concedo minorem; exercet in ea rationem termini *quo* formalitèr, seu est id, quo vnitur humanitati nego minorem, & consequentiam; quia vnio distincta ab extremis non est quid vtrique vnitum, sed quid vniens vtrumque, neque est ratio vnita, sed ratio vniendi, nec mediat vt *quod*, sicut brachium, v. g. mediat inter manum, & collum, sed vt *quo*, sicut actio mediat inter agens, & passum.

Ad prob. minoris. Ad probationem minoris dico: vnionem quamtumvis distinctam ab extremis non esse exercitium actuale, sivè actum secundum virtutis terminativæ personalitatis Verbi ad extra, sed tantum esse conditionem *sine qua non* actualis exercitij, cum non sit pars essentialis compositi, vt patet in physico, nec hoc implicat personalitati Uerbi Divini, cum compositum theãdricum exigat illam vnionem distinctam, vt duæ naturæ actu, & formalitèr vniantur. Ad probationem antecedentis nego paritatem. Licèt Verbũ sit infinitum in ratione termini ad extra; sicut Deus in ratione principij productivi ad extra; quia Deus in producendo agit iuxta suam virtutem; at in Incarnatione Verbum non agit activè iuxta suam virtutem, sed merè passivè terminando se habet, & terminat iuxta exigentiam naturæ assumptæ, & servat conditiones compositi. Vndè cum Incarnatio sit quoddam compositum, servat conditiones, quas compositum necessario exigit; sed vnio est medium, quod extrema exigunt: ergo humanitas non potest terminari ad Verbum sine vnione distincta, quamvis res producantur à Deo sine medio.

Ad confirmat. Ad confirmationem concesso antecedenti (quod tamen ex Scoto *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. §. *& vers. ad quantum*, negari potest) nego consequentiam: quia subsistentia creata non advenit naturæ ab extrinsico, sicut subsistentia Verbi; ideòque non exigit vnionem, vt vniatur humanitati, sicut subsistentia aliena ab extrinsico proveniens.

30 *Arguit 2. Gonet.* Arguit secundo *num.* 54. subsistentia creata immediatè vnitur per se ipsam naturæ creatæ: ergo multo magis id debet concedi subsistentiæ Divinæ. Antecedens videtur certum; tum: quia subsistentia nullam formalitèr exercet causalitatem in natura, sed puram rationem termini; terminus autem immediate se ipso terminat. Tum etiam: quia si admittatur aliquis modus substantialis, per quem subsistentia coniungatur naturæ, quã terminat, opportebit etiam fingere alium modum substantialem vnionis inter existentiam, & suppositum, &

sic modorum non erit modus. Consequentia verò probatur: personalitas Verbi est simpliciter infinita, & actualissima in ratione terminandi; cõtinet enim omnẽ perfectionẽ, & rationem terminãdi, seclusis imperfectionibus, quæ in creatis subsistentijs reperiuntur: ergo si subsistentia creata immediatè per se ipsam terminat naturam creatam, multo magis id debet concedi subsistentiæ increatæ Uerbi.

31 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hoc argumentum respondet Ill. Godoy *num.* 45. distinguendo antecedens: subsistentia vnitur se ipsa absque modo realiter superaddito, illam subiectivè vniente transeat antecedens; absque modo realiter superaddito vniente naturam subiectivè ad subsistentiam terminativè se habentem negat antecedens, & distinguit consequens per eandem distinctionem; solum enim sequitur, subsistentiam Verbi vniri humanitati se ipsa per exclusionem modi realiter superadditi subiectivè vnientis Verbum humanitati, se habenti, vt termino talis vnionis; non autem quod vniatur se ipsa per exclusionem modi realiter superadditi humanitati, illam subiectivè vnientis ad subsistentiam Uerbi, se habentem terminativè.

32 Ad primam antecedentis probationem respondet infrà *num.* 44. negando ipsam; nam subsistentia creata suo modo causat naturam, cum illam ad existendum præparet; qua ratione forma substantialis dicitur causare materiam, quia, nempè, materia non, nisi mediante forma, capax est existentiæ; natura etiam creata propriam subsistentiam causat; tum: quia subsistentia in natura intrinsicè recipitur; tum etiam: quia ad illam dimanativè consequitur, cui causalitati non obstat, quod ab eodem agente natura creata, & propria subsistentia procedant; sicut nec obstat, quod natura, & proprietates illius ab eodem agente ex vi eiusdem actionis causentur, quo minus proprietates à natura dependeant materialiter, & dimanativè. Secundam autem probationem Gonet non adducit Ill. Godoy.

33 *Respondeo 1. ad argument.* Sed quid quid sit de hac responsione Ill. Godoy, provt ad præsens attinet, & de qua in tertiæ difficultatis resolutione dicemus. Respondeo primo ad argumentum negando antecedens cum Scoto *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. §. *& vers. ad quantum.* Et ratio est: quia subsistentia est modus separabilis realiter distinctus à natura, quare non dimanat, vt passio, vel modus subsecutus; ideòque indiget vnione realiter distincta, vt vniatur naturæ creatæ. Ad primam probationem respondeo ipsam negando, quia subsistentia cõstituit naturam formaliter subsistentẽ, quod est aliquam causalitatem in natura formaliter exercere. Ad secundam probationem nego assumptum, quia cum natura prius sit existens, quam sit suppositata, vnio, qua natura vnitur supposito, est vnio, qua existentia illi vnitur.

34 *Dices.* Dices contra hanc solutionem: subsistentia est modus naturæ; sed quia vnio modus est, non ponimus modum vnionis, quo vniatur, sed se ipsa vnitur extremo, quod vnit: ergo subsistentia, seu creata personalitas, quia modus incompletus est, per se ipsam absque modo realiter super addito vnitur propriæ naturæ. *Respondeo 1.* Respondeo primo concessa maiori distinguendo minorem: ex ratione modi incommuni nego minorem; quia talis modus est, cuius formalis ratio est vnire concedo minorem, & nego consequentiam. Itaque ratio formalis non indiget alia ratione formali; vndè quia lux est ratio formalis coloribus, vt videantur, non indiget, vt videatur alia ratione formali, sed ipsa per se ipsam videtur: & quia actio est ratio formalis egrediendi ab agente, se ipsa ab agente egreditur absque aliquo ab illa distincto, per quod egrediens ab agente constituatur.

Quia ergo subsistentia, quamvis modus incompletus sit, non est modus, qui sit ratio formalis vniendi, sed ratio formalis subsistendi, sit, vt non indigeat alio, quod illi sit ratio formalis subsistendi, sed per se ipsam subsistat; indiget tamen alio, quo vniatur, vt ratione formali vniendi, non vt ratione formali subsistendi; vnio autem est modus in ratione formali vniendi consistens; & ideò, vt vniatur, non indiget modo vnionis, sed se ipsa absque modo realiter supera ddito vnitur. *Respondeo 2.* Respondeo secundo distinguendo maiorem: subsistentia est modus

in

in linea personandi concedo maiorem; in linea vniendi nego maiorem, & distinguo minorem distinctione data, negoque consequentiam.

35 *Respond. 2. ad argum.* Respondeo secundo ad argumentum concesso antecedenti, vel omisso, negando consequentiam, cuius disparitatis triplex est ratio. Prima: quod subsistentia creata non advenit naturæ ab extrinseco; benè verò subsistentia Uerbi, ideoque non exigit vnionem, vt vniatur humanitati; benè vero subsistentia aliena ab extrinsico proveniens. Secunda: quia subsistentia creata naturalitèr cõnectitur cum sua essentia, vt modus naturalis illius; non autem subsistentia increata. Tertia: nam subsistentia creata comproducitur ad productionem essentiæ; increata verò existit antecedentèr ad vnionem. Ex quo patet ad probationem consequentiæ; nã quod personalitas Uerbi sit simpliciter infinita, & actualissima in ratione terminandi, non facit, quod ab intrinsico adveniat naturæ creatæ; nec quod connectatur cum illa, vt modus naturalis illius, nec quod comproducatur ad illius productionem, quod habet subsistentia creata; consequentèr semper stat inter vtramque disparitas.

36 *Arguit 3.* Arguit tertio *num.* 58. si Pater, vel Spiritus Sanctus vnirentur humanitati a Verbo assumptæ, aut alteri naturæ creatæ, vnio ipsorum fieret sine vllo modo substantiali intermedio: ergo & vnio Verbi eũ humanitate assumpta, sine tali medio facta est. Patet consequẽtia ex paritate rationis. Antecedens verò sic ostenditur: si ad hoc vt Pater, & Spiritus Sanctus vnirentur naturæ creatæ, esset necessarius aliquis modus vnionis, vel ille esset eiusdem rationis cum eo, qui de facto coniungit Verbũ humanitati, vel diversæ; neutrum dici potest: ergo, &c.

Minor quo ad 1. part. prob. Minor quoad primam partem probatur: illi vnionum modi non possunt esse eiusdem rationis, qui habent terminos diversæ rationis, quasi specificæ; sed modi vnionum copulantes Patrem, & Spiritũ Sanctum naturæ creatę haberent terminos diversæ rationis ab eo, qui Verbum coniungit naturæ humanę: ergo non essent eiusdem rationis cum eo. Minor patet: quia, licèt personæ Divinæ sint eiusdem essentiæ, tamen in ratione personæ sunt quasi diversæ speciei, cum constituantur proprietatibus relativis diversæ rationis: vnio autem naturæ creatæ cum Divinitate, non fit immediatè in natura, sed in persona; vndè terminus primarius illius, & immediatus, est Divina persona. Probatur maior: modus vnionis debet à termino specificari: ergo cum diversitate quasi specifica terminorum non potest stare vnitas specifica vnionum; vndè propterea in sententia probabili, quæ ponit vnionem inter materiã, & formam; vnio illa, quæ coniungit corpori animam rationalem, est diversæ rationis ab illa, quæ vnit corpori animam equi.

Quoad 2. prob. Suadetur etiam minor principalis quoad secundam partem: in entibus absolutis diversæ speciei reperitur excessus, & defectus secundum perfectionem specificam, quia species se habent veluti numeri, vt docet Aristoteles; sed tam perfectus esse deberet vnus illorum modorum vnionis, qui coniungerent tres personas naturæ creatæ, quam alius: ergo non possent esse diversæ rationis specificæ. Maior patet: Minor etiam videtur certa; quia non esset, vndè inæqualitas eorum desumeretur, cum Divinæ personæ per ordinem, ad quas essentialitèr constituerentur, sint æquales in perfectione.

37 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem dico: quod ille modus esset eiusdem rationis cum eo, qui de facto coniungit Uerbum humanitati. Tum: quia essent relationes eiusdem generis, & prædicamenti; vnio enim hypostatica est relatio extrinsecus adveniens de prædicamento actionis, vel passionis, vt dicunt Scotistæ. Tum: quia licèt tres Divinæ personæ in ratione personæ, sint quasi diversæ speciei; tamen eodẽ modo terminarent vnionem, sicque in ratione termini essent eiusdem rationis. Tum: quia dato, quod Divinæ personalitates sint formalitèr infinitæ, vt volunt Thomistæ, sequitur, quod vniones propter infinitatem terminorum essent eiusdem perfectionis, æqualitatis, & rationis.

38 *Ad prob. minoris pro 1 parte.* Ad probationem minoris pro parte, qua negata manet, respondeo negando minorem: modi enim vnionũ

co-

copulantes Patrem, & Spiritum Sanctum naturæ creatæ in ratione termini essent eiusdem rationis, quia terminarent sub eadem ratione formali, licèt in ratione constitutivi principij sint diversæ rationis. Tum: quia eodē modo natura subsisteret in persona Patris, quo subsistit in persona Filij. Tum: quia vnio esset ratio vniendi naturam creatam cum persona Patris, vt persona est, & subsistentia præcisè; non verò in ratione talis personæ, seu Patris, aut Spiritus Sancti. Tum: quia quod resultaret ex illis extremis vnitis, esset Deus homo.

39 *Firmatur solutio.* Denique firmatur solutio ex doctrina Gonet, cuius est argumentum. nam iuxtà ipsum *tom. 1. de Visione*, visiones hominum, & Angelorum sunt eiusdem speciei, & rationis; quoniam intellectus Angeli, & intellectus humanus, licèt in ratione proprietatum distinguantur specie, in ratione potentiæ, & respectu visionis beatificæ sunt eiusdem rationis: ergo vnio, qua natura vniretur personæ Patris, & vnio, qua vnitur de facto personæ Filij, essent eiusdem rationis, quia personæ in ratione termini, & subtentantis naturam essent eiusdē rationis.

§. IV.

Cætera argumenta diluuntur, & explicatur: An actio productiva sit realitèr distincta ab vnitiva.

40 *Arguit 4.* ARguitur quarto, & procedit argumentum contra probationostram positam *num. 7.* contra quam, & aliqua argumenta procedent: nam Leo Papa *cap. 11. ad Iulianum*, & Fulgentius *lib. de Incarnat. & Gratia cap. 3.* dicunt: actionem productivam, & vnitivam humanitatis ita esse simul, vt videantur insinuare, non esse diversas: ergo actio productiva humanitatis, & illius cum Verbo vnitiva, non sunt realitèr distinctæ, & consequentèr non sunt termini realitèr distincti. *Respondeo.* Respondeo: Patres loqui de simultate temporis; non verò de identitate actionum; volunt enim contra aliquos Hæreticos: in eodem instanti temporis humanitatem esse productam, & vnitam, vt claret ex his verbis Fulgentij: *Non est igitur aliquod interval-lum temporis*, ex quo nihil contra nostram probationem.

41 *Arguitur 5* Arguitur quinto: eductio formæ ex materia, & vnio eiusdem cum ea, est eadem actio: ergo similitèr: actio productiva humanitatis, & illius vnitiva cum Verbo, est eadem actio. Respondeo primo negando antecedens, imò hoc dato. Respondeo secundo negando paritatem. Disparitas est: nam inter eductionem formæ ex materia, & vnionem cum ea, est connexio, sicque non repugnat fieri per eādem actionem; at inter productionē humanitatis, & vnionem cum Verbo, non est connexio, quare necessaria est actio distincta, sicut semper est necessaria actio distincta vnitiva gratiæ cum anima ab actione creativa eius, quia non est naturalis connexio inter gratiam creatam, & vnionem cum anima, sicut est connexio naturalis inter formam naturalem, & vnionem cum subiecto. *Duplex responsio.*

42 *Arguitur 6.* Arguitur sexto: si actio productiva humanitatis esset distincta ab vnitiva, B.V. Maria non esset vera mater Dei, nec concepisset Deum; sed hoc est falsum: ergo actio productiva humanitatis, & illius cum Verbo vnitiva non sunt realitèr distinctæ, & consequentèr non sunt termini realitèr distincti. Probatur maior: si actio productiva humanitatis esset distincta ab vnitiva, humanitas pro priori ad vnionem supponeretur producta, & existens: ergo eius generatio ad solā humanitatem terminaretur, & posteà actione Dei vniretur cū Verbo: ergo.

Respondeo Respondeo negando maiorem: ad cuius probationem distinguo antecedens: si actio productiva humanitatis esset distincta ab vnitiva, humanitas pro priori ad vnionem, prioritate naturæ, supponeretur producta concedo antecedens; prioritate temporis nego antecedens: & distinguo primum consequens: ad solam humanitatem terminaretur productivè tantum concedo consequentiam; productivè, & vnitivè nego consequentiam; ex quo nego secundam consequentiam; quia vt B. Virgo verè dicatur mater Dei, non requiritur, quod eius actio productiva humanitatis sit vnitiva, sed sufficit, quod in eodem instanti temporis, quo Virgo produ-

xit humanitatem, humanitas vniatur cum Verbo.

Claret solutio exemplis. Claret hoc exemplis. Primo: si in eodem instanti temporis, quo Beatissima Virgo produxit humanitatem, propria personalitas à Deo, vel ab alio producta, ipsi humanitati vniretur, Maria diceretur Mater puri hominis: ergo similiter: vt Beatissima Virgo verè dicatur Mater Dei, non requiritur, quod eius actio productiva humanitatis sit vnitiva, sed sufficit, quod in eodē instanti temporis, quo Virgo produxit humanitatem, humanitas vniatur cum Uerbo. Secundo: Mater naturalis generat hominem, licèt eius actione generativa, nec producatur anima, nec vniatur, sed à Deo in illo instanti, in quo organizatur corpus: ergo paritèr.

Claret etiã ab oppositio. Tertio, & est argumentum ab oppositio: vt homines crucifigentes Christum verè dicantur Dei homicidæ, non fuit necessarium, quòd destruerent vnionē humanitatis ad Verbum physicè actione, quia diluerunt vnionem corporis cum anima: ergo similiter ab oppositio: vt Beata Virgo sit Mater Dei, non requiritur, quod eius actio productiva humanitatis sit vnitiva illius cum Verbo, sed sufficit, quod in eodem instanti temporis humanitas illa vniatur. Ex hoc triplici exemplo retorque argumentum.

Retorque.

43 *Instabis.* Instabis: causans formam, & non causans vnionem formæ ad subiectū, nequit dici causa concreti resultantis ex subiecto, & forma: ergo si B. Virgo generans humanitatem non influxit in vnionem illius ad Verbum, nequit dici generans Deum, seu Mater Dei. Probatur antecedens primo: causans materiam si non causat vnionem materiæ cum forma, nequit dici causa compositi: ergo, &c. Secundo: causans albedinem, si non causat vnionē illius cum subiecto, non dicitur causa concreti albi: ergo paritèr: Tertio: Deus creans animam vi creationis tantum non dicitur creare hominem: ergo idem, quod priùs.

Antecedens prob. triplicitèr.

Respondeo. Respondeo distinguendo antecedens: causans formam, & non causans vnionem formæ, nec vi actionis causativæ formæ, nec vi alterius illam complentis, non dicitur causa concreti concedo antecedens; causans formam, & non causans vnionem vi actionis causativæ formæ præcisè; causans verò vnionem vi alterius actionis completivæ actionis causativæ, non dicitur causa concreti nego antecedens, & consequentiam. Itaque, etsi B. Virgo vi actionis productivæ humanitatis nō causaverit vnionem; tamen actio vnitiva fuit completiva actionis Uirginis, quia gessit vices actionis, qua ponenda erat propria personalitas, & sic quantum est ac se vnitiva erat propriæ personalitatis; & causa causans hac conditione, & si non causet vnionē formæ vi actionis productivæ, dicitur causa concreti.

Ad probationes anteced. respōdetur. Ex quo ad triplicem probationem antecedentis tripliciter respondeo. Primo: distinguendo antecedens, vt distinxi. Secundo: concesso antecedenti negando consequentiam; quia illæ actiones sunt de se vnitivæ formę cum subiecto; at actio Virginis non est de se vnitiva humanitatis ad Verbum; cæterum cum hoc stat, quod sit causa concreti ob rationem datam. Tertio: negando antecedens, & ratio est: quia causans formam actione vnitiva formæ cum subiecto, licèt non causet vnionem, diceretur causa concreti, v. g. si actio productiva caloris est de se vnitiva illius cum subiecto, causans calorem diceretur causa concreti calidi, etsi in illo instanti, in quo debebat vnire calorē cū subiecto non vniret, sed vniret aliud agens.

44 *Arguitur 7 Antecedens prob. 1.* Arguitur septimo: forma vnitur materiæ absque vnione realitèr ab illis distincta: ergo etiam humanitas Verbo. Probatur antecedens primo: materia se ipsa est potentia receptiva formæ, & forma se ipsa est actus informativus materiæ: ergo, &c. *Secundo.* Secundo: anima rationalis se ipsa vnitur materiæ absque vnione realitèr distincta: ergo paritèr. Probatur antecedens: nam vel illa vnio esset corporalis, vel spiritualis? Non primum; quia entitas corporea nequit recipi in subiecto spirituali. Non secundum; quia vel illa vnio educi debebat de potentia materiæ, vel debebat ab homine generari, quorum vtrumque repugnat entitati spirituali: ergo, &c. *Tertio.*

Probatur tertio antecedens supra positum: si materia, & forma vnirentur vnione ab ipsis realitèr distincta,

sic

non se haberent vt potentia, & actus inter se, sed vtraque se haberet vt potentia ad vnionem; sed hoc est falsum: ergo, &c. Probatur maior: nam quia partes lineæ vniuntur mediante puncto, ab illis realitèr distincto, non se habent inter se vt actus, & potentia, sed vt potentia ad punctum: ergo, &c. *Quarto.* Quarto: si materia, & forma vnirentur vnione realitèr ab illis distincta, vnio esset principium entis naturalis in facto esse, sicut privatio in fieri; sed hoc est falsum: ergo falsum est, quod vniantur tali vnione.

45 *Respond. ad argum. & ad 1. prob. antecedentis.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius primam probationem concedo antecedens, & nego consequentiam; quia ex antecedenti solum sequitur: quod materia non indigeat vnione, vt possit recipere, nec forma, vt possit informare; non verò quod illa non indigeant ad actu recipiendum, & informandum, vt claret in potentia productiva, quæ actione non indiget, vt possit producere; cæterum illa eget ad agendum; ex quo retorque argumentum. *Retorqueo.* Ad secundam probationem nego antecedens, ad cuius probationem dico: quod illa vnio esset spiritualis, educeretur de potentia animæ, in ipsaque subiectaretur. *Ad 2.*

Ad 3. Ad tertiam nego maiorem cum probatione, quia ratio, cur partes lineæ non se habent inter se, vt actus, & potentia, est, quia sunt eiusdem rationis, ideòque non est maior ratio, cur vna sit actus, quam alia, cuius oppositum in materia, & forma invenitur. *Ad 4.* Ad quartam respondeo primo negando maiorem; quia vnio solum est conditio. Secundo distinguendo maiorem: esset principium, habens distinctum modum principiandi à materia, & forma nego maiorem; indistinctum omitto maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Responsio sumittur *ex lib. 1. Physicorum.*

46 *Arguitur 8.* Arguitur octavo: materia, & forma immediatè vniuntur secundum Phylosophum 8. *Methaphysicæ textu* 15. ergo non indigent vnione. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: materia, & forma immediatè, vt *quod* vniuntur concedo antecedens; vt *quo* nego antecedens, & consequentiam; licèt enim materia, & forma immediatè vt *quod* vniantur; vniuntur tamen mediante vnione vt *quo*. Hoc claret in potentia productiva, quæ licèt sit immediata, indiget actione ad agendum, ex quo fiat retorsio. *Retorqueo.*

47 *Arguitur 9.* Arguitur nono: vnio se ipsa vnitur: ergo & humanitas Verbo. *Respondeo* Respondeo negando consequentiam; quia cum vnio sit ratio vniendi alia à se, est ratio vniendi se, quia iuxta commune axioma: *propter quod vnumquodque est tale, & illud magis*; quare ad vnionem non datur vnio, sicut ad actionem non datur actio; at humanitas, cum non sit ratio vniendi, indiget vnione, vt vniatur Verbo. Consonat solutio cum dictis *num.* 34.

48 *Arguitur 10.* Arguitur decimo: vt humanitas vniatur Verbo, sufficit simultanea existentia Verbi, humanitatis, & actionis vnitivæ: ergo modus intrinsicè in humanitate receptus, realitèr ab extremis distinctus, necessarius nō est. Probatur antecedens: posita actione vnitiva humanitatis ad Verbum necessario humanitas illi vnitur: ergo ad huiusmodi vnionem sufficit simultanea existentia Verbi, humanitatis, & actionis vnitivæ.

Respondetur. Respondeo negando antecedens, ad probationem distinguo antecedens: ex vi actionis vnitivæ efficienter concedo antecedens; ex vi actionis vnitivæ formalitèr nego antecedens, & consequentiam; sicut ista cōsequentia non tenet: *Posita actione calefactiva necessario existit calidum: ergo calidum sit per actionem calefactivam, vel per solam coexistentiam subiecti, & calefactionis absque aliqua forma intermedia.* Cuius cōsequētię defectus inde provenit, quod necessitas, vt calidum sit, existente actione calefactiva, non est ex vi actionis calefactivæ formalitèr, sed solum efficienter, quia nempè, calefactio actualis essentialitèr infert calorem, per quod non excluditur, sed potius infertur necessitas formæ, à calefactione distinctæ, per quam subiectum constituatur formalitèr calidum; ita in præsenti nos dicimus: posita actione vnitiva humanitatis ad Verbū, necessario vniri humanitatē Verbo, non per ipsam actionē vnitivā formalitèr,

sed efficienter, quia efficienter causat modum formaliter vnientē humanitatem, per quod non excluditur, sed potius includitur, vel infertur necessitas modi distincti ab humanitate, & actione vnitiva ad præstandum prædictum effectum formaliter.

§. V.

Resolvitur secunda pars præsentis disputationis.

49 CIrca secundam partem, in qua examinandum proposuimus, quid sit ista vnio? variæ sunt Theologorum sententiæ, sed vt ad nostrum facit intentū, duplex versatur opposita sententia. Prima docet: esse modum substantialem supernaturalem respectivū transcendentaliter Verbi, vt sustentātis humanitatem. Sic. Ill. God. *num.* 70.

1. *Sententia.*

Ill. Godoy.

Secunda, & vera sentētia docet: vnionem istam esse accidens supernaturale, quod est relatio extrinsecus adveniens, pertinens ad prædicamentum passionis. Sic Scotus *in 3 dist. 1. quæst. 1. §. ad 1. dico. Et in 4. dist. 12. quæst. 1. §. ad quæst. ℣. siquæras*, & ego cum ipso.

2. *Sententia.*

Scotus.

50 Pro cuius explicatione dicendum est primo: *vnionem humanitatis ad Verbū non esse modum substantialem.* Hæc conclusio est contra Ill. God. *cit.* Est tamen Scoti *cit.* illamque videtur esse Aristotelis, qui 2. *de Anima textu* 2. & 8. *methaphysicæ text.* 15. enumerans entitates substantiales, nullā mentionē fecit de vnione. Ratione autem probatur primo: nam vel ista vnio ponitur entitas substantialis ad fundandam relationē novam prædicamentalem vnionis; vel ad terminandam actionem vnitivam, quæ est actio substantialis, ideoq̄ terminum substantialē habere debet; vel denique, vt salvetur, esse modū substātialē, substantialiter vnientē extrema; his enim de causis poni solet entitas substantialis; atqui nullum ex his est sufficiens motivum, ad asserēdū, vnionem esse entitatem substantialē: ergo vnio humanitatis ad Verbum non est substantialis. Maior, & consequentia tenent. Minor vero per singulas partes est probanda.

1. *Conclusio.*

Prob. 1. ratione.

51 Probatur prima pars minoris: vnio non fundat relationem prædicamentalē vnionis: ergo vnio non debet poni entitas substantialis, ad fundandam relationem novam prædicamentalē vnionis. Probatur antecedens primo: vnio inter materiā, & formā non fundat relationē prædicamentalē vnionis: ergo, &c. Consequentia patet; nā eadem est ratio quantum ad hoc de vnione materię cū forma, ac de vnione humanitatis cum Verbo. Antecedens vero probatur: ratio proxima fundandi vnionem relativā inter materiam, & formam, ex parte materiæ est per se potentia, & ex parte formæ est per se actus: ergo vnio inter materiam, & formam non fundat relationem prædicamentalem vnionis. Cosequentia est legitima. Antecedens est Phylosophi loco *cit.* vbi assignans rationem per se vnionis materię, & formæ, expræsè ait: quia hæc est per se actus, & illa per se potentia. Probatur secundo suprà positum antecedens: vnio non est relatio intrinsecus adveniens, quæ consequatur entitatem alterius, sed est extrinsecus adveniens, per se producibilis per veram actionem, & per verum motum adquisibilis (vt infra dicemus) ergo, &c.

Probat. 1. pars minoris.

52 Secunda pars minoris, scilicèt, quod non debeat poni entitas substantialis ad terminandam actionem vnitivam substantialem, probatur: actio vnitiva non producit terminum substantialem: ergo vnio non debet poni entitas substantialis ad terminandam actionem vnitivam substantialē. Probatur antecedens: si per actionem vnitivā produceretur terminus substantialis, sequeretur, quod materia prius, quam per formam, mutaretur substantialiter per vnionem, si vnio ponatur in materia; & si ponatur in forma, sequeretur, quod forma sit subiectum mutationis substantialis; sed vtrumque est falsum, & contra omnes Phylosophos sentientes: materiam non mutari substantialiter, nisi per formam; & formam non esse subiectum mutationis substantialis: ergo, &c.

Probatur secunda.

53 Probatur sequela quoad vtramque partem: nam vnio per se producitur per veram actionem, distinctam ab actione productiva materiæ, & formæ: ergo si in materia recipitur, prius, quam per formam, mutabitur substantialiter materia, & si in forma recipitur, forma erit subiectum mu-

Probat. sequela.

ta-

tationis subſtantialis, ex quo vlterius ſequitur, quod cum materia ſubſtantialiter mutetur per formam, in qualibet mutatione vnius in aliud duplex erit generatio ſubſtantialis, & duplex etiam corruptio, vna, ſcilicèt, vnionis, & altera formæ. Antecedens eſt ſententia III. God. nam ſi iuxta ipſum vnio humanitatis ad Verbum per ſe producitur per veram actionem, diſtinctam ab actione productiva humanitatis, multo melius vnio materiæ cum forma. Imò eſt, & debet eſſe ſententia omnium Thomiſtarum; omnes namque in generatione hominis materiam primam, & animam rationalem, quæ eſt forma ſubſtantialis, quā vnicè cognoſcunt, dicunt à Deo produci; vnionem verò ab homine.

54 *3. Pars probat. 1.* Tertia pars minoris, ſcilicèt, quod vnio non debet poni entitas ſubſtantialis, vt ſit vnio ſubſtantialis, ſubſtantialiter vniens extrema, probatur primo: vnio non dicitur ſubſtantialis, quia formaliter ſumpta, & entitativè ſit ſubſtantia, aut modus ſubſtantialis: ergo, &c. *Probatur antecedens duplici paritate.* Probatur antecedens duplici paritate, quarum prima eſt: actio productiva termini ſubſtantialis non dicitur ſubſtantialis, quia formaliter ſumpta, & entitativè ſit ſubſtantia, aut modus ſubſtantialis: ergo pariter. Secunda eſt: & ſi relationes identitatis, & diſtinctionis idētificent, & diſtinguant ſubſtantialiter extrema, non dicuntur ſubſtantiales, quia formaliter ſumptæ, & entitativè ſint ſubſtantiæ, aut modi ſubſtantiales: ergo ſimiliter.

55 *Efficatia paritatum oſtenditur.* Iſtæ paritates efficaces videntur, & eorum efficatia oſtenditur: nam ſicut vnio extremorum ſubſtantialium vnit extrema ſubſtantialia, ita actio productiva termini ſubſtantialis producit terminum ſubſtantialem, & relationes identitatis, & diſtinctionis identificant, & diſtinguunt ſubſtantialia extrema; atqui non ob hoc actio productiva ſubſtantiæ, & relationes identitatis, & diſtinctionis formaliter ſumptæ, & entitativè ſunt ſubſtantiæ, aut modi ſubſtantiales: ergo non ob hoc, quod vnio vniat extrema ſubſtantialia, dicetur formaliter, aut entitativè ſubſtantia, aut modus ſubſtantialis.

56 Vndè ſicut producere ſubſtantiam, non tollit ab actione productiva, quod entitativè ſit accidens; nec identificare, aut diſtinguere ſubſtantias, tollit à relationibus identitatis, & diſtinctionis, quod entitativè ſint accidentia prædicamentalia; ita vnire extrema, quæ ſint ſubſtantiæ, non tollit ab vnione, quod ſit accidens, & quod ſit accidens prædicamentale. Et ſicut actio productiva ſubſtantiæ (idemque de relationibus identitatis, & diſtinctionis) extrinſicè tantum, & denominativè dicitur ſubſtantialis, denominatione ſumpta à termino producto, qui ſubſtantia eſt; ita vnio dicitur extrinſicè tantum, & denominativè ſubſtantialis, denominatione ſumpta ab extremis, quæ ſunt ſubſtantiæ.

57 *Probat. 2. pars 3. & dicta confirm.* Probatur ſecundo prædicta tertia pars minoris, & dicta confirmantur: vnio non dicitur ſubſtantialis, quia per modum ſubſtantialem creatum facta ſit, ſed quia eſt ad ſubſtantiam in ratione ſubſtantiæ: ergo vnio non debet poni entitas ſubſtantialis, vt ſit vnio ſubſtantialis, ſubſtantialiter vniens extrema. Probatur antecedens triplici paritate. Prima eſt: vnio non dicitur accidentalis, quia ſit accidens, ſed quia eſt ad accidens, vel ad ſubſtantiam ſub aliqua ratione accidentali: ergo ſimiliter. Secunda eſt: nam vnio non dicitur hypoſtatica, vel naturalis, quia eſt per hypoſtaſim, vel per naturam, ſed quia eſt ad hypoſtaſim, vel ad naturam: ergo pariter. Tertia eſt: vnio non dicitur corporalis, vel ſpiritualis, quia fit per formam corporalem, aut ſpiritualem, ſed quia eſt ad formam corpoream, vel ſpiritualem: ergo ſimiliter.

58 *2. Concluſio.* Secundo eſt dicendum: *vnionem humanitatis ad Verbum non eſſe reſpectum tranſcendentalis Verbi, vt ſuſtentantis humanitatem.* Hæc concluſio eſt etiam contra III. Godoy *num.* 70. eſt tamen Scoti *cit.* & ante probationem duplex differentia inter relationes trāſcendentales, & prædicamentales notanda eſt. Primo differunt in hoc, quod relatio tranſcendentalis realiter identificatur cum extremo, cuius eſt relatio; relatio autem prædicamentalis realiter ab extremis diſtinguitur. Secundo differunt in hoc;

Nota.

quod relatio transcendentalis non potest adesse, & abesse, absque corruptione extremi, cuius fuerit talis relatio, sed cum ipso incipit, & desinit; relatio verò prædicamentalis potest adesse, & abesse absque extremorum corruptione. Vtraque differentia patet in relatione dependentiæ, quam dicit creatura ad Deum, quæ transcendentalis est, & in relatione similitudinis, quam Petrus dicit ad Paulum in albedine, quæ relatio prædicamentalis est. Transcendentalis enim realiter identificatur cũ creatura, cũ ipsaque incipit, & desinit; prædicamentalis verò realiter distinguitur a Petro, & Paulo, & potest adesse, & abesse, absq; illorũ corruptione.

59 *Probatur conclusio.*

Quo supposito facilitèr, & brevitèr probatur conclusio: relatio transcendentalis realiter identificatur cũ extremo, cuius est relatio, cũ ipsoq; incipit, & desinit, nequitq; adesse, & abesse absque extremi corruptione; atqui vnio Verbi, vt sustentantis humanitatẽ, nõ identificatur realiter cũ Verbo, nec cũ ipso incepit, & potest adesse, & abesse absque Verbi corruptione, alioquin ab æterno Verbũ esset vnitum humanitati, vnioneque deficiente deficeret Verbũ, quorum vtrũque est falsum, & contra fidem: ergo vnio humanitatis ad Verbum non est relatio transcendentalis Verbi, vt sustentantis humanitatem.

60 3. *Conclusio.*

Dicendum est tertio: vnionem humanitatis ad Verbũ esse accidens supernaturale, quod est relatio extrinsecus adveniens, pertinens ad prędicamentum passionis. Sic Scotus *cit.* Estque contra Ill. God. *n.* 62. & 70. Et licèt prima pars conclusionis, scilicèt, esse accidens, satis expræssè adducatur ad Scoto *in 4. dist. 12. quæst. 1. § ad quæst.* dicente: *Omnis autem vnio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecus adveniens; omnis autem talis respectus est illi, cui inest, accidens per accidens*, satisque constet ex dictis; probatur tamen primo ratione (meo videri) efficaci: omne id, quod advenit subiecto extra eius essentiam, vt quid realiter ab illa distinctum, & separabile, est accidens; sed vnio advenit humanitati extra eius essentiã, vt quid realiter distinctum, & separabile: ergo vnio humanitatis ad Verbũ est accidens. Maior est generaliter vera. Minor pro secunda parte est opinio Ill. God. vt vidimus ex dictis pro prima parte disputationis; sentit namque nobiscũ: vnionem esse quid realiter distinctũ à Verbo, & humanitate, ab ipsaq; separabile. Pro prima parte est evidens; nemo namque vcusque dixit, vnionem esse essentiã humanitatis. Consequentia legitima apparet.

1. *Pars probatur* 1.

61 *Prob. 2. ad hominẽ cõtra Ill. Godoy.*

Probatur secundo destruendo fundamentum Ill. God. ad hominem cõtra ipsum: ideò vnio humanitatis ad Verbum nõ esset accidens, quia essentialiter includitur in composito substantiali; sed hoc non obest, vt sit accidens: ergo vnio humanitatis ad Verbum est accidens. Maior est Ill. God. *n.* 70. Minor verò probatur: non repugnat accidens essentialiter includi in cõposito substantiali: ergo quod vnio humanitatis ad Verbum essentialiter includatur in composito substantiali, nõ obest, vt sit accidens. Probatur antecedens: corpus in viventibus est materia prima cum formis accidentalibus; sed hoc corpus essentialiter includitur in composito substãtiali vivente: ergo, &c. Consequentia est legitima. Minor notoria: nam corpus est pars essentialis compositi substantialis viventis, & consequentèr essentialiter in illo includum. Maior negari nequit ab Ill. God. est namque opinio generalis omniũ Thomistarũ.

62 *Dices pro ipso.*

Sed dices pro Ill. God. corpus non est pars essentialis compositi viventis, secundum quod dicit accidentia; sed secundum quod continet materiã primam tantum. Contra: corpus secũdũ quod continet accidentia est pars essentialis compositi viventis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: corpus, secũdum quod formalitèr est corpus, est pars essentialis compositi viventis; sed formalitèr nõ est corpus secundũ materiã primã tantum: ergo, &c. Probatur maior: ita se habet corpus, formalitèr vt corpus, respectu compositi viventis, sicut materia prima respectu compositi non viventis; sed materia prima est pars compositi non viventis: ergo, &c.

Contra.

63 2. *Pars cõclus. probatur* 1.

Secunda pars conclusionis, scilicèt, quod vnio humanitatis ad Verbum sit supernaturalis, conceditur ab Ill. Godoy *num.* 70. asserente: quod nulli Theologorum potest esse dubium,

id-

idque probat hac ratione: vnio humanitatis ad Verbum est suprà debitum omnis naturæ creatę, & creabilis, cùm namque cuivis naturæ creabili subsistentia creata sibi propria debeatur, nulli naturæ creabili potest esse debita subsistentia increata, & consequentèr nec vnio, quæ essentialitèr est connexa cum illa; sed in hoc excessu ad exigentiam omnis naturæ creabilis consistit supernaturalitas entis, vel saltim ex illo probatur: ergo modus iste vnionis est supernaturalis.

Secundo. Probatur secundo: quod est Deo connaturale, vt proprietas illius, nequit esse cōnaturale creaturę; sed personari personalitate Verbi est Deo connaturale, vt proprietas illius: ergo nequit esse cōnaturale creaturæ: ergo vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis. Probatur tertio: quod est cōnaturale creaturæ, est illi debitum; sed vnio hypostatica nulli creaturæ est debita: ergo, &c. Nec dicas: quod vnio hypostatica vocatur naturalis à Concilio Ephesino, & à Pluribus Patribus. Nam vocatur naturalis, non vt opponitur supernaturali; sed vt opponitur apparenti, quod idē est, ac eam appellare verā & realē; nō verò fictā, apparentē, qualē ponebant Manichęi, cotra quos locūtur Patres, & Cōcilia.

Tertio.

64 *3. Pars probatur.* Tertia pars conclusiones, scilicèt, quod vnio humanitatis ad Verbū sit relatio extrinsecus adveniens, claret ex verbis Scoti relatis *num.* 60. & probatur: per Incarnationē aliquid producitur, scilicèt, vnio, vt habet Ill. Godoy; atqui vnio non est quid absolutum, quia non à se, sed ad aliud est: ergo est relatio. Tunc sic; sed non est relatio transcendentalis, vt probatum manet *num.* 59. ergo est relatio prædicamentalis. Sumo iterum; sed nō est relatio intrinsecus adveniens: ergo est relatio extrinsecus adveniens. Consequentia hæc patet à sufficienti partium enumeratione. Sumpta verò probatur: relatio intrinsecus adveniens non producitur, sed resultat positis extremis in rerum natura; sed vnio humanitatis ad Verbum non resultat positis in rerum natura Verbo, & humanitate: ergo vnio humanitatis ad Verbum non est relatio intrinsecus adveniens. Probatur minor primo: vnio humanitatis ad Verbum producitur; sed quod producitur non resultat: ergo, &c. Secundo: possunt in rerum natura esse Verbum, & humanitas, quin sint vnita: ergo, &c.

65 *4. Pars probatur.* Quod denique pertineat ad prædicamentum passionis, quod est quarta pars nostrę conclusionis, expręsse docetur ab Scoto *in 3. dist. 7. quæst. 2.* dicente: *Respondeo, quod hic fuit vna factio realis activa totius Trinitatis, cui correspondebat factio passiva realis, qua, scilicèt, homo factus est Deus, quæ fuit vnio passiva naturæ humanæ ad Verbum, & hæc passio fuit in natura humana, & terminus eius erat Verbum.* Probatur etiam ratione: nam tota Trinitas per actionem Incarnativam transmutat humanitatem, producendo vnionem, per quam Verbi personalitate terminatur: ergo est in humanitate relatio transmutati ad transmutans, quæ relatio est prædicamenti passionis.

§. VI.

Occurritur argumentis Ill. Godoy.

66 *Arguit cōtra 1. partem.* COntra primam partem nostræ conclusionis arguit Ill. Godoy *num.* 70. probando: vnionem esse modum substantialem, & quod sit modus, sic probat: nam est quid incompletum, humanitati affixum essentialitèr, in quo ratio modi consistit. Quod autem substantialis sit, sic probat: nihil non substantiale potest esse de essentia substantialis compositi; sed Christus substantiale compositum est, & de illius essentia vnio: ergo est modus substantialis. *Respōdetur* Respondeo concedendo vnionem esse modum modo intellecto ab Ill. Godoy, & negando esse substantialem, ad cuius probationem concessa maiori, nego minorem; quia vnio non est de essentia compositi; sed solum est conditio simpliciter necessaria, tàm ad eius constitutionem, quàm ad illius conservationem, vt tenet Scotus *in 3. distinct. 2. quæst. 2.* cum quo id in Physica docuimus.

67 *Non valet si pro illo dicas.* Nec valet, si pro Ill. Godoy dicas, quod vnio humanitatis ad Verbum vocatur substantialis. Non, inquam, valet, quia hoc facile solvitur distinctione sequenti; vnio humanitatis ad Verbum vocatur substantialis, sumpta denominatione ab extremis, concedo antecedens; quia in se sit

substantia nego; vel distinguo aliter; extrinsicè concedo; intrinsicè nego. Itaque dicitur substantialis, quia vnit extrema substantialia, quod est esse substantiale extrinsicè; intrinsicè verò accidens, sicut actio generativa substantiæ appellatur substantialis extrinsicè; tamen intrinsicè est accidens, & vnio materiæ, & formæ, quæ substantialis vocatur extrinsicè; intrinsicè verò est accidens.

68 *Arguitur 2.* III. Godoy aliud argumentum non adducit contra primam partem nostræ conclusionis; pro ipso tamen argumentari possumus secundo: nam vnio debet esse proportionata composito: ergo compositum substantiale, quale est Christus, exigit vnionem, quæ sit modus de genere substantiæ: ergo vnio humanitatis ad Verbum non est accidens. *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti, negando consequentiam; quia vnio, quæ exigitur ad compositum substantiale, non dicitur substantialis, quia formalitèr importet substantiam, vel modum de genere substantiæ, sed quia intercedit inter substantias, sub rationibus formalibus substantialibus, vt demonstratum habemus *num.* 54. & sequentibus.

69 *Arguitur 3.* Objicies tertio: vnio humanitatis ad Verbum est accidens iuxta nostram opinionem: ergo Incarnatio, saltim vt productio est, est actio accidentalis. Infero amplius: ergo vnio humanitatis cum Verbo erit accidentalis, & consequentèr humanitas, & Verbum accidentalitèr vniuntur, quod sapit hæresim Nestorij. Probatur consequentia; causa formalis non producit effectum perfectiorem ipsa; sed substantialitèr vnire est effectus perfectior, quam vnire accidentalitèr: ergo cum vnio sit accidens, & formalitèr vniat, nequit substantialitèr vnire: ergo, &c.

70 *Respondeo ad 1.* Respondeo ad argumentum concesso antecedenti, negando primam consequentiam; quia actio non denominatur substantialis, vel accidentalis ab ipsius entitate, sed vel à termino totali, vt diximus *num.* 56. vel à formis, quibus terminus totalis cõstituitur. Cum ergo in præsenti terminus totalis sit Christus, & formæ, quibus constituitur, sint Divinitas, & humanitas, quæ omnia substantiæ sunt, ideò non accidentalis, sed substantialis actio dicitur Incarnatio, adhuc, vt productio est. Hæc solutio claret ex dictis à *num.* 54. & clarebit solutione sequenti.

Nego etiam secundam consequentiam; quia vnio accidentalitèr vnit, quando extrema vniuntur sub ratione aliqua accidentali; non autem quando vniuntur sub ratione substantiali; non enim vnio dicitur substantialis, vel accidentalis, quia sit substantia, vel accidens; nam semper est accidens, sed quia est ad substantiam, vel ad accidens, aut ad substantiam sub ratione accidentali, vt paritatibus manet firmatum *n.* 57. Ad probationem concessa maiori, distinguo minorem: vnire substantialitèr est effectus perfectior, quam vnire accidentalitèr, perfectione proveniente ab extremis concedo minorem; proveniente ab vnione nego minorem, & consequentiam. Effectus itaque formalis vnionis est præcisè vnire; vnire autem substantialitèr, vel accidentalitèr provenit solum ab extremis, vt toties est repetitum. 71 *Ad 2.*

Vel respondeo negando, vt negavi consequentiam, & aliam rationem negationis assignando: nam quod aliqua substantialitèr, vel accidentalitèr vniantur, non est sumendum ex vinculo *quo*, sed ex vinculo *in quo*, quod in nostro casu est persona composita, quæ est substantia, & ita extrema dicuntur vnita substantialitèr. Quod colligo primo: quia Patres, & Concilium, vt reijcerent Nestorium, solum recurrerunt ad vnitatem personæ, quod erat vinculum *in quo*, & non meminerunt vinculi *quo*. Secundo: quia Petrus, & Paulus sunt idem substantialitèr, quia vniuntur in substantia, etiam si vinculum, quo dicuntur vnita, sit relatio identitatis, quæ est accidens. Nec ex eo, quod relatio accidens sit, colligitur, quod accidentalitèr vniantur extrema, sed tantum quod accidente vniantur. Solutio consonat cum dictis *num.* 3. 72 *Aliter respondet.*

Contra tertiam partem nostræ conclusionis arguit primo III. God. *n.* 62. nam relatio prædicamentalis, in hoc præcipuè à transcendentali distin- 73 *Arguit 1. III. God. cõtra 3. partẽ concl.*

gui-

guitur, quod prædicamentalis respicit terminum, vt purum terminum; transcendentalis verò non ita, sed vt causam, vel effectum; sed humanitas mediante vnione dependet à Verbo, tanquam à sustentante, illudque respicit, tanquam à quo in existendo, dependet: ergo vnio ista relatio prædicamentalis non est.

Respondeo. Respondeo ad argumentum distinguendo secundam partem maioris: relatio transcendentalis respicit terminum, vt causam, vel effectum, cum qua, vel cum quo est realiter identificata omitto maiorem; cum qua, vel cum quo non est realiter identificata nego maiorem; distinguoque minorem: sed humanitas mediante vnione dependet à Verbo, & vnio realiter identificatur cum Uerbo nego minorem; realiter non identificatur cum illo concedo minorem, & nego consequentiam; quia præcipua differentia relationis prędicamentalis à transcendentali stat in hoc, quod hæc realiter identificatur cum extremo, cuius est relatio; prædicamentalis verò realiter ab extremis distinguitur, vt diximus *num.* 58.

74 *Arguit 2.* Arguit secundo contra eandem partem conclusionis *num.* 63. de essentia compositi substantialis accidens prædicamentale esse nequit; sed relatio prædicamentalis est de prædicamento accidentis: ergo esse nequit de essentia Christi, quatenus compositi ex Verbo, & humanitate, qua ratione est substantiale compositum; cumque de essentia illius, provt sic, sit vnio humanitatis ad Verbum, non potest huiuscemodi vnio in relatione prædicamentali consistere. *Respondeo.* Respondeo concesso syllogismo, negando, quod Ill. God. subinfert, scilicèt, quod vnio humanitatis ad Verbum sit de essentia Christi, quatenus compositi ex Uerbo, & humanitate, quod negatum habemus *num.* 66.

75 *Arguit 3.* Arguit tertio contra eandem partem conclusionis *num.* 70. vnio namque essentialiter nectit vnum extremum cum alio: ergo respicit vnum vt subiectum, & alterum saltim vt terminum; sed vnio humanitatis ad Verbum est in humanitate subiectivè; in Verbo autem, vt in subiecto esse nequit: ergo respicit Uerbum, vt terminum; cumque non vt terminu purum, sed vt terminum dependentiæ, sequitur, respicere Verbum respectu transcendentali, seu esse respectum transcendentalem ad Verbū. Respondeo concesso antecedenti cū consequentia, concedo etiam minorem cum consequentia, & distinguo quod subinfert distinctione data *num.* 73. alia enim solutione non indiget. *Respondeo.*

76 *Arguitur 4.* Cæterum, licèt nullum, præter hæc, argumentum adducat Ill. God. contra tertiam partem nostræ conclusionis; possumus tamen contra ipsam argumētari; vndè arguitur quarto: ad relationem prædicamentalem non datur per se motus, nec actio; sed vnio humanitatis ad Verbū propria actione producitur: ergo vnio humanitatis ad Verbū non est relatio prædicamentalis. Consequentia est legitima. Minor est à nobis concessa. Maior autem est Arist. 5. Physicorum *cap.* 1. & 2. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: ad relationem prædicamentalem intrinsicus advenientem non datur per se motus, nec actio concedo maiorem; ad relationem prædicamētalem extrinsecus advenientem nego maiorem, & concessa minori, distinguo similiter consequens; nam differentia inter has relationes est, quod ad intrinsecus advenientem non datur per se motus; benè verò ad relationem extrinsecus advenientem, vt in logica dicitur.

77 *Arguitur 5.* Arguitur quinto: omnis relatio prædicamentalis fundatur suprà vnum, vel multa, aut super actionem, & passionem, aut super mensuram, & mensurabile ex Philosopho 5. Methaph. *text.* 20. sed vnio humanitatis ad Verbum in nullo istorum fundatur, vt patet per omnia discurrendo: ergo vnio humanitatis ad Verbum non est relatio prædicamentalis. *Respondeo 1.* Respondeo primo distinguendo maiorem: omnis relatio prædicamentalis intrinsecus adveniens fundatur suprà vnum, vel multa, aut super actionem, & passionem, aut super mensuram, & mensurabile concedo maiorem; extrinsecus adveniens nego maiorem, & concessa minori distinguo similiter consequens. *Secundo.* Respondeo secundo aliter distinguendo maiorem: omnis relatio prædicamentalis fundatur suprà

vnum,

vnum, vel multa, aut super mensuram, & mensurabile, aut super actionem, & passionem, præcisè nego maiorem; suprà illa, aut suprà potentiam informativam formæ, & potentiam passivam materiæ concedo maiorem, & nego minorem; quia vnio humanitatis ad Verbum fundatur suprà potentiam passivam humanitatis, ideoque diximus n. 65. hanc vnionem pertinere ad prædicamentũ passionis.

78 *Arguitur contra 4. partem.*

Contra quartam partẽ nostræ conclusionis nullum argumentum adducit Ill. Godoy; possumus tamen contra illam sic argumentari: vnio humanitatis ad Verbum est terminus actionis, nempè, incarnationis; sed passio non est terminus actionis; nam terminus actionis est subiectum transmutatum: ergo vnio non est passio.

Respondeo.

Respondeo distinguendo maiorem: vnio humanitatis ad Uerbum est terminus actionis producentis ad productum concedo maiorem; est terminus actionis transmutantis ad transmutatum nego maiorem; distinguoque minorem: passio non est terminus actionis producentis ad productum nego minorem; transmutantis ad transmutatum concedo minorem, & nego consequentiam.

79 *Explicatur*

Explicatur solutio; in calido enim ab igne producto est duplex relatio inter alias. Una est ignis producentis ad calidum productum, & est intrinsecus adveniens, posterior natura ipso calido; nam resultat ex termino, & fundamento. Altera est transmutati, scilicèt, subiecti, v. g. ligni, ad ignem transmutantem, vt efficientem, vel ad calorem, vt causam formalem, & hæc relatio est passio, & extrinsecus adveniens, & prior natura ipso calido, & dicitur vinculum, quo formaliter subiectum vnitur calori. Ita in persona composita Christi, in duabus, & ex duabus naturis est duplex relatio: vna producti ad producens, quam dicit Christus, vel vnio ad totam Trinitatem, vt hæc est intrinsecus adveniens, posterior natura vnione, & Christo. Altera est transmutans, per quam humanitas, quæ est veluti subiectum, refertur ad Trinitatem, vt causam efficientem transmutationis, & ad Verbum, vt ad terminum extremum, quæ relatio est extrinsecus adveniens, & prior Christo, persona composita, & est relatio prædicamenti passionis, & est vinculum quo humanitas denominatur Verbo vnita.

§. VII.

Tertia pars disputationis resolvitur.

80 *Apperitur difficultas.*

TErtium, quod examinandum in hac disputatione proposuimus, est, quotuplex sit vnio inter humanitatem, & Verbum constituenda, an scilicèt, vna tantum, per quam humanitas Verbo vniatur, & Uerbum humanitati; sicut multi probabiliter cẽsent, ex vi vnius simplicis vnionis materiam vniri formæ, & formam vniri materiæ; an vero, sicut alij existimant, materiam vniri formæ per vnum modum vnionis, & per alium formam materiæ: ita inter Verbum, & humanitatem contingat, quod, nempè, Verbum per vnionem sibi propria vniatur humanitati, & hæc Verbo per vnionem aliam distinctam vniatur?

81 *Nota.*

Cæterum maximè notanda est differentia in vnione hypostatica, ac in vnione compositi substantialis; quia in composito substantiali, nec ex parte materiæ, nec ex parte formæ repugnat realis vnio, realiter distincta ab extremis, & in quacumque inhærens; at in Christo ex parte Uerbi repugnat vnio realis inhærens, & in ipso recepta, ne dicatur, Verbum intrinsicè mutari, vti mutatur humanitas hac ratione ex dictis *numer. 18. & seq.* Hoc notato.

82 *Quod certũ est supponitur.*

Certum, & indubitatum est: non dari ex parte Verbi vnionem creatam realiter ab illo distinctam, & in illo intrinsicè receptam, nec in hoc aliquis Theologorum potest dissentire; si namque Verbo in tempore adveniret modus intrinsecus realis realiter ab illo distinctus, & in Uerbo receptus, absque dubio intrinsicè mutaretur, cum mutatio intrinseca sit transitus de non esse intrinsico ad esse intrinsecum in ipso receptum. Non ergo de vnione intrinseca Verbo realiter ab illo distincta, procedit difficultas, sed de vnione increata indistincta realiter à Verbo, an, scilicèt, Verbum vniatur humanitati, non solum in vi vnionis se tenentis ex parte humanitatis, sed etiam se ipso per pro-

pri-

priam entitatem, vt gerentem munus vnionis humanitati intrinsicè vniatur.

83 *1. Sententia. Ill. Godoy.* In hac difficultate duplicem ex diametro oppositam reperio sententiã. Prima affirmat: duplicem esse vnionem realem. Sic Ill. Godoy *num.* 85. asserens: Uerbum vniri humanitati intrinsicè se ipso per propriam entitatem, vt gerentem munus vnionis; ac proindè dari ex parte Verbi vnionem distinctam realitèr ab illa, per quam humanitas ipsi vnitur. Secunda, & verior sententia negat: duplicem esse vnionem realem. Sic Scotus *in 3. cit.* asserens: vnicam esse vnionem realem subiectatam in natura humana, & terminatã ad Verbum, ex parteque Verbi esse vnionem rationis terminatam ad humanitatẽ, ad modũ, quo ponuntur relationes reales in creaturis ad Deũ, & rationis in Deo ad creaturas.

2. Sententia. Scotus.

84 *Conclusio.* Hæc est nostra conclusio, ante cuius probationem declaranda est quædã, & magna inconsequentia, quam (ni fallor) committit Ill. God. in hac disputatione; ipse namque *numer.* 41. sic contra se arguit: personalitas creata se ipsa vnitur naturæ propriæ absque modo realitèr superaddito: ergo etiã personalitas Divina absque modo aliquo realitèr ab extremis distincto vnitur humanitati. Ad quod argumẽtum respondet *num.* 45. *distinguendo antecedens: subsistentia vnitur se ipsa absque modo realitèr superaddito, illam subiectivè vniente transeat antecedens; absque modo realitèr superaddito vniente naturam subiectivè ad subsistentiam terminativè se habentem negat antecedens.*

85 *In consequẽtia Ill. Godoy probatur.* Ex quo inconsequentiam probo: personalitas creata est intrinsicè vnita naturæ per terminationem vnionis in natura subiectatæ iuxta ipsum: ergo sufficit vnica vnio subiectata in vno extremo, & ad alterum terminata, vt vtrumque sit intrinsicè vnitum. Atqui in præsenti asserit: non sufficere vnionem in humanitate subiectatam, & ad Uerbum terminatam, vt Uerbum dicatur intrinsicè vnitum, vt ex suo claret fundamento: ergo inconsequentèr procedit.

86 *Prob. 1. eõclus. ad hominem contra Ill. Godoy.* Ex hoc probatur primo conclusio ad hominem contra Ill. God. personalitas creata est intrinsicè vnita naturæ per solam terminationem vnionis in natura subiectatæ: ergo personalitas increata erit sic vnita humanitati: ergo Uerbum non vnitur humanitati intrinsicè per suam entitatem, gerentem munus vnionis. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem probatur: nam si personalitas creata est intrinsicè vnita naturæ per solam terminationem vnionis in natura subiectatæ, multo melius sic erit vnita personalitas increata, quæ in omni linea est infinita, & actus purus, vt habet Ill. God. *num.* 91. ergo, &c.

87 *Si pro ipso dicas. Contra.* Si fortè aliquis dicat pro ipso: personalitatem creatam vniri naturæ per propriam etiam entitatem, vt personalitas increata. Contra: ideò personalitas increata se ipsa per propriam entitatem vnitur humanitati, quia est infinita in linea terminandi; sed personalitas creata infinita non est: ergo nequit personalitas creata vniri naturæ propriæ per suam entitatem, gerentem munus vnionis. Minor, & consequentia tenent. Maior verò est Ill. Godoy *num.* 91.

88 *Prob. 2. concl.* Probatur secundo conclusio: ex opinione Ill. Godoy sequitur, quod Uerbum esset intrinsicè vnitum humanitati, deficiente vnione creata ex parte humanitatis, & quod humanitas esset vnita intrinsicè Verbo absque vnione ex parte ipsius humanitatis; sed hoc est falsum: ergo Verbum non vnitur humanitati per vnionem realitèr distinctam ab vnione humanitatis. Consequentia est legitima. Minor constat ex resolutione primæ difficultatis. Probatur maior. Primo: vnio essentialitèr est nexus duorum: ergo repugnat, quod vnum sit intrinsicè vnitum alteri, quin alterum sit intrinsicè vnitum illi: ergo si entitas Verbi est vnio ipsius cum humanitate, sequitur, quod Verbum esset intrinsicè vnitum humanitati, deficiente vnione creata ex parte humanitatis, & quod humanitas esset vnita intrinsicè Verbo absque vnione ex parte ipsius humanitatis. Probatur secundo: repugnat: formam esse in subiecto capaci, quin illi tribuat suum effectum formalem; sed effectus formalis vnionis est, esse duorum nexum: ergo idem quod antea.

Prob maior 1.

Secundo.

89 *Tertio.* Probatur tertio: posita vnione materiæ cum forma, vtraque manet intrinsicè vnita, adhuc deficiente vnio-

ne formæ cum materia: ergo si entitas Verbi est vnio ipsius cum humanitate, sequitur, quod Verbum esset intrinsicè vnitum humanitati, deficiente vnione creata ex parte humanitati, & quod humanitas esset vnita intrinsicè Verbo absque vnione ex parte ipsius humanitatis. Probatur quarto: sicut se habet identitas inter extrema identificata, ita vnio inter extrema vnita; sed posita ratione identificandi ex parte vnius tantum extremi, extrema sunt intrinsicè identificata, vt claret in Essentia Divina, & Divinis relationibus, quæ sunt intrinsicè identificatâ, licèt infinitas, quæ est ratio identificandi, stet tantum ex parte Essentiæ ex Scoto *in* 1. *dist.* 5. *quæst.* 2. *& qualib.* 5. ergo stante vnione ex parte Verbi, Verbum, & humanitas sunt intrinsicè vnita: ergo similitèr.

Quarto.

Probatur quinto: si posita vnione ex parte vnius extremi tantum, extrema non essent intrinsicè vnita, non esset differentia vnionis, qua accidens est, & qua vnio est; sed hoc est falsum: ergo paritèr. Maior constat; nam sicut vnio, quæ accidens est, petit vni tantum inhærere, ita, quia vnio, peteret vnum tantum vnire. Minor est certa; quia vnire diversum est, ac inhærere; vndè in vnione distingui debet duplex ratio, scilicèt, vnionis, & accidentis. Vnio ex ratione accidentis petit essentialitèr vni inhærere, quia accidens ex natura sua nequit esse in duobus subiectis, nec migrare de subiecto in subiectum. Vnio verò ex ratione vnionis petit afficere intrinsicè duo extrema, quia est essentialitèr nexus duorum.

90 Quinto.

Est tamen advertendum hoc discrimen, quia extremum, cui vnio inhæret, intrinsicè subiectivè illud afficit; extremum verò cui non inhæret, sed ad ipsum termin tur afficit intrinsicè, terminativè ad distinctionē aliarum relationum, quæ terminos suos tantum extrinsicè afficiunt; vnio verò cum faciat terminum suum intimè substantialitèr præsentem, seu intimatum cum fundamento, intrinsicè vnitivè ipsum afficit. Quod maximè advertendum est. Tota enim per hoc resolvitur difficultas.

91 Nota.

Probatur tertio conclusio: posita vnione in natura humana subiectata, & ad Verbum Divinum terminata, rectè salvatur, humanitatem esse vnitam Verbo, & Verbum humanitati per vnionem vtrique competentem; ergo vnica est vnio realis inter humanitatem, & Verbum. Probatur antecedens: vnio necessario requisita, vt hoc modo vniatur humanitas & Verbum, est vinculum inseparabilitatis, vt fiat vnum per se personale; sed vnica vnione reali in humanitate recepta, & ad Verbum terminata, salvatur tale vinculum, quia de ratione personæ tantum est terminare: ergo &c. Hæc ratio confirmatur: posita vnica vnione reali in humanitate recepta, & ad Verbum terminata, humanitas est intrinsicè vnita Verbo, & Verbum humanitati: ergo hæc vnica sufficit, & alia superfluit. Consequentia est certa. Antecedens verò eisdem rationibus, quibus primo, & secundo probabimus conclusionē, probata manet.

92

Prob 3. cō clusio.

Ad has omnes nostræ conclusionis probationes, aliud non habet Ill. Godoy, qnod respondere possit, nisi quod adducit *num.* 110. respondendo ad vltimum argumentum. Respondet itaque: ex vi vnionis, per quam humanitas Verbo vnitur, Verbum vniri terminativè cum illa; vt autem non sit terminus extrinsecus, sed intrinsecus, requiri, quod Verbum per vnionem sibi identificatā subiectivè vniatur humanitati: non quia sit subiectū humanitatem recipiens, & ab illa informatum, sed quia non potest intrinsicè in humanitate subsistere, nisi per vnionem sibi identificatam illi vniatur, eo quod non potest discrimen inter intrinsecum, & extrinsecū terminum percipi, nisi per hoc, quod terminus extrinsecus terminat vnionem, quin per intrinsecam vnionem vniatur; terminus verò intrinsecus terminat vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsicè superadditam, vel intrinsicè identificatam, eidem extremo vnitur.

93 Respondet Ill. Godoy.

Si autem in ipsum instes: vt Verbum dicatur intrinsicè vnitum, sufficit terminare vnionem: ergo non requiritur, esse subiectum alterius. Probatur antecedens: vt Verbum dicatur intrinsicè homo, sufficit terminare humanitatem, nec requiritur, quod ad illam, vt subiectum, comparetur,

94 Si in ipsū instes.

aliàs mutaretur intrinsicè Verbũ per hoc, quod fieret in tempore homo: ergo vt dicatur intrinsicè vnitum, sufficiet, quod vnionem terminet, nec necessarium erit, subiectivè ad vnionem comparari.

95 *Respondet.* Respondet *num.* 111. negando antecedens; ad probationem concesso antecedenti, negat consequentiam; quia licèt non sit subiectum humanitatis, est tamen subiectum vnionis intrinsicæ cum humanitate, & ideo intrinsicè denominatur homo: cæterum si ad omnem vnionẽ comparetur, vt terminus, non potest salvari, quod intrinsice humanitati vniatur, nec quod intrinsicè in illa subsistat; ac proindè salvari non potest, quod sit homo per denominationem intrinsecam, sed tantum per denominationem extrinsecam, quod cum vnitate per se, quam Theologi recognoscunt in Christo, nequit subsistere.

96 *Impugnatur 1. solutio.* Hæc autem solutio sine aliqua nobitate eadem est cum præcedenti, vndè hac repulsa, vtraque impugnata manebit. Impugnatur itaque primo: vt Verbum, tanquam terminus intrinsecus, vniatur cum humanitate intrinsicè, sufficit vnio subiectata in humanitate, & terminata ad Verbum: ergo vt Verbum, tanquam terminus intrinsecus, vniatur intrinsicè cum humanitate, non requiritur, quod Verbum per vnionem sibi identificatam subiectivè vniatur humanitati: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: vt personalitas creata, tanquam terminus intrinsecus, vniatur intrinsicè cum natura, sufficit vnio subiectata in natura, & terminata ad personalitatem: ergo paritèr. Consequentia est paritate evidens, & probata manet *numer.* 86. Antecedens verò est Ill. God. *num.* 45.

97 *Impug. 2.* Impugnatur secundo: vt Verbum, tanquam terminus intrinsecus, vniatur intrinsicè cum humanitate, sufficit vnica vnio intrinsica; sed vnio, qua humanitas est Verbo vnita, est vnio intrinsica: ergo hæc vnio sufficit, vt Uerbum, tanquam terminus intrinsecus, vniatur intrinsicè cum humanitate. Probatur maior: vnio intrinsica est nexus intrinsicus duorum: ergo, &c. Antecedens patet: nam vnio est nexus duorum: ergo vnio intrinsica erit nexus intrinsecus duorum. Consequentia verò probatur: non stat, quod vnio intrinsica sit nexus intrinsecus duorum, quin vnum sit intrinsicè vnitum cũ alio, & aliud sit intrinsicè vnitum cum illo; sed iuxta concessa vnio intrinsica est nexus intrinsicus duorum: ergo vt Verbum, tanquam terminus intrinsecus, vniatur intrinsicè cum humanitate, sufficit vnica vnio intrinsica.

98 *Impug. 3.* Impugnatur tertio: vt Verbum, tãquam terminus intrinsicus, intrinsicè cum Divina natura vniatur vnione identitatis, sufficit vnica ratio intrinsica identitatis: ergo similitèr: vt Verbum, tanquam terminus intrinsicus, vniatur intrinsicè cum humanitate, sufficit vnica vnio intrinsica. Consequentia paritate est evidens, primo: nam sicut se habet identitas inter extrema identificata; ita vnio inter extrema vnita. Secundo: nam idem requiritur ad hoc, vt aliquid, tanquam terminus intrinsicus, intrinsicè cum alio identificetur, quam ad hoc, vt intrinsicè vniatur; imo si aliqua est disparitas, magis requiritur ad identificari, quam ad vniri, ex quo potiori iure tenebit consequentia.

Antecedens verò probatur: vt Divina personalitas, tanquam terminus ntrinsicus, identificetur intrinsicè cũ Divina natura, sufficit vnica infinitas; sed vnica infinitas est vnica ratio intrinsica identitatis: ergo, &c. Consequentia patet. Minor est certa: nam infinitas est intrinsica ratio identificandi. Maior constat: quia vnica infinitas ex parte naturæ Divinæ, quin sit infinitas ex parte personalitatis, sufficit, vt Divina personalitas, tanquã terminus intrinsicus, identificetur intrinsicè cum Divina natura, quod claret ex Scoto *cit. num.* 89. quin hoc possit negare Ill. Godoy, negans, relationes Divinas dicere perfectionem, vt habet *tom.* 3. *in* 1. *part. disput.* 78.

99 *Impug. 4.* Impugnatur quarto: vnica intrinsica vnio sub ratione vnionis exigit intrinsicè afficere duo extrema: ergo vt Uerbum, tanquam terminus intrinsicus, vniatur intrinsicè cum humanitate, sufficit vnica vnio intrinsica: ergo ruit solutio Ill. Godoy. Probatur antecedens: vnica intrinsica vnio sub ratione accidentis exigit vnicum tan-

tum subiectum intrinsice afficere: ergo, &c. Antecedens est certum, & constat ex dictis *num.* 90. consequentia probatur: ideo vnica intrinsica vnio sub ratione accidētis exigit vnicum tantum subiectum intrinsicè afficere, quia accidens essentialitèr petit, vni tantum subiecto inhærere; sed vnio sub ratione vnionis petit essentialitèr vtrūque extremū vnire: ergo.

100 *Impug. 5.* Impugnatur quinto: vt Verbum, tanquam terminus intrinsicus, vniatur intrinsicè cum humanitate, non requiritur, quod per vnionem sibi intrinsicè identificatam vniatur cum illa: ergo ruit tota doctrina, & solutio Ill. God. Probatur antecedens: differentia termini intrinseci, & extrinseci salvatur quam optimè, quin terminus intrinsecus terminet vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsice superadditā, vel intrinsice identificatā, eidē extremo vniatur: ergo, &c.

Prob. antecedens primo. Probatur antecedens primo: si differentia termini intrinseci, & extrinseci non salvaretur, quin terminus intrinsecus terminet vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsicè superadditam, vel intrinsicè identificatam, eidem extremo vniatur; terminus extrinsecus nunquam posset terminare vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsicè superadditam eidem extremo vniri; atqui datur terminus extrinsecus, qui terminet vnionem coextremi, & per aliam sibi intrinsicè superadditam, eidem extremo vniatur: ergo, &c. Maior patet: alioquin illa non esset differentia termini intrinseci, & extrinseci, quod est contra solutionem Ill. Godoy. Minor probatur: locus est terminus extrinsecus corpori; sed locus terminat vnionem corporis, & per aliam sibi intrinsicè superadditam vnitur corpori; datur namque ex parte loci vnio intrinseca ad corpus: ergo, &c.

101 *Prob. 2.* Probatur secundo dictum antecedens: præcisa à termino intrinseco vnione sibi intrinsicè superaddita, vel intrinsicè identificata, salvatur quam optimè differentia termini intrinseci, & extrinseci: ergo, &c. Probatur antecedens: differentia termini intrinseci, & extrinseci salvatur quam optimè per hoc præcisè, quod terminus intrinsecus sit per se ordinatus ad faciendum vnum per se cum alio extremo non completo per se in illa ratione; terminus verò extrinsecus sit ordinatus ad faciendum vnum per accidens cum alio extremo per se completo; sed hoc salvatur præcisa à termino intrinseco vnione sibi intrinsicè superaddita, vel intrinsicè identificata, vt est manifestum: ergo, &c.

§. Vltimus.

Argumenta Ill. God. solvuntur.

102 *Arguit 1.* ARguit primo Ill. Godoy *num.* 86. nam Verbum est intrinsicè vnitum humanitati, aliàs non esset intrinsicè, sed extrinsicè homo, neque ex Verbo, & humanitate vnum per se resultasset, cum extrema non vnita intrinsecè, vnum per se tale componere nequeant, & consequentèr est vnitum humanitati per vnionem sibi intrinsecam: vnio namque non intrinsica non potest præstare denominationē intrinsicè vniti; sed vnio ex parte humanitatis se tenens non afficit Verbum intrinsice: ergo vnitum fuit humanitati per vnionem sibi intrinsecam, sibique identificatā, & consequenter distinctam ab vnione, qua humanitas illi vnitur; ex quo vlteriùs sequitur, entitatem propriā Verbi exercere munus vnionis.

Respondeo. Respondeo ad argumentum concesso antecedenti, distinguendo consequens: ergo Verbum est vnitum humanitati per vnionem sibi intrinsecam terminativè concedo consequentiam, subiective nego consequentiam. Distinguo similiter sumptam, & nego vtramque consequentiam. Claret solutio ex dictis *§. Anteced. per totum.*

103 *Replicat 1.* Contra hanc solutionem replicat primo Ill. God. *num.* 87. nam si ex parte Verbi constituatur vnio intrinseca, ipsique identificata, per quam subiective vniatur, percipitur differentia inter extrinsecum, & intrinsecum terminum, consistens in eo, quod terminus extrinsecus terminat vnionem alteri intrinsecam absque sibi intrinseca vnione; terminus verò intrinsecus terminat vnionem coextrimi, illique per vnionem propriam vnitur; si verò talis vnio intrinseca non constituatur, discrimen hoc, aut salvari non potest, aut difficilè percipitur: ergo ad salvandam vnionem intrinsecā Verbi

cum

cum humanitate constitui debet in Verbo vnio intrinseca realitèr ab illo indistincta.

104 *Respondeo 1.*

Respondeo primo negando suppositū antecedentis; supponit namq̄, quod differentia termini intrinseci, & extrinseci consistat in hoc, quod terminus extrinsecus terminet vnionem alteri intrinsecā absque intrinseca sibi vnione; terminus verò intrinsecus terminet vnionē coextremi, illique per vnionē propriā vniatur, quod esse falsum, demonstravimus *n.* 100. & 101. ex ibiq̄ dictis constat, quod differentia termini intrinseci ab extrinseco stat in hoc: quod terminus intrinsecus per se est ordinatus in ratione termini ad aliquod per se faciendum cū alia parte non completa per se in illa ratione. Terminus verò extrinsecus est ordinatus ad faciendū aliquod per accidens cum re intrinsecè, & terminativè completa, licèt ex parte termini detur vnio intrinseca ad illā rē, quomodo locus est terminus extrinsecus corporis, etsi ex parte loci detur vnio intrinseca ad corpus. Vndè, quod terminus intrinsecus extrinsecus vniantur vnione se tenente ex parte eorum, non facit ad rem in sensu, quo hic terminū intrinsecū capimus.

105

Cum ergo personalitas Verbi ordinetur ad faciendū vnum per se personale cū humanitate, quæ incōpleta est in linea personæ, ideò, etsi vniatur vnica vnione reali terminata ad Verbum, personalitas Verbi est terminus intrinsecus humanitatis, quia vt faciat vnum per se, ad distinctionē per accidens, non requiritur duplex intrinseca vnio ex parte extremorū; sed quod vel duplici, si non est repugnantia, vel vnica, si ex aliqua parte est repugnantia, vniantur in linea, in qua fit vnum per se, vel vt per se actus, & per se potentia; vel vt per se terminus, & per se terminabilis.

106 *Instabis pro ipso.*

Sed instabis pro Ill. God. intrinseca denominatio nequit provenire à forma nō existente in subiecto; sed vnio humanitatis ad Verbum non existit in Verbo: ergo Verbum non est intrinsicè vnitum humanitati.

Respondeo.

Respondeo distinguendo maiorem: intrinseca denominatio absoluta nequit provenire à forma non existente in subiecto concedo maiorem; intrinseca denominatio relativa nequit provenire à forma non existente in subiecto nego maiorem, & concessa minori nego consequentiam; quia cum vnio humanitatis ad Verbum sit relatio ex à nobis dictis *n.* 64. intrinsicè denominat vtrumque extremum vnitum modo, quo diximus §. antedenti per totum.

107 *Respondeo 2. retorquē do argum.*

Respondeo secundo ad prædictum argumentū ipsum retorquendo eisdē illius terminis: nam si ex parte Verbi constituatur vnio intrinseca, ipsique identificata, per quā subiectivè vniatur, percipitur differētia inter intrinsecum, & extrinsecum terminum, cōsistens in eo, quod terminus extrinsecus terminat vnionem alteri intrinsecā absque sibi intrinseca vnione; terminus verò intrinsecus terminat vnionem coextremi, illique per vnionem propriam vnitur; si verò talis vnio intrinseca non constituatur, discrimen hoc, aut salvari non potest, aut difficile percipitur. Sic Ill. God. Nunc autem contra ipsum infero primo: ergo ad salvandam vnionem intrinsecam personalitatis creatæ cum natura constitui debet, in personalitate creata vnio intrinseca realitèr ab ipsa distincta, vel realitèr cum illa identificata, quod est contra ipsū, vt diximus *num.* 86. & 87. Infero secundo: ergo ad salvandam identitatem relationum cum Divina essentia constitui debet infinitas intrinseca subiectiva relationum, quod est contra ipsum ex dictis *num.* 98.

108 *Replicat 2.*

Replicat secundo Ill. God. *num.* 88. nam ex eo, quod humanitas non possit intelligi vnita intrinsicè Verbo, quin Verbum intelligatur terminare intrinsicè vnionem humanitatis, & vt terminum vniri cum illa, non sequitur, quod vniatur, & terminet ex vi vnionis terminatæ, sed potius ex vi alterius sibi intrinsicæ, & ab vnione terminata distinctæ: ergo vt vniatur, tanquam terminus intrinsecus, debet ex parte Verbi vnio distincta constitui. Antecedens probatur, & explicatur: etenim ex eo, quod non possit intelligi vnum album ad aliud album relatum, quin extremum, ad quod refertur, terminans intelligatur, non sequitur, extremum oppositum terminare relationem per ipsam formam,

quam terminat, sed potius per aliam sibi intrinsecam, & ab illa distinctam: ergo pariter.

109 *Replicat 3.* Replicat tertio *num.* 89. nam etsi ex vi vnionis animæ ad materiam, materia intelligatur terminativè vnita, requiritur ex parte materiæ vnio illi intrinseca, distincta realiter ab vnione immediatè animam afficiente, vt supponit ex veriori sententia inter illos, qui modum vnionis realiter ab extremis distinctum inter materiam, & formam constituunt: ergo id ipsum in præsenti contingit.

Si respondeas. Si respondeatur negando consequentiam, & disparitatem dando: materia enim perficitur per vnionem ad formam, & ante illam intrinsicè incompleta supponitur; ideòque indiget modo vnionis sibi intrinseco subiectivè, & ab vnione formæ distincto; Verbum autē non perficitur ex vnione ad humanitatem, nec ante illā supponitur incompletum; & idcirco necessarium non est, vnionem ex parte Verbi constitui distinctam ab ea, per quam humanitas ipsi vnitur. *Contra.* Contra: necessitas namque vnionis se ex parte Verbi tenentis realiter ab illo indistinctæ non arguit incompletionem in Verbo, quam tamen argueret necessitas modi subiectivè vnientis Verbum realiter distincti ab illo; sicut necessitas actionis distinctæ realiter ab agente incompletionem, & imperfectionem arguit in illo; secus autem necessitas actionis indistinctæ realiter ab agente: ergo licèt ex completione Verbi, & incompletione materiæ rectè inferatur, modum realiter distinctum superaddi materiæ, & non Verbo, non tamen colligitur, Verbū vniri absq; vnione ex parte sui distincta ab vnione humanitatis cū ipso idē tificata, quod asserit nostra conclusio.

110 *Respondeo ad 2. & 3. replicā primo.* Respondeo ad secundam replicam negando antecedens, ad cuius probationem, simulque ad tertiam replicā concessis antecedentibus nego consequentias. Disparitas est: nam tàm album, quam materia, sunt capacia talis vnionis; Verbum autem est incapax talis vnionis, cuius prima ratio est: nā vnio hypostatica est accidens, vt diximus *n.* 60. ergo debet inhærere subiecto; atqui Verbum Divinum est incapax inhærentiæ: ergo est incapax recipiendi vnionem. Secunda ratio est: si Verbum Divinum esset subiectum vnionis, mutaretur intrinsicè, sicut humanitas mutatur intrinsicè per illā, vt diximus *n.* 21. *& sequentibus*; atqui Verbum Divinum est incapax intrinsicæ mutationis: ergo etiam est incapax talis vnionis. Vndè audiendi non sunt, qui iudicarunt: vnionem esse in Divino Verbo, sicut in humanitate.

111 *Respondeo 2. retorquēdo 1.* Respondeo secundo retorquendo primo vtramque replicam: tàm albū, quam materia, terminant vnionē per vnionem realiter distinctam à suis entitatibus: ergo etiam Verbum terminabit per vnionē realiter distinctā à sua entitate, quod est contra III. Godoy. *Secundo.* Retorqueo secundo: Deus terminat plures relationes creaturarum: ergo per relationem: realiter ab illis distinctam? Mala consequentia; sic & contra nos deducta. *Tertio.* Retorqueo tertio: personalitas creata iuxta III. Godoy terminat vnionem naturæ absque vnione intrinseca, sibique identificata: ergo Verbū terminabit vnionem humanitatis absque vnione sibi intrinseca, sibique identificata. *Quarto.* Retorqueo quarto: Divina relatio terminat vnionem identitatis essentiæ absque ratione identificandi sibi intrinseca; alioquin diceret perfectionem contra III. Godoy: ergo Verbum terminabit vnionem humanitatis absque vnione sibi intrinseca.

112 *Arguit 2.* Arguit secundo III. God. *num.* 90. vnio namque personalitatis ad naturam est causalitas, qua naturā terminat, & causat in actu secundo eo modo, & in eodē genere, quo personalitas est causa naturæ; sed personalitatē Divinam causare in actu secundo per aliquid realiter ab illa distinctū, omnino repugnat: ergo etiam repugnat, quod vniatur humanitati per vnionē realiter à se distinctā, & consequenter se ipsa per se ipsam humanitati vnitur. Probatur minor: quia namq; actio est vltima actualitas agentis, repugnat in veriori sententia, quā cum Doctore Angelico tuentur omnes Thomistæ; omnipotentiā agere ad extra per actionē realiter à se distinctā, eo, quod ex oppositio fieret, non esse actum purū in ratione principij operativi, cōplerique, & actuari per aliquid ab illa distinctum, quod eius summæ perfec-

tio-

tioni non congruit; sed causalitas, qua personalitas causat, est actualitas vltima illius in ea linea, in qua est causa: ergo debet cum illa identificari; alias non erit in vltima actualitate in ratione causæ, & in ratione terminantis, complerique, & actuari per aliquid ab ipsa distinctum.

113 *Cõfirmat 1.* Confirmat primo *n.* 91. nam ratio, cur forma, & materia indigent causalitate realiter ab illis distincta, est, quia sunt aliquid potentiale, limitatum, & finitum, nedum in genere entis, sed etiam in genere causæ; sed personalitas Verbi est in omni linea infinita, & actus purus: ergo non indiget causalitate realiter distincta, vt causa & consequenter nec vnione realiter à se ipsa distincta, vt humanitati vniatur.

Confirm. 2. Confirmat, & vrget secundo: quia nãquè Diuina essentia est in linea intelligibili infinita, & actus purus, se ipsa vnitur, nedum in actu primo, sed etiã in actu secundo, non solum cum intellectu Diuino, sed etiam cum intellectu beati, quin, vt actu vniatur cum illo, indigeat aliquo, se tenẽte ex parte ipsius per modum actualis vnionis, sed solum intellectione, se tenente ex parte intellectus, illumq̃ obiecto applicante: quo circa 1. *p. quæst.* 12. *art.* 2. frequentiùs à Thomistis docetur, non produci Verbum à Beatis, sed Dei essentiam se ipsa munus gerere speciei, & Verbi respectu intellectuum illorũ in ordine ad visionem beatificam; sed non minus est actus purus personalitas Verbi in linea terminandi humanitatem, quam Diuina essentia in linea intelligibili: ergo, vt illam in actu secundo terminet, nullo indiget à se ipsa distincto, sed illam per se ipsam terminat, & consequenter illi per se ipsam vnitur.

114 *Confirm. 3.* Confirmat tertio *num. cit.* ratio, cur humanitas, vt vniatur Verbo, indiget modo realiter ab illa distincto, est, quia mutatur ex vi actionis vnitiuæ efficienter, & quia terminat actionẽ productiuã, quæ absque termino producto nequit subsistere; sed rationes istæ nõ probant, vnionẽ ex parte personalitatis Verbi distinctã requiri, ipsa namquè non mutatur, nec sub aliqua ratione producitur: ergo personalitas Verbi per suã intrinsicã entitatẽ humanitati vnitur, & consequenter datur ex parte illius vnio increata, per quam intrinsice vnitur.

115 *Respondeo 1. ad argument.* Respondeo primo ad argumentum negando maiorem, cuius negationis duplex est ratio. Prima est: quia stat causalitas in actu secundo absq; vnione, vt quãdo agens agit indistãs, quod esse possibile, asseruimus 3. Physicorum cum Scoto *in* 1. *dist.* 37. *Et in* 2. *dist.* 9. *quæst* 2. quod est valdè conforme Philosopho 1. *de Cœlo text.* 22. in o & D. Thomæ *quodlib.* 11. *artic.* 2. vbi tenet: quod agere in quacumq̃ parte huius mundi absque aliqua actione in medio, esset maioris perfectionis in Deo. Secunda est: quia vnio præcedit causalitatem: prius namq̃ est partes vniri, quam causare totum, vt habet Scotus *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 2 §. *quantum ad* 3 ideoque causalitatem in actu secundo non esse vnionem causæ, docuimus *in lib* 2. *Physicorum.*

116 *Respond. 2.* Et licèt hac solutione solutum manebat argumentum, quod Ill. Godoy principale vocat. Respondeo secundo concessis præmissis distinguendo primum consequens: ergo repugnat, quod vniatur humanitati per vnionẽ realiter à se distinctã, vnione afficiente subiectivè personalitatem concedo consequentiã; vnione afficiente terminativè personalitatem nego consequentiã, & nego etiã subsumptam; quia personalitas nec subiectivè, nec terminativè potest per se ipsam vniri. Non subiectivè, quia personalitas non est vnio, ex dictis *n.* 60. & sequentibus. Non terminativè, quia nihil est terminus sui ipsius. Et iuxta hanc solutionem

Respond. ad confirmationes. respondeo ad primam confirmationem distinguendo secundum consequens: ergo nec vnione à se realiter distincta, vnione afficiente subiectivè personalitatem concedo consequentiã; afficiente terminativè nego consequentiã. Ad secundã distinguo similiter minorem, & consequẽs. Ad tertiam similiter distinguo maiorẽ, & minorẽ, & nego consequentiã.

117 Itaque vt hoc clarescãt, & argumẽtum Ill. God. evaneat, attendite differentiam inter causalitatẽ, & vnionẽ. Causalitas semper se tenet subiectivè ex parte agentis, ideòque, si in Deo esset causalitas realiter distincta ab illo, mutaretur, quod repugnat. At vnio non semper se tenet subiectivè

ex parte vtriusque extremi, quia hoc non est necessarium, vt constat ex nostris probationibus.

118 *Retorqueo argumentum.* Denique retorqueo argumentum: vnio personalitatis ad naturā est causalitas, qua naturam terminat, & causet in actu secundo, eomodo, & in eo genere, quo personalitas est causa naturæ; sed personalitatē creatā causare in actu secūdo per aliquid realitèr ab illa indistinctū, omnino repugnat: ergo etiā repugnat, quod vniatur naturę per vnionē realitèr à se indistinctam: ergo debet vniri per vnionē realitèr à se distinctā. Maior est Ill. God. Minor est certa; alioquin personalitas, creata esset actus purus in ratione principij operativi, vt ab oppositō, & ex inconvenienti infert Ill. Godoy de omnipotentia, quod non esset actus purus in ratione principij operativi. Prima consequentia cum secunda est legitima. Quero nūc: an illa vnio, qua personalitas, creata vnitur cū natura, realitèr distinguatur ab vnione, qua natura vnitur cum personalitate, vel nō? Si primū, sibi contradicit ad ab ipso dicta *n.* 45. Si secundum: ergo vnica vnio sufficit ad hoc, vt natura, & personalitas creata sint intrinsicè vnita: ergo vnica vnio sufficiet, vt Verbū, & humanitas sint intrinsicè vnita, quod est intentum in tota hac difficultate.

119 *Arguit 3.* Arguit tertio Ill. God. *n.* 92. si namquè ob aliquam rationē personalitas Verbi se ipsa nō esset vnio sui ad humanitatem, maximè, quia exiitit ab æterno, quin sit ab æterno vnita; si autē se ipsa vnio esset, ab æterno Verbū humanitati vnitum constitueret, eo, quod forma existens non potest non pręstare suum effectum formalem; sed hæc ratio nulla est: ergo personalitas Verbi est vnio sui ad humanitatem se ipsa. Consequentia cū maiori tenet. *Minorem probat 1.* Minor autem probatur primo: actio namquè productiva Dei ad extra non minus est actualis productio, quā vnio sit actualis nexus duorum; & tamē ab æterno exiitit tota entitas actionis, per quam Deus agit ad extra, quin ab æterno aliquid ad extra producat: ergo stare potest, quod personalitas Verbi sit per sè ipsam vnio cū humanitate, & quod ab æterno existat tota entitas vnionis, quin ab æterno actualitèr vniat Verbum cum humanitate.

Secundo minor probatur: nō enim minus est de ratione Verbi, per intellectionem producti, actu vnire obiectū cū intellectu, & de ratione personalitatis actu terminare naturam, & de ratione actus liberi cōstituere voluntatem actu liberè volentem, quam sit de ratione vnionis actualiter nectere extrema, & tamē exiitit ab æterno Divina essentia, quę obtinet rationem Verbi respectu intellectus beati, quin ab æterno illi extiterit vnita, & personalitas Verbi etiam ab æterno exiitit, quin ab æterno terminaverit humanitatem, potuitq; ab æterno Divina voluntas nihil liberè velle, tota entitate actus liberi ab æterno existente: ergo ex eo, quod personalitas Verbi non fuerit ab æterno vnita humanitati, non sequitur, non habere rationem vnionis se ipsa, & ratione propriæ entitatis. 120 *Secundo.*

Denique probatur minor: nam licèt forma creata nō possit entitativè existere, quin pręstet suum effectū formalē, forma aute infinita, & increata potest secundū totā suam entitatem existere, quin suum effectū formalē communicet; vel quia eminentèr cōtinet perfectiones multiplicis entitatis creatę; & idcirco absque additione, & multiplicatione entitativa præstat id, quod plures entitates creatæ possunt præstare, qualitèr nonnulli de actu libero Divinæ voluntatis discurrūt; vel quia connotatū aliquod extrinsecum deficit, cuius existentia requiritur, vt suum effectum, vel denominationem præstet, qualitèr alij in actu libero Divinæ voluntatis procedunt; vel quia licèt habeat omnē suā entitatē intrinsecā, non tamē semper habet omnem intrinsecā formalitatē, seu intrinsecā terminationem, qualitèr nos (inquit Ill. God.) *tract. de voluntate Dei* de actu Divino libero sumus Theologizati: ergo ex eo, quod personalitas Verbi extiterit ab æterno, quin præstiterit effectum formalem, seu denominationem vniti, non benè colligitur, non esse se ipsa, & ratione suæ intrinsicæ entitatis vnionem Verbi cum humanitate. 121 *Tertio.*

Respondeo primo ad argumentum negando maiorem: ideò namquè personalitas Verbi non est vnio, quia alioquin humanitas esset vnita, absq; 122 *Respondeo 1. ad argument.*

vnio-

vnione ex parte humanitatis, quæ est ratio, qua opinionem Ill. Godoy impugnavimus, probando conclusionē ex hoc inconveniente, vt constat ex dictis *num.* 88. Deinde: ideò personalitas Verbi non est vnio, quia vnio est accidens, & relatio prædicamentalis, ex dictis *n.* 60. & 64. Hæc est absque dubio solutio, qua in totum ruit Ill. Godoy argumentum sine progressu ad minorem, in cuius probatione, quod visum est, consumpsit. Cæterum, vt videatur prædictum argumentum ex omni capite deficere, nullius que esse momenti, nec eius probationes esse ad rem, ad minorem (maiore omissa) progrediamur.

123 *Respondeo ad 1. prob. minoris.* Respondeo secundo ad argumentum negando minorem, & ad primā probationem nego suppositum: nam actio productiva Dei ad extra non est actualis productio, quod supponit Ill. Godoy, quia talis actio ab æterno tātum dicit relationem aptitudinalem, quæ relatio ad possibile terminatur. Ast vnio est actualis nexus, dicens actualem relationem, ideòque ad actualitèr connexa terminatur. *Ad 2.* Ad secundam probationem nego etiam suppositum: quia supponit, quod Verbum producitur per intellectionem, quod est falsum; nam Verbum est ipsa intellectio cum respectu ad dicentem, vt dicitur *lib. 3. de anima.* Cæterum hoc dato nego maiorem; quia Verbum, personalitas, & actus liber ab æterno dicunt tantum relationem aptitudinalem; vnio verò actualem.

Ad 3. Ad tertiam distinguo antecedens: forma infinita potest entitativè existere, quin suum effectum formalem communicet, si effectus sit absolutus omnitto antecedens; si est relativus nego antecedens, & consequentiam; quia effectus vnionis est relativus, quia vnio est relatio. Nec aliud probant exempla Ill. Godoy, quibus fidit ad suam opinionem sustentandam, vt fatetur *num.* 94. *in fine.*

124 *Arguitur denique.* Solutis argumentis Ill. Godoy, argumentare possumus contra nostram conclusionem hoc modo: datur vnio creata in humanitate, qua dicitur, & est vnita Verbo: ergo datur etiā vnio creata in Verbo, qua sit, & dicatur vnitum humanitati. Probatur consequentia: nullum est inconveniens, vt in Verbo ponatur vnio creata: ergo, &c. Probatur antecedens: si aliquod esset inconveniens, esset quod Verbū mutaretur; sed Verbum non mutatur per illam vnionem: ergo nullum est inconveniens, vt ponatur in Verbo vnio creata. Probatur minor: Verbū non perficeretur per illam vnionem: ergo non mutatur per illam vnionē.

Respōdeo 1 Respondeo concessō antecedenti negando consequentiā, ad cuius probationem nego antecedens, ad probationem nego minorem, & ad huius probationē respondeo primo omitto antecedens, & nego consequentiam; quia mutari de suo conceptu formali non dicit habere in se aliquam perfectionem; sed habere inhæsivè, vel subiectivè in se aliquid de nodo, quod antea non habebat, & hoc haberet Verbum, si vnio creata esset in illo, vt patet. *Respōdeo 2* Respondeo secundo negando antecedens: quia si Verbum esset subiectū receptivū vnionis, perficeretur per illam, quia implicat, quod aliquid se habeat, vt subiectum receptivū alicuius formæ, quin recipiat de nobo aliquam perfectionē, quam antea non habebat; alioquin optimè posset salvari, Deum esse subiectum receptivum intellectionis, volitionis, &c. quod est falsum.

125 *1. Quæstio incidens remittitur.* Ill. Godoy *n.* 71. movet quęstionem incidentem, an, scilicèt, super vnionē fundetur respectus prædicamentalis, quo humanitas refertur ad Verbum? Cæterum hoc dubium ad nos nō attinet, quia Ill. God. illud movet in suppositione, quod vnio sit respectus transcendentalis, hęc enim sunt verba illius *An super istum respectum transcendentalem fundetur alius prædicamentalis, quo humanitas refertur ad Verbum?* Quod locū non habet apud nos, qui asseruimus *n.* 64. vnionem esse relationem prędicamentalem; & non esse transcendentalem ostendimus cōtra ipsum *n.* 58.

126 *2 Etiam remittitur.* Aliam quæstionem incidentē movet ipse *n.* 114. de causa efficiēte physica vnionis hypostaticæ; sed quia difficultas magni momenti non est; ideò ab illius discussione se abstinuit; idēque nos, illius vestigia, sequendo, facimus. Sed quia ipse, quæ certa sunt, adducit ad aliqualem notitiam quæstionis incidentis, quæ certa sunt ad eundem finem, adducamus.

127 Et quidem certum est primo: fuisse à tota Trinitate efficienter causatam, vt diffinitur in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Canone* 2. & licèt Spiritui Sancto specialiter attribuatur, non est, quia ab ipso tantummodo effecta fuerit, sed quia, vt docet D. Thom. 1. *part quæst.* 39. *artic.* 7. & 8. quæ amoris sunt, Spiritui Sancto appropriantur. Incarnatio autem fuit opus maximi amoris Divini, ideoque efficientia illius specialiter Spiritui Sancto attribuitur, non quia non sit toti Trinitati communis. Et cũ instrumentalis concursus sit in linea causæ imperfectus, Deoque ex consequenti repugnans, certum etiam est Incarnationem non instrumentaliter, sed principaliter esse à tota Trinitate causatam.

Certũ est 1.

128 Secundo communiter docetur à Theologis: non posse vnionem hypostaticam principaliter physicè in genere causæ efficientis ab aliqua creatura causari, & prætèrquamquod id est omni miraculo commune, vt à solo Deo principaliter effici possit; Incarnatio autem fuit maximum omnium miraculum, & consequentèr nõ potest ab aliqua creatura principaliter causari; constat primo ex illo Psalm. 135. ℣. 4 *Qui facit mirabilia magna solus*; at omnium mirabilium maximum est vnio hypostatica: ergo solus Deus, secluſa quacumque alia causa eam fecit. Constat secundo ex illo Abac. 3 *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud*, id est, opus ita tibi proprium, & singulare, vt fieri possit a te solo; sed opus illud est Incarnatio, vt exponunt Patres, & vt indicant hæc verba: *In medio annorum vivifica illud*: ergo Incarnatio nullam causam habet prætèr Divinam voluntatem, quæ, nulla causa secunda concurrente, creavit novum super terrã. Constat tertio ex Luc. 1. *Quomodo fiet istud.* Angelus respondens Mariæ ait: *Non est impossibile apud Deum omne Verbum*; ac si dixisset: opus illud impossibile esset, nisi virtus altissimi illud efficeret, cuius tota ratio est virtus facientis: ergo Incarnatio, seu vnio hypostatica, est opus Omnipotentiæ Dei, nulla concurrente creaturarum efficientia.

Certũ est 2.

129 An autem instrumentalitèr physicè potuerit à creatura procedere, sub litte Theologorum est positum. Affirmant plures, negant alij, & omnes probabiliter sentiunt, etsi difficile iudicent, implicationem ex parte facti assignare, vt media virtute creaturæ à Deo communicata possit instrumentaliter physicè in hypostaticam vnionem influere; quod enim sit terminativè increata, implicationem non probat. Quod autem à nonnullis Recentioribus additur, de facto B. Virginem instrumentaliter physicè vnionem humanitatis ad Verbum causasse, vt per hoc Dei genitrix sit, & dicatur, absque vrgenti fundamento asseritur, cum ad hoc sufficiat concursum præstasse ad formationem humanitatis assumptæ à Verbo in instanti informationis, vt vidimus *num.* 42. & 43.

130 III. God. in hac disputatione aliam quæstionem incidentem non movet, & aliquas incidentes movere mihi necessarium videtur. Tum; quia ad perfectiorem notitiam vnionis hypostaticæ conducunt. Tum etiam; quia contra intentum non est, aliqua vltrà ab ipso dicta adducere; est namque duntaxat contra intentum, deficere ab aliquo ex omnibus, quæ adducit. Vnde disputari solet: an vnio hypostatica sit omnium maxima in ratione vnionis?

3. Quæstio incidens.

131 Ad quod respondeo negativè cum Scoto *in* 3. *dist.* 6. *quæst.* 1. *§. ad argumenta*, ex ipsoque probatur: ex vnione materiæ, & formæ resultat vnum in persona, & in natura; sed ex vnione hypostatica solum resultat vnum in persona, & duplex in natura: ergo vnio hypostatica in ratione vnionis minor est vnione materiæ, & formæ: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione vnionis. Confirmatur: quæ sunt per se actus, & potentia, magis vniuntur inter se, quam humanitas, & Verbum, quę propriè non sunt actus, & potentia: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione vnionis.

Resolvitur.

132 Dices primo: per hanc vnionem vniuntur maximè distantia: ergo est maxima vnio. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiã, quia ex antecedenti solum sequitur: esse in efficiente maxima potentia. Dices secundo: per mortem dissoluta

Dices 1. Respondeo.

Dices 2.

fuit

fuit in Christo vnio materiæ, & formæ; non tamen vnio hypostatica: ergo hæc est maior. Nego etiam consequentiam, quia ex antecedenti solum infertur: quod mors opponitur vnioni materiæ, & formæ; non verò vnioni hypostaticæ. *Respond.*

Dices 3. Dices tertio: hæc vnio vnit extrema perfectissima: ergo est maxima. *Respond.* Distinguo consequens: in ratione extremorum concedo consequentiam; in ratione vnionis nego consequentiam.

133 *4. Quæstio Incidens.* Etiam disputari solet: an vnio hypostatica sit maxima omnium in ratione doni, & beneficij? Ad quod respondeo affirmative cum Scoto *in* 4. *dist.* 49. *quæst.* 2. §. *ad istam* 2. *quæst.* & *Resolvitur.* probatur primo: per vnionem hypostaticam donatur persona Divina, ita vt homo fiat Deus substantialitèr; sed nihil potest esse maius, quam fieri Deū: ergo vnio hypostatica est omniū maxima in ratione doni, & beneficij. Probatur secundo: per gratiam, & gloriam vnitur Deus accidentalitèr, & licèt per Eucharistiam vniatur secundum præsentiam realem, non tamen secundum vnionem personalē; atqui per vnionem hypostaticam vnitur Deus substantialitèr, & secundum vnionem personalē: ergo maior gratia, donum, & beneficium est vnio hypostatica: ergo vnio hypostatica est omnium maxima in ratione doni, & beneficij.

134 *Dices 1.* Dices primo: iuxta D. August. *tract.* 10. *in Ioan.* melius est, concipere Deū mente, quam ventre: ergo maius est vniri Deo mente per gratiam, quam vniri Deo hypostaticè: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione doni, & beneficij. *Respond.* Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam, quia ex antecedenti nullatenus infertur, vt claret ex verbis Augustini.

135 *Dices 2.* Dices secundo: Scotus *in* 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. §. *ad argumenta*, tenet: visionē beatam esse maiorem hypostatica vnione: ergo hypostatica non est omnium maxima in ratione doni, & beneficij. Respondeo: Scotum asserere: vnionem hypostaticam esse maiorem quoad actum primum; visionem verò beatam esse maiorem quoad actum secundum; vndè ex hoc ad huc sequitur, quod simplicitèr, & absolute loquendo, vnio hypostatica sit maior vnione beatifica.

Hoc claret primo: quia hypostatica spectat ad complementum subsistentiæ, & ad esse primarium; beatifica verò ad complementum potentiarum in ordine ad operationes, & ad esse secundarium. Secundo: hypostatica coniungit humanitatem Deo substantialitèr, & in vnitate personæ; beatifica vnit potentias Deo obiectivè, & accidentalitèr. Tertio: hypostaticæ vnioni debetur saltim de congruo gratia, beatitudo, & omnia dona supernaturalia; non tamen è contra: ergo vnio hypostatica maior est visione beatifica in ratione doni, & beneficij. Denique: Scotus *cit.* ait: quod inter has vniones, propriè loquendo, non est comparatio, quia sunt diversæ rationis, & vna alteram excedit, & exceditur ab illa. Cæterum facta comparatione semper hypostatica est maior ob ratione datas. *Declaratur solutio.*

Dices tertio: vnio hypostatica potest communicari naturæ irrationali; non verò beatitudo: ergo beatitudo est maior: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione doni, & beneficij. Respondeo negando cōsequentiam, cuius ratio apparebit in hac retorsione: vnio hypostatica potest communicari naturæ irrationali; non verò cognitio intellectualis, quæcumque sit: ergo quælibet cognitio intellectualis est maior. Respondeant contrarij. 136 *Dices 3.* *Respondeo.*

Dices quarto: beatitudo, vtpote, summum bonum, magis eligenda est, quam vnio hypostatica: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione doni, & beneficij. Respondeo distinguēdo antecedens: beatitudo, vtpotè, quia maius bonum, magis eligenda est, quam vnio hypostatica nego antecedens; quia vtilis concedo antecedens, & nego consequentiam: quia stat esse vtilis, quin sit maius, vt in tempore famis vtilior est panis, quam aurum, & si aurum sit maius bonum. 137 *Dices 4.* *Respondeo.*

Dices quinto: beatitudo est finis vnionis; sed finis est excellentior medijs: ergo vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione doni, & beneficij. Respondeo distinguendo minorem: sed finis est excellentior 138 *Dices 5.* *Respondeo.*

me-

medijs aliquãdo concedo minorem; semper nego minorem; quia quando aliqua causa amatur propter effectum in ipsa virtualiter contentum, effectus, qui est finis, imperfectior est ipsa causa, v. potè, in illa virtualitèr contentus. Deindè: remedium peccati est finis Incarnationis; sed est imperfectior Incarnatione, quæ est medium: ergo non semper finis est excellentior medijs.

139 *Dices 6.* Dices sexto: beatitudo, & gratia nequeunt esse cum peccato; bene verò vnio hypostatica. Item gratia sanctificat; non verò vnio hypostatica: ergo vnio hypostatica non est omniũ maxima in ratione doni, & beneficij.

Respondeo. Respondeo ad primum distinguendo primam partem antecedentis: gratia, & beatitudo nequeunt esse cum peccato de potentia ordinaria concedo antecedens; de potentia absoluta nego antecedens; & distinguo è contra secundam partem, ex quo nihil contra nos. Ad secundum concesso antecedenti nego consequentiam; quia licet vnio non sanctificet, sicut gratia; tamen vnioni debetur gratia; non verò è contra. Item: per gratiam homo est Filius Dei adoptivus, affectivè, & accidẽtaliter Deo vnitus; at per vnionem homo est Deus, & humanitas substantialitèr Deo vnita, quod est omniam maximum.

140 *5. Quæstio.* Denique disputari solet: an vnio hypostatica facta fuerit, vel fieri possit mediante aliqua prævia dispositione? Ad quod respondeo primo: vnionem hypostaticam de facto factam fuisse absque vlla prævia dispositione ad ipsam vnionem ordinata. Sic Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 2. artic. 2.* contra aliquos antiquiores sentientes: prædictam vnionem factã fuisse mediante qualitate quaddam supernaturali, quam indicant esse gratia habitualẽ.

Resolvitur 1.

141 *Probatur.* Probatur conclusio: vnio hypostatica præcessit gratiam (idem est de quocumque habitu supernaturali) ergo vnio hypostatica de facto facta fuit absque vlla prævia dispositione ad ipsam vnionem ordinata. Probatur antecedens primo: natura fuit assumpta in illo instanti, in quo debebat communicari proprio supposito; sed suppositum præcedit gratiam: ergo, &c. Probatur minor: prius est naturalitèr, quod natura perficiatur cõplemento substantiali, quam accidentibus, quæ ad operari pertinent; sed suppositum est complementum substantiale naturæ, & gratia est accidens pertinens ad operari: ergo supposituũ præcedit gratiam. Secundo: plures stant Patrum authoritates dicentes: vnionem esse sanctitatem substantialem; sed sanctitas substantialis præcedit accidentalem, sicut substantia præcedit accidens: ergo vnio hypostatica gratiam præcedit. Denique probatur: multoties Scripturæ indicant: vnionem hypostaticam fuisse rationem congruentiæ plenitudinis gratiæ in Christo: ergo, &c.

142 *Dices.* Dices: congruum est, vt Rex ornet, & nobilitet quantum potest vxorem, quam ducturus est, si est illo valdè inferior: ergo congruum est, Verbum humanitatem assumpturũ, priùs illam deificasse per gratia: ergo gratia præcessit vnionem, & consequentèr vnio hypostatica facta fuit mediãte aliqua dispositione prævia.

Respondeo. Respondeo concesso antecedenti negando consequentiam; quia congruentius est, quod gratia, & alia dona conferantur humanitati ratione vnionis, quam quod vnio conferatur ratione gratiæ, aut alterius doni, vt dixi *num. antecedenti.* Imò exemplum non est ad rem; quia illa vnio Regis cum vxore est accidentalis, sicquè præsupponit esse subiecti subsistentis; at vnio, de qua in præsenti, est ad primum esse substantiale, & hypostaticum, quare præcedit omnem vnionem accidentalem per gratiam; vndè stat maxima disparitas.

143 *Resolvitur 2.* Respondeo secundo: vnionem hypostaticã potuisse fieri mediante gratia. Probatur: non repugnat, quod gratia præcedat vnionem hypostaticam: ergo vnio hypostatica potuit fieri mediante gratia. Probatur antecedens: potuit Deus animam cũ gratia creare, illam postea corpori infundere, & tandem humanitatẽ hinc resultantẽ assumere, vt eveniet in resurrectione vniversali; tunc enim animæ beatorũ supernaturalibus habitibus ornatę vniẽtur corporibus: ergo.

144 *Dices. Contra.* Nec dicas: hoc esse contra Scotum; nam Scotus *cit.* non negat hoc fieri potuisse, nec eius rationes concludũt

re-

repugnantiam, sed tantum de facto, & naturaliter, vndè eius mens fuit: quod licèt absolutè loquendo gratia potuerit modo explicato præcedere vnionē hypostaticam; de facto tamen non præcesit; sicque cessant instantiæ aduersariorū cotra primā cōclusionē.

145 *1. Corollarium.* Ex dictis in discursu disputationis colligo primo cū III. God. *num.* 112. vnionē naturæ Diuinæ, & humanæ ex parte istius esse aliquid creatum; secus verò ex parte naturæ Diuinæ, sed illi tantū superadditur respectus rationis. Quod patet: etenim natura humana vnitur naturæ Diuinæ per modū realiter sibi superadditū, & ex vi actionis assumptivæ productum; Diuina verò vnitur humanæ naturæ per subsistentia increatā Verbi, & non per modum aliquē, ipsi realiter superadditū, & in illa intrinsicè receptū: ergo vnio naturæ Diuinę, & humanę est quid creatum ex parte naturæ humanæ, non verò ex parte Diuinæ naturæ.

146 *Secundum.* Et ex hoc colligo secundo: quod vnio hypostatica est realiter inhærens naturæ humanæ, & in Verbo correspondet relatio rationis; non quia Verbū sola ratione vniatur humanitati, verè enim, & realiter vnitur, sicut verè, & realiter est homo; sed tantum significatur hac vnione, Verbum no fuisse mutatum in se ipso realiter, neque aliquid reale acquisiuisse, quod optimè stat cum sola mutatione humanitatis, quemadmodum, licèt verum sit, parietem, quando videtur, realiter videri, nihil tamen reale acquirit, eo quod videatur.

147 *Tertium.* Tertio colligitur cū III. God. *n. cit.* causam materialē vnionis, quę per actionē assumptivā producitur, esse solā humanitatē. Quod patet: nā id solū est causa materialis respectu alicuius formæ, quod in se illā intrinsicè recipit; sed sola humanitas in se intrinsicè recipit modum vnionis, in vi actionis assumptivæ productū; si namque Verbū reciperet illū intrinsicè, mutaretur intrinsicè, quod omninò repugnat: ergo sola humanitas est causa materialis modi vnionis, per actionem assumptivam producti.

148 *Quartum.* Colligo quarto: causam formalem extrinsecā vnionis hypostaticæ esse Verbū Diuinū, vt in humanitate subsistens; causam autē formalē intrinsecam illius sumptæ in concreto esse vnionē; si autem in abstracto sumatur, non habet causam formalē intrinsicā. Hoc corollariū habet III. God. *n.* 113. Et primū patet: nā causa formalis extrinseca respectus transcendentalis est terminus inspectus ab illo; sed terminus inspectus ab vnione hypostatica in humanitate recepta, est Verbum, prout in humanitate subsistens: ergo Verbum prout sic est causa formalis extrinseca illius.

Secundū probatur: nam hoc concretum, *humanitas Verbo vnita*, habet aliquā causam formalē intrinsecā, cum hoc sit omni concreto cōmune, nisi in extrinseca denominatione consistat; sed nulla alia potest assignari, nisi modus vnionis, ex vi actionis assumptivæ productus, & in humanitate receptus: ergo modus illæ est causa formalis intrinsica vnionis hypostaticæ sumptæ in concreto. Quod autem sumpta in abstracto non habeat causam formalem intrinsecā, patet: nam forma in abstracto sumpta causam formalem intrinsecam nequit habere, nisi ipsa se ipsam causet, quod implicat: ergo vnionis hypostaticæ sumptæ in abstracto nulla est causa formalis intrinseca. 149

150 *Quintum.* Denique colligitur: vnionem hypostaticam esse subsistentialem, non verò essentialem, vel naturalem. Primum patet: nam hæc vnio facta est in hypostasi, quæ Græcè idem est, ac subsistentia. Nec obest, quod possit adesse, & abesse, quia hoc convincit esse accidens; non verò accidentalem, vt diximus *num.* 60. Secundum etiam patet: nam vnionem vocari essentialem, vel naturalem, significat factam fuisse in essentia, seu in natura, quod est falsum, cum facta fuerit in hypostasi. Patres verò aliqui vocarunt illā naturalem, ideſt, veram, & realem, secundum naturas Diuinam, & humanam; nam loquebantur contra Manichæos, qui dicebant esse phantasticā. Vocant etiam essentialem, quia pro eodē vsurpant essentiam, & hypostasim; vel quia humanitas, & Diuinitas verè, & realiter secundum suas essentias sunt vnitæ, & sæpè Patres non loquuntur in rigore sermonis. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 5. §. 1.

DIS-

DISPVTATIO DVODECIMA.

Quis sit terminus formalis *ad quem* Incarnationis, provt actio est?

§. I.

Aperitur difficultas, & relatis sententijs, vera eligitur.

Num. 1 *Explicatur difficultas.*

DIsputatione præcedenti diximus, vnionem posse sumi passivè, quomodo est relatio prædicamentalis extrinsecus adveniens; & activè, quomodo vnio est actio vnitiva humanitatis ad Verbum, per quam vnio fuit efficientèr producta, & Verbum fuit factum homo. Non inquirimus (ait Ill. God. *numer.* 1.) de termino *ad quem* vnionis passivè sumptæ, seu pro relatione prædicamentali, huius namquè terminus *ad quem* est Verbum, & humanitatem terminans, illamque subsistentè constituens, vt disputatione præcedenti docuimus; sed inquirimus de termino *ad quem* vnionis activè sumptæ, seu de termino *ad quem* Incarnationis, sumptæ pro actione vnitiva.

2 *Amplius explicatur.*

Cum autem terminus *ad quem* sit duplex, totalis, nempè, qui vocatur terminus *qui*, & formalis, qui appellatur terminus *quo*, i. est, id, quod primo, & immediatè producitur, & ad cuius positionem terminus totalis, vel *qui*, resultat, vel fit, seu vt locuntur alij, ratio formalis terminandi, & specificandi actionem; certum, & indubitatum est apud Theologos, terminum totalem, seu, *qui* illius actionis esse Christum. Primo: quia Christus est id, quod actioni vnitivæ Dei correspondet. Secundo: quia est totum id, quod Deus intendit, dum humanitatem vnit cum Diuino Verbo. Tertio denique: quia Christus est totum per huiusmodi actionem productum. Vnde desidium Theologorum circa terminum *ad quem* formalem, *qui* appellatur terminus *quo*, versatur.

3 *Distinctio actionum probatur.*

Ante cuius resolutionem suppono primo cum frequentiori sententia, quod supponit Ill. God. *num.* 2. scilicèt, actionem vnitivam, seu assumptivam esse distinctam à creatione animæ, & à productione humanitatis. Primum patet: nam creatio animæ est actio distincta à generatione hominis, per quam anima corpori vnitur. Tum; quia illa est productio totius entis ex nihilo; hæc autem ex subiecto præsuppositio. Tum etiam: quia ad creationem animæ solus Deus tanquam causa principalis concurrit; at verò ad generationem hominis vnientem animam corpori homo principalitèr effectivè concurrit; ergo etiam creatio animæ Christi est actio distincta ab illa, quo Verbo vnitur. Secundum etiam probatur: nam ad vnionem humanitatis ad Verbum solum Deus, vt causa principalis, concurrit; ad humanitatis autem productionem B. Virgo suum præstitit principalem concursum. Et insuper, nam potuit contingere, quod produceretur humanitas, & Verbum non vniretur: ergo actio productiva humanitatis distincta est ab actione, per quam humanitas fuit Verbo vnita.

4 *Suppono 2.*

Suppono secundo ad tollendam æquivocationem, ex qua oritur sententiarum diversitas, quod quadruplicitèr potest accipi Incarnatio. Primo: provt est communicatio personalitatis Divinæ. Secundo: provt est humanatio. Tertio: provt est vnitio. Et quarto denique: provt est productio totius compositi, scilicèt, Christi. Vnde quadruplex terminus formalis *quo*, & *qui* debet assignari in Incarnatione iuxta quadruplicem acceptionem illius. Sicut, quia generatio tripliciter accipitur. Primo, scilicèt, pro eductione formæ. Secundo pro vnione, & tertio pro productione compositi, triplex terminus formalis *quo*, & *qui* generationis assignatur, iuxta triplicem illius acceptionem. Terminus namquè formalis *quo* generationis

sump-

sumptæ pro eductione est relatio passiva formæ eductæ, & terminus *qui* ipsa forma educta; sumptæ vero pro vnione terminus *quo* est vnio realis formæ cum materia, & *qui* ipsa forma vnita; sumptæ autem pro productione compositi, terminus *quo* est forma vnita dans esse formaliter composito, & *qui* totum compositum productū. Ratio est: nam illud est terminus *quo* generationis, quo terminus *qui* formaliter est in generatione; sed ratione relationis educibilitatis, vnionisque actualis formæ cum materia, & ipsius formæ vnitæ dantis esse formaliter composito, dicitur forma educta, vnita, & compositum generatum: ergo relatio passiva formæ eductæ est terminus formalis *quo* generationis sumptæ pro eductione; sumptæ verò pro vnitione est vnio; & sumptæ pro productione cōpositi est forma vnita.

5 Similiter igitur proportione servata dicendum est de Incarnatione. Vndè terminus formalis *quo* Incarnationis, provt est communicatio personalitatis Divinæ, est personalitas Verbi, & terminus *qui* est ipsa persona. Terminus formalis *quo* Incarnationis, provt est humanatio, est humanitas, & terminus *qui* homo. Terminus formalis *quo* Incarnationis, vt est vnitio, est vnio, & terminus *qui* est humanitas Verbo vnita, vel personalitas humanitati vnita. Ratio huius est: terminus namquè formalis *quo* Incarnationis, provt est communicatio, humanatio, & vnitio, est id, quod communicatur, & producitur; sed quod communicatur, est Verbi personalitas, & quod producitur, est humanitas, & vnio: ergo hi sunt termini formales *quo* Incarnationis sic acceptę

6 Terminus autem formalis *quo* Incarnationis, sumptæ pro productione totius compositi, scilicèt, Christi, est humanitas vnita personalitati Verbi, & personalitas Verbi humanitati vnita. Ratio est: nam terminus formalis *quo* Incarnationis, sumptę pro productione totius compositi, scilicèt, Christi, est, qui in toto composito, scilicèt, Christo, habet rationem formæ; sed humanitas vnita personalitati Verbi, & personalitas Verbi vnita humanitati, habet rationē formæ in illo composito, scilicèt, Christo: ergo terminus formalis *quo* Incarnationis, sumptæ pro productione totius compositi, scilicèt, Christi, est humanitas vnita personalitati Verbi, & personalitas Verbi humanitati vnita. Probatur minor: totum compositum, scilicet, Christus, est Verbum factum homo, & homo factus Verbū; sed humanitas vnita personalitati Verbi habet rationem formæ in hoc concreto *Verbū factum est homo*; & in hoc: *homo factus est Verbū*, personalitas Verbi vnita humanitati habet rationē formæ: ergo, &c.

Declaratur, & confirmatur primo hæc doctrina: nam in misterio Incarnationis sunt istæ propositiones: *Homo factus est Verbum*: *Verbum factum est homo*, quæ æquivalent his: *Natura humana est vnita personalitèr Verbo*: *Verbum est homo*; sed in hac pro positione: *Homo factus est Verbum*, personalitas Verbi vnita humanitati habet rationem formę; & in hac: *Verbum factum est homo*, humanitas vnita personalitati Verbi habet rationem formæ: ergo tàm personalitas Verbi vnita humanitati, quàm humanitas personalitati Verbi vnita, est terminus formalis *quo* Incarnationis, acceptæ pro productione totius compositi, scilicèt, Christi. 7 *Tradita doctrina confirmatur* 1.

Declaratur, & confirmatur secundo ratione tradita ab Ill. Godoy *num.* 13. terminus formalis *quo* alicuius actionis est forma, terminum totalem constituens; sed personalitas Verbi, vt vnita humanitati, & humanitas, vt vnita personalitati Verbi, constituit tanquam forma terminum totalem actionis Incarnativæ: ergo personalitas Verbi, vt vnita humanitati, & humanitas, vt vnita personalitati Verbi, est terminus formalis *quo* actionis Incarnativæ. Consecutio est legitima. Maior est Ill. God. Minor autem probatur: terminus *qui* totalis actionis Incarnativæ est homo factus Verbū, & Verbum factum homo; sed forma huius concreti: *Homo factus Verbum*, est personalitas Verbi, vt vnita humanitati, & forma huius concreti: *Verbum factum homo*, est humanitas, vnita Verbo: ergo, &c. 8 *Confirm.* 2.

Deniquè: hæc doctrina clare deducitur ex Scoto *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 2. *litt.* D. dicente: *Respondeo, & dico, quod hæc est prima in ista materia: natura humana vnita est personalitèr Verbo, & ex hac immediatè* 9 *Confirm.* 3. *ex Scoto.*

se-

ſequitur, quod Verbum ſit homo. Ratio huius eſt: quia virtute vnionis eſt ſubſiſtens in natura humna, & ex hac ſequitur, quod homo ſit Deus per converſionem, & eodem modo eſt in fieri: ergo iſta: Deus factus eſt homo uon eſt mediator iſta: homo factus eſt Deus, imò immediator illi, propter quam ambæ ſunt veræ, vtraque tamen propria. Sic Doctor, ex quo manifeſtè apparet, quod terminus formalis *quo* Incarnationis, ſumptæ pro productione compoſiti, ſcilicèt, Chriſti, eſt perſonalitas Verbi, vt vnita humanitati, & humanitas, vt vnita perſonalitati Verbi, vtpotè, vtraque eſt forma Chriſtum conſtituens, etſi aliqua eſſet eligēda, eſſet perſonalitas Verbi, ob dictum Scoti, ſcilicèt: *Hæc eſt prima: natura humana vnita eſt perſonaliter Verbo, & ex hac immediatè ſequitur, quod Verbum ſit homo.*

10 *Suppono 3.* Suppono deniquè, ne in æquivoco cum Ill. Godoy laboremus, quod licèt terminus formalis *quo* actionis plerumque ſit id, quod primo, & immediatè producitur ex vi talis actionis; non tamen ſemper requiritur, quod per talem actionem producatur. Ratio eſt: nam vt forma ſit terminus formalis *quo* generationis, ſumptæ pro productione compoſiti, non requiritur, quod producatur per eandem actionem, qua compoſitum producitur, ſed ſufficit; vel, quod communicetur genito ſine productione, vt fit in generatione Divina, in qua eſſentia Divina eſt terminus *quo*, & non generatur, vel, quod communicetur per productionem, vt fit in generatione, in qua educitur forma; vel, quod ſaltim generans influat in partem ſubiectivam, & receptivam talis formæ in illo inſtanti, in quo forma vnitur materiæ, vt compoſitum fiat, vt contingit in generatione hominis, quia in illo inſtanti, in quo Deus animam rationalem corporis vnit, datur influxus in generationem corporis, & hæc etiam eſt ratio, quare dicitur: Beatam Virginem eſſe veram Matrem Dei, verumque Deum, & hominem genuiſſe.

11 His itaque præſuppoſitis, & ſtabilitis diſputationem reſolvere, facillimum nobis eſſet, quadruplicem ſtatuendo concluſionem, iuxta quadruplicem Incarnationis acceptionem. Sde quia Ill. God. quadruplicem hanc Incarnationis acceptionem non diſtinguit, ſolumque diſputat de termino formali *quo* Incarnationis, provt eſt actio vnitiva, vt conſtat ex dictis *num.* 1. in hoc ſenſu reſolvenda eſt diſputatio. In qua, licèt variæ ſint Theologorum opiniones, quæ meo videri per dicta de quadruplici Incarnationis acceptione concordantur; tamen, vt ad noſtrum facit intentum, duplex ex diametro inconcordabilis verſatur ſententia. Prima docet: terminū formalem *quo* Incarnationis, quatenus actio eſt, eſſe humanitatem, vt Divino Verbo vnitam, ly *vt* reduplicante vnionem, vt conditionem, & humanitatem vnitam, tanquam rationem formalem. Sic Ill. God. *num* 13. 1. *Sẽtentia.* *Ill. Godoy.*

Secunda, & verior ſententia affirmat: terminum formalem *quo* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt, eſſe vnionem hypoſtaticam. 2. *Sẽtentia defenditur.*

12 *Cõcluſio probatur 1. ad hom. contra Ill. God.* Hæc eſt noſtra concluſio, & ante probationem communem, illam ſpecialiter ad hominem contra Ill. God. probo: terminus formalis *quo* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt, eſt terminus formalis *ad quem* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt; atqui terminus formalis *ad quem* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt, eſt vnio hypoſtatica: ergo vnio hypoſtatica eſt terminus formalis *quo* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt. Conſequentia eſt legitima, & evidens. Maior eſt Ill. God. *num.* 1. cuius doctrinam tranſcripſi *num.* 2. Minor verò, ad quam vnicè tota poteſt devolvi difficultas, probatur: terminus formalis *ad quem* Incarnationis, quatenus actio vnitiva eſt, eſt forma, quæ in Incarnatione producitur per actionem vnitivam; ſed vnio hypoſtatica eſt, quæ in Incarnatione producitur per actionē vnitivam: ergo, &c. Conſequentia optimè infertur. Ex præmiſſis autem maior ex terminis apparet, & primo patet per dicta *num.* 1. Patet ſecundo: nam ſi vnio non eſt terminus formalis *ad quem* actionis vnitivæ, aſsignetur mihi talis terminus *ad quem*? Minor eſt Ill. God. *num.* 2. cuius doctrina à nobis tranſcripta eſt *num.* 3. Quod autem ipſe reſpondere valeat ad hanc rationem videbimus *num.* 15. & per ſequentia reijciemus.

13 Probatur ſecundo concluſio retor-

quen-

Probat. 2. concl. retorquendo ipsius rationē.

quendo rationem Ill. Godoy : nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est forma terminum totalem illā terminantem constituens ; sed personalitas Verbi , vt humanitati vnita constituit, tanquam forma, terminum totalem actionis Incarnativæ, vnione solum , vt conditione ad constitutionem termini totalis se habente : ergo personalitas Verbi , vt vnita humanitati, est terminus formalis *quo* actionis Incarnativæ , vnione ingrediente , vt conditione. Consequentia est legitima. Maior est ipsius *n.* 13. Minor verò probatur: terminus *qui* totalis actionis Incarnativæ est homo , vt factus Verbum, seu homo, vt subsistens personalitate Verbi; sed huius concreti forma est personalitas Verbi humanitati vnita, vnione solum, vt conditione ingrediente ad illius constitutionem: ergo, &c. Retorsio facta est terminis ipsius Ill. God. ex ipsaque apparet: quod ratione illius attenta æquè defendi potest , quod personalitas Verbi est terminus formalis *quo* Incarnationis, quatenus actio est, quod negat, ac esse humanitatem, quod asserit.

14 *Probat. 3. concl.*

Probatur tertio conclusio : terminus formalis *quo* actionis vnitivæ est id, quod primo, & immediatè producitur ex vi talis actionis, sed vnio hypostatica est, quæ primo, & immediate producitur ex vi actionis vnitivæ: ergo vnio hypostatica est terminus formalis *quo* Incarnationis , vt actio vnitiva est. Consequētia est legitima. Minor probatur: actio Incarnativa est actio nova: ergo eius terminus formalis *quo* debet esse novus; sed nihil fit de novo, nisi vnio hypostatica: ergo, &c. Probatur sussumpta : nam in Christo tria duntaxat considerari possunt, scilicet, Divinitas, humanitas, & vnio hypostatica ; atqui Divinitas non fit de novo, cum sit increata , & humanitas non fit per actionem vnitivam , vt fatetur Ill. God. *n.* 2. ergo nihil fit de novo, nisi vnio hypostatica.

15 *Respondet Ill. God.*

Ad hanc rationē, etsi alitèr formatā, respondet Ill. God. *n.* 26. negando maiorē: nam terminus formalis generationis non est id, quod primo, & immediate producitur ex vi actionis generativæ ; anima enim rationalis est terminus formalis generationis hominis , quamvis non producatur per illam , & natura Divina est terminus formalis generationis Verbi , etsi per illam producta non sit , vt apud omnes est certum: ergo similitèr: terminus formalis actionis vnitivæ non est id, quod primo, & immediatè producitur ex vi actionis vnitivæ. Et hac responsione respondere etiam valet ad primā probationem, quam ad hominē contra ipsū formavimus; negabit itaque maiorē vltimi syllogismi.

16 *Impugnatur 1.*

Hæc tamē solutio impugnatur primo: terminus formalis *quo* Incarnationis , vt actio vnitiva est , est id, quod primo , & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergo vera est propositio, quā negat Ill. God. & consequēter nulla est illius solutio. Probatur antecedens: terminus formalis *quo* generationis, vt actio vnitiva est, est id, quod primo , & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergo, &c. Consequentia est paritate certa. Antecedens vero constat ex dictis *n.* 4. & probatur: terminus formalis *quo* generationis, vt actio vnitiva est, est vnio; sed vnio est , quod primo , & immediatè producitur ex vi generationis , vt actio vnitiva est: ergo, &c.

17 *Impug. 2.*

Impugnatur secundo prædicta solutio : Incarnatio, vt actio vnitiva est, habet terminū formalē *quo*, distinctū à termino formali *quo* Incarnationis, vt est productio totius cōpositi ; sed nisi vnio sit terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est, Incarnatio , vt actio vnitiva est, non habebit terminū formalē *quo*, distinctum à termino formali *quo* Incarnationis, vt est productio totius cōpositi : ergo vnio est terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est. Atqui vnio est quod primo , & immediatè producitur per actionē vnitivā, seu per Incarnationē, vt actio vnitiva est: ergo terminus formalis *quo* Incarnationis , vt actio vnitiva est, est id, quod primo, & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergo vera est propositio ab Ill. God. negata. Consequentia est legitima. Sussumpta est Ill. God. *n.* 2. & verū, quod ex illa illatū est. Ex præmissis autem minor est certa; alioquin assignet terminū formalē *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est, distinctum à termino formali *quo* Incarnationis , vt est productio totius compositi.

18 *Maior probatur* 1.

Probatur itaque maior. Primo: Incarnatio, vt actio vnitiva est, habet terminū formalē *qui*, distinctum à termino formali *qui* Incarnationis, vt est productio totius compositi: ergo, &c. Antecedens constat ex *n.* 5. *& seq.* Cōsequentia infertur. Probatur secundo: Incarnatio, vt actio vnitiva est, habet terminū formalē *quo*, distinctum à termino formali *quo* Incarnationis, vt est communicatio personalitatis Diuinę, & vt est humanatio: ergo similitèr. Antecedens constat ex dictis, & cōsequentia est paritate nottoria. Probatur tertio: generatio, vt est actio vnitiva, habet terminū formalē *quo*, distinctū à termino formali *quo* generationis, vt est productio totius compositi, vt diximus *num.* 4. ergo, &c.

Secundo.

Tertio.

19 *Impug.* 3.

Impugnatur tertio solutio Ill. God. exemplis ab ipso traditis: quod anima rationalis sit terminus formalis generationis hominis (idemque de natura Diuina respectu generationis Verbi) quamvis non producatur per illā, non obest, vt terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est, sit id, quod primo, & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergo solutio est nulla, & exempla non sunt ad rem.

Probatur antecedens 1.

Probatur antecedens primo: quod anima rationalis sit terminus formalis generationis hominis, quamvis nō producatur per illam, non obest, vt terminus formalis *quo* generationis, vt actio vnitiva est, sit id, quod primo, & immediatè producitur ex vitalis actionis: ergo, &c. Antecedens ex dictis apparet. Consequentia autem vi paritatis semper vrget.

20 *Prob.* 2.

Probatur secundo idē antecedens: quod anima rationalis sit terminus formalis generationis hominis, quāvis non producatur per illā, solū probat, quod terminus formalis *quo* Incarnationis, vt est productio totius compositi, non debeat per illā produci; sed hoc non obest, vt terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est, sit id, quod primo, & immediatè producitur ex vi talis actionis: ergo idē, quod prius. Cōsequentia est legitima. Minor patet exemplo generationis. Maior autē probatur: anima rationalis est terminus formalis generationis hominis, vt generatio est productio cōpositi hominis, vt dixim. *n.* 4. ergo.

21 *Prob.* 3.

Probatur tertio supra positū antecedens: quod anima rationalis sit terminus formalis generationis hominis, quamvis non producatur per illā, no probat: quod nullus terminus formalis *quo* cuiuscūque actionis producatur ex vi talis actionis: ergo. Consequentia videtur manifesta. Antecedēs costat ex dictis in generali *n.* 10. & in particulari exemplis traditis *n.* 4.

22 *Prob. denique conclusio.*

Probatur denique conclusio, præscindendo ab hoc, quod terminus formalis *quo* alicuius actionis producatur, vel nō producatur per talē actionē: terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est, est forma terminū formalē *qui* cōstituens; sed vnio constituit, tanquā forma, terminū *qui* Incarnationis, vt actio vnitiva est: ergo vnio est terminus formalis *quo* Incarnationis, vt actio vnitiva est. Consequentia est legitima; præmissæ autē indigent probatione. Maior ex inde constans videtur; nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est ille, ratione cuius terminus *qui* terminat talem actionē; sed ratione nullius melius potest terminare, quam ratione illius, quod ad eius constitutionem, tanquam forma, comparatur: ergo id, quod vt forma terminum *qui* alicuius actionis constituit, est terminus *quo* formalis respectu talis actionis. Minor probatur. Nam terminus *qui* Incarnationis, vt actio vnitiva est, vel est Verbum humanitati vnitum, vel humanitas Verbo vnita, vel vtrūque simul; atqui vtriusque concreti forma est vnio; nā vnio est forma constituēs extrema in esse vnitæ, vt apud omnes est certum: ergo vnio constituit tanquam forma terminum *qui* Incarnationis, vt actio vnitiva est.

§. II.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

23 *Arguit Ill. Godoy.*

COntra nostram conclusionem arguit Ill. God. *n.* 13. nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est forma terminum totalem illā terminantem constituens; sed humanitas, vt vnita Verbo, constituit tanquā forma terminum totalem actionis Incarnativæ, vnione solum, vt conditionē ad constitutionem termini totalis se habente: ergo humanitas, vt vnita Verbo, est terminus formalis *quo* actionis

In-

Incarnativæ, vnione ingrediente, vt conditione. Consecutio est legitima. Præmissæ autem indigent probatione. Maior ex inde constans videtur; nam terminus formalis *quo* alicuius actionis est ille, ratione cuius terminus *qui* terminat talem actionem; sed ratione nullius melius potest terminare, quā ratione illius, quod ad eius constitutionem, tanquam forma comparatur: ergo id, quod, vt forma terminum totalem *qui* alicuius actionis constituit, est terminus *quo* formalis respectu talis actionis. Minor autem probatur: nam terminus *qui* totalis actionis Incarnativæ est Verbum, vt factum homo; sed huius concreti forma est humanitas Verbo vnita, vnione solum, vt conditione, ingrediente ad illius constitutionem: ergo humanitas, vt vnita, est forma constituens terminum Incarnationis, vt actio, vnione, vt conditione, se habente.

24 *Respondeo 1.* Respondeo primo ad argumentum concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem distinguo maiorem: terminus *qui* totalis actionis Incarnativæ sumptæ pro productione compositi, est Verbum, vt factum homo omitto maiorem; sumptæ pro actione vnitiva nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens: ergo humanitas, vt vnita, est forma constituens terminum Incarnationis, vt est actio productiva compositi omitto consequens; vt est actio vnitiva nego consequentiam. Solutio claret ex dictis, & præsertim *num.* 22. vbi diximus, & declaravimus terminum formalem *quo*, & *qui* Incarnationis, vt est actio vnitiva.

25 *Respond. 2.* Respondeo secundo ad idem argumentum concessa maiori negando minorem, ad cuius probationem nego maiorem; nam vel loquitur Ill. God. de termino *qui* actionis Incarnativæ, vt actio vnitiva est; vel loquitur de termino actionis Incarnativæ, vt est productio compositi? Si loquitur de termino *qui* actionis Incarnativæ, vt actio vnitiva est, falsa est prædicta maior; cuius falsitas constat ex hucusque dictis. Si loquitur de termino *qui* actionis Incarnativę, vt est productio compositi, etiam est falsa; nam terminus *qui* huius actionis non est Verbum, vt factum homo præcisè, sed etiam homo, vt factus Verbum, vt constat ex dictis *num.* 6. *& sequentibus*, ex quibus etiam consequenter apparet, quod terminus formalis *quo* actionis prædictæ est personalitas Verbi, vt vnita humanitati, & humanitas, vt vnita personalitati Verbi, vnione solum, vt conditione, ingrediente.

26 *Declaratur falsitas opinionis Ill. Godoy.* Ex hac duplici solutione manifestè apparet falsitas opinionis Ill. Godoy in quocumque sensu loquatur; nam si loquitur de Incarnatione, vt actio vnitiva est, in quo sensu debet loqui, vt consequenter loquatur ad ab ipso dicta *num.* 1. omnino falsa est illius opinio, vt ex nostris claret probationibus; si verò loquatur de Incarnatione, vt est actio productiva compositi, quomodo videtur loqui in probatione suæ conclusionis, licèt absolutè falsa non sit opinio illius; est tamen diminuta, vt constat ex à nobis traditis *à num.* 6. *Vsque ad num.* 10. per quæ omnia retorsiones contra Ill. God. formentur, ne dicta repetamus.

27 *Replicabis cum doctrina Ill. God.* Replicabis tamen cum doctrina ipsius *num.* 22. actio Incarnativa, vt est actio vnitiva, & vt est productio compositi, non est diversæ speciei; sed si, vt est actio vnitiva, & vt est productio compositi, haberet terminos specie distinctos, actio Incarnativa non posset esse eiusdem speciei: ergo actio Incarnativa, vt est actio vnitiva, & vt est productio compositi, non habet terminos distinctos. Maior patet: nam actio Incarnativa est vna, & eadem actio. Minor verò probatur: nam specificatio actionis sumitur à termino formali: ergo, &c.

28 *Respondeo 1.* Respondeo primo negando maiorem, & distinguendo probationem: actio Incarnativa, adæquatè considerata, est vna, & eadem actio concedo; inadæquatè considerata nego. Ex quo distinguo minorem: si actio Incarnativa, vt est actio vnitiva, & vt est productio compositi, haberet terminos specie distinctos, actio Incarnativa, inadæquatè considerata, non posset esse eiusdem speciei concedo minorem; adæquatè considerata nego minorem; & ratio sumitur ex illius probatione: nam specificatio actionis sumitur à termino formali: ergo vbi fuerint distincti termini formales, ibi erunt actiones specificè distinctæ.

Atqui terminus formalis actionis Incarnativæ, vt est actio vnitiva, est distinctus à termino formali actionis Incarnativæ, vt est productio compositi, vt ex dictis claret: ergo actio Incarnativa, vt est actio vnitiva, & vt est productio compositi, non est eiusdem speciei.

29 *Respond. 2. retorquēdo.* Respondeo secundo replicam retorquendo: actio generativa, vt est eductio, vnitio, & productio compositi, non est diversæ speciei; sed si, vt est eductio, vnitio, & productio compositi, haberet terminos specie distinctos, actio generativa non esset eiusdem speciei: ergo actio generativa, vt est eductio, vnitio, & productio compositi, nō habet terminos distinctos. Maior patet: nam actio generativa est vna, & eadem actio. Minor verò probatur: nam specificatio actionis sumitur à termino formali: ergo, &c. Responsio ad hanc retorsionem erit ad replicam solutio.

30 *Incarnatio est mutatio.* III. Godoy aliud in favorem suæ conclusionis nō adducit: *num. tamē* 34. tradit corollarium circa terminum *à quo* Incarnationis, & licèt in substantia oppositionem non habeamus, iuxta dicta debemus procedere, sicut ipse facit, supponendo cum ipso, quod Incarnatio non motus, sed mutatio est, vel quod Incarnatio non motum, sed mutationem infert; vndè non inter terminos positivos, sed inter positivum, & privativum, vel negativum petit versari, sicuti omnis mutatio non inter terminos positivos, sed inter positivum, & privativum, vel negativum versatur, per hoc enim mutatio distinguitur à motu. Hoc enim præhabito facilitèr est intelligere, quis sit terminus *à quo* Incarnationis.

31 *Corollariū.* Dico igitur, quod terminus *à quo* Incarnationis, comparatione facta ad terminum *qui*, est negatio termini *qui*.

Prob. 1. Probatur primo: Incarnatio est actio, non inter extrema positiva contraria, quorum vnum alterum excludat, vti est productio caloris in aqua frigida: ergo est inter extrema contradictoriè opposita. Atqui non inter privationem, & positivum: ergo inter negationem, & positivum: ergo terminus *à quo* illius est negatio termini *qui*. Probatur sussumpta: privatio est carentia in subiecto apto nato ad habendam formam; sed subiectum Incarnationis, quomodocunque consideratum, non est aptum natum ad habendam formam: ergo Incarnatio est actio non inter privationem, & positivum. Probatur minor: subiectum Incarnationis, vt est communicatio, est personalitas Verbi; & vt est humanatio, est humanitas, vt est productio compositi, est personalitas, & humanitas (vt verò est vnitio non habet subiectum) sed nec personalitas est nata ad habendam humanitatem, nec humanitas ad personalitatem habendam: ergo, &c.

32 *Prob. 2.* Ex his probatur secundo positivè corollarium: Incarnatio est intèr extrema contradictoriè opposita; sed hæc sunt positivum, & negatio: ergo negatio est terminus *à quo*. Probatur minor: negatio, vel non dicit subiectum, vt in creatione, vel si dicit subiectum, hoc non est aptum natum, ad habendam formam; atqui carentia terminorū *qui* Incarnationis, vel non dicit subiectum, vt est carentia vnionis in Incarnatione, accepta vt vnitio est; vel si dicit subiectum, nullum est aptum natum ad habendam formam: ergo extrema contradictoriè opposita, inter quæ versatur Incarnatio, sunt positivum, & negatio.

33 *Dices.* Dices: negatio extra subiectum est terminus *à quo* creationis duntaxat; sed Incarnatio non est actio creativa: ergo non habet talem terminum *à quo*.

Respond. 1. Respondeo primo negando maiorem; quia quandocumque in aliquo subiecto producitur, vel produceretur terminus *qui*, per quem excluderetur negatio, negatio erit terminus *à quo*.

Secundo. Respondeo secundo: posse negari minorem, in quo nihil dissonum negaretur. Quia, vt ait Franciscus Felix de *Incarnat cap. 5. diffic. 4. in fin.* si dicamus, productionem vnionis esse creationem, nihil dissonum dicemus.

34 *Explicatur terminus à quo Incarnationis.* Ex his denique colligitur, quod terminus *à quo* Incarnationis, comparatione facta ad terminum formalem *quo*, est negatio termini formalis *quo*, quod eodemmodo probatur, ac probatum manet de termino *à quo* comparativè ad terminum *qui*. Vndè terminus *à quo* Incarnationis, provt est communicatio personalitatis Verbi

com-

comparativè ad terminum *qui*, est negatio huius concreti, *homo factus est Verbum*; provt est humanatio, est negatio huius concreti, *Verbum factum est homo*; provt est productio compositi, est negatio vtriusque concreti; & denique provt est vnitio, est negatio extremorum, vt vnitorum reduplicativè. Comparativè verò ad terminum formalem *quo*, terminus *à quo* Incarnationis, provt est communicatio personalitatis Verbi, est negatio prædictæ personalitatis, nō entitativè sumptæ, sed vnitivè, hoc est, vt vnitę humanitati; provt est humanatio, est negatio humanitatis, eodemmodo acceptæ; provt est productio compositi, est negatio personalitatis Verbi, & humanitatis prædicto modo vtraque sumpta. Deniquè provt est vnitio, est negatio vnionis. Ex his etiam infertur: quod Incarnatio, vt est actio vnitiva, dicit pro formali vnionem; & alio quocumquemodo capta vnionem dicit de connotato. Et hæc de ista disputatione, quæ applicari potest litteræ Magistri, vbi disputatio præcedens.

DISPVTATIO DECIMA TERTIA.

An Patres antiqui Incarnationis substantiam ex congruo meruerint?

§. I.

Quibusdam præsuppositis, referuntur sententiæ, vera eligitur, & ratione Scoti probatur.

Num. 1

1. *Suppositum.*

IN hac disputatione, vt omnino certum, & indubitatum supponimus, Antiquos Patres non meruisse de condigno substantiam Incarnationis. Quod patet primo ex illis verbis Pauli ad Titum capit. 3. *Cum autem apparuerit benignitas, & humanitas Salvatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Si autem existentiam Christi, qui fuit nostræ salutis initium, & Author, Antiqui Patres merito condigno meruissent, salus nostra ex operibus iustitiæ esset facta, cum id, quod ex merito condigno fit, ex iustitia fieri dicatur; sicut gloria operibus iustorum de cōdigno promerita corona iustitiæ dicitur. Non ergo meruerunt antiqui Patres de condigno substantiam Incarnationis.

Patet 1.

2

Secundo patet: nam Incarnatio fuit omnium maxima gratiarum, quas Deus hominibus sua largitate concessit non solum in perfectione entitativa; sed etiam in ratione gratiæ, vt diximus *disputatione* 11. *numer.* 133. *Vsque ad num.* 139. & fatetur D. Augustinus 1. *de Trinit. cap.* 19. dicente: *In rebus per tempus actis illa est summa gratia, quod homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.* Quod verum esse non posset, si antiquorum Patrum opera illam condignè meruissent, cum Deus non liberalitèr, sed ex iustitia obligatus, Incarnationem operatus fuisset, contra illud Pauli ad Ephesios *cap.* 2. *Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati, &c.* Asserendum ergo est, antiquorum Patrum opera de facto non meruisse de condigno substantiam Incarnationis.

Patet 2.

3

Patet tertio ratione: nam nullum opus Patrum fuit eiusdem valoris cum substantia Incarnationis: ergo nullum fuit meritorium eiusdem de condigno. Consequentia patet: nam condignitas præmij consistit in æqualitate ad præmium. Antecedens verò probatur: opera SS. Patrum non erat in ordine vnionis hypostaticæ, nec processerunt ex gratia æquali; cum gratia vnionis hypostaticæ sit

Patet 3.

ſumma poſitivè, qualis non fuit gratia SS. Patrum: ergo nullum opus Patrum fuit eiuſdem valoris cum ſubſtantia Incarnationis. Deniquè: Incarnatio quoad ſubſtantiam fuit prævisſa ante præſtientiam meritorum Patrum: ergo Incarnatio quoad ſubſtantiam non fuit præmium eorum, & conſequentèr Patres non meruerunt de condigno ſubſtantiam Incarnationis.

4 *Nec potuerunt de potentia abſoluta.*

An autem de potentia abſoluta potuerit Incarnatio quoad ſubſtantiam cadere ſub merito condigno operum puræ creaturæ? diſsidium eſt inter Theologos, & licèt non deſit, qui affirmativè reſpondeat; reſponſio tamen negativa eſt inter Theologos communiſsima, quam amplectitur Ill. Godoy *num.* 2. & merito quidem. Primo: quia, vt diximus *num. antec.* ad meritum condignum requiritur æqualitas inter meritum, & præmium in morali æſtimatione; ſed nullum opus puræ creaturæ potuit eſſe æquale cum ſubſtantia Incarnationis in morali æſtimatione: ergo nullum opus puræ creaturæ condignè potuit promereri ſubſtantiam Incarnationis etiam de potentia abſoluta. Maior cum conſequentia tenet. Minor vero probatur: nullum opus puræ creaturæ poteſt eſſe in ordine vnionis hypoſtaticæ; alioquin non eſſet opus puræ creaturæ, nec poteſt procedere ex gratia æquali in morali æſtimatione: ergo, &c.

Probatur 1.

5 *Probat. 2.*

Secundo: quia merita Chriſti Domini non excedunt in morali æſtimatione, nec in valore meritorio Incarnationem Patris, vt præmium, ſed ſolum cum illa adæquantur; ſed nullius puræ creaturæ factæ, aut factibilis opera poſſunt operationes Chriſti in valore meritorio adæquare: ergo nec poſſunt adæquare in mortali æſtimatione Incarnationem Patris, vt præmium; ac proinde nec poſſunt adæquari cum Incarnatione Verbi, quæ cum Incarnatione Patris in morali æſtimabilitate adæquatur.

6 *Dices.*

Dices: Deus potuit promittere ſubſtantiam Incarnationis ſub conditione alicuius operis oneroſi puræ creaturæ illam ad impleturæ; ſed promiſsio ſub conditione operis oneroſi inducit in promittente obligationem iuſtitiæ, ad impleta conditione: ergo potuit eſſe debita operi puræ creaturę Incarnatio quo ad ſubſtantiam: ergo de potentia abſoluta potuit Incarnatio quoad ſubſtantiam cadere ſub merito condigno operis puræ creaturæ. Reſpondeo diſtinguendo maiorem: Deus potuit promittere ſubſtantiam Incarnationis ſub conditione alicuius operis oneroſi puræ creaturę abſolutè omitto maiorem; ſub conditione alicuius operis oneroſi, & condigni nego maiorem; diſtinguoque minorem: ſed promiſsio ſub conditione operis oneroſi abſolutè inducit in promittente obligationem iuſtitiæ, adimpleta conditione nego minorem; ſub conditione operis oneroſi, & condigni omitto minorem (quomodo enim ſit vera, oſtendimus *diſp. 7. num.* 81.) & diſtinguo conſequens: ergo Incarnatio quoad ſubſtantiam potuit eſſe debita operi puræ creaturæ, debito orto ex fidelitate, vel ex alio titulo prætèr condignitatē omitto conſequens; debito orto ex eōdignitate operis nego conſequentiā, & ſubillatam.

Reſpondeo.

Itaquè: licèt Deus potuiſſet promittere Incarnationem quo ad ſubſtantiam ſub conditione alicuius operis oneroſi à pura creatura exhibendi abſolutè loquendo; nunquam tamen potuit illam promittere ſub conditione alicuius operis oneroſi, & condigno, ſeu æqualis à pura creatura exhibendi, ob repugnantiam, quā habet creatura pura ad tale opus condignū exhibendum, vt ex noſtris claret rationibus. Vndè nunquam Incarnatio quoad ſubſtantiam eſſet debita debito condignitatis operi purę creaturę, & multo minus eſſet debita debito iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ; cum ad hoc, vt promiſsio ſub conditione operis oneroſi inducat in promittente obligationem iuſtitiæ ſtrictè ſumptæ, ad impleta conditione, requiratur, quod opus ſit condignum, & æquale, vt omnes communitèr fatentur, & tenet Ill. Godoy *diſput. 7. num.* 8 licèt hoc non ſufficiat, vt contra ipſum oſtendimus *diſputat. cit n* 81. *& ſequent.*

7 *Declaratur ſolutio.*

Secundo exploratum eſt apud Theologos: Patres antiquos meruiſſe de congruo circunſtantias Incarnationis, quæ ſunt in triplici differentia,

8 *Meruerunt circunſtantias Incarnationis.*

vt

vt communiter asserunt Authores. Prima est, quod Christus secundum carnem descenderit de Tribu Iuda ex progenie David. Secunda: acceleratio temporis, vt quod in hoc tempore, & non in longiori, veniret. Tertio: vt viderent, & anuntiarent Incarnationem. Has igitur circunstantias Patres antiquos de congruo meruisse, videbimus de qualibet in particulari, & de omnibus in communi probando. In communi namquè probatur: nam omnes prædictæ circunstantiæ sunt extrinsicæ Incarnationi: ergo illas potuerunt Patres Sancti de congruo mereri: ergo & de facto sic meruerunt. Hoc tamen magis clarebit ex probationibus in particulari.

9 1. *Circunstantiam meruisse probatur.*

Probatur itaquè prima Incarnationis circunstantia ex illis verbis Genesis *cap. 22. Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, benedicentur in semine tuo omnes gentes.* Quæ promissio explicatur à Paulo de Christo ad Galat. *6. cap.* ibi: *In semine tuo, quod est Christus.* Et quod fundetur in merito, constat ex illa causali: *Quia fecisti rem hanc, &c.* Et similis promissio 2. Reg. 7. facta fuit Davidi, illis verbis: *Stabiliam Thronũ Regni eius vsque in sempiternum*, nempè, in Christo, Davidis filio. Quæ promissio etiam nitebatur in meritis, scilicèt, propterea, quod David proposuerat, animoque conceperat domum Domino ædificare. Meruerunt ergo de congruo Habrahamus, & David generis circunstantiam, idest, quod ex illorum semine, media Virgine, nasceretur Christus.

10 2. *Prob.*

Secunda Incarnationis circunstantia probatur ex Psalmo 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Vbi ly *propter* denotat causam meritoriam, & ly *nunc* accelerationem temporis, quam Patres petebant: ergo miseria pauperum, oratio, & suspiria Patrum meruerunt saltim de congruo accelerationem Incarnationis, seu quod in tali tempore, & non in longiori veniret. Confirmatur: nam Sancti Patres dicebant: *O sapientia! Veni ad docendum nos viam prudentiæ; veni ad liberandum nos; iam noli tardare*; sed illa suspiria habebant rationem meriti de cõgruo respectu adventus Christi, & Incarnationis accelerationis: ergo de cogruo

Confirm.

meruernnt Sancti Patres accelerationem Incarnationis.

11 *Si Dicas.*

Si autem dicas contra hanc circunstantiam: ex illa sequi, prædestinationem Christi esse mutatam, quod est absurdum. Respondeo negando sequelam; quia Deus prius decrevit Incarnationem quoad substantiam; & in alio signo posteriori prævidens merita Patrũ decrevit tempus, quod longius fortè decerneret, si merita Patrum non videret. Sed replicabis contra solutionem: ergo merita Patrum fuerunt priùs prævisa, quam Incarnatio: ergo merita Patrum habita non fuerunt ex meritis Christi, quod est falsum. Respondeo distinguendo primum consequens: ergo merita Patrum fuerunt priùs prævisa, quam Incarnatio, quoad tempus cõcedo consequentiam; quoad substantiam nego consequentiam, & subsequentem. Si adhuc dicas: decernere Incarnationem quoad tempus post prævisa merita Patrum est imperfectio; nam perfectio petit, vt simul tempus prædefiniatur: ergo merita Patrum non fuerunt prævisa priùs, quam Incarnatio quoad tempus. Respondeo negando antecedens cum probatione; quia cum tempus sit diversum obiectum, petit diversum signum.

Respondeo.

Replicabis.

Respondeo.

Si instes.

Respondeo.

12 3. *Circunstantia probatur.*

Tertia Incarnationis circunstantia probatur: illam namquè de facto meruerunt Simeon, & Ana Prophetissa, quæ simul cum Simeone cognovit Christũ in templo, quando fuit oblatus, vt colligitur ex Luca *capit. 2. & anuntiavit quis esset*, texte Ambros. *in Lucam cap. de Simeone, & Ana*: ergo meruerunt de congruo hanc circunstantiam. An autem circunstantias prædictas Patres de condigno meruerint? Dubitant Theologi, & existimo esse negativæ parti adhærendum, vti adhæsit III. God. *num 3.*

13 *Potuerunt de potentia absoluta substantiam Incarnationis mereri de congruo.*

Tertio ex communi Theologorum consensu supponimus: potuisse de potentia absoluta mereri de congruo antiquos Patres substantiam Incarnationis; potuit enim contingere, vt Incarnatio nõ decerneretur à Deo ante prævisa bona opera SS. Patrũ in gratia facta, & in Dei amicitia fundata, & intuitu talium operum, & precum Verbi Incarnationem postullantium, illius exitentia decerni, cum

huius-

huiusmodi opera nullam dependentiam ex natura rei habeant à decreto Incarnationis, & consequentèr potuerunt tale decretum præcedere; sed tunc casus nihil his operibus deesset, vt de congruo mereretur substantiam Incarnationis: tum; quia æqualitas, quæ his operibus deficit, necessaria ad meritum congruum non est; cum meritum condignum, & congruum per æqualitatem potissimè distinguãtur; quia, nempè, condignum meritum moraliter adæquatur cum præmio; secus autem meritum congruũ. Tum etiam; quia, vt dicit D. Thom. cui omnes Theologi consentiunt, congruum est, vt amicus aliquid ab amico petens audiatur, & consequentèr amicus ab amico petens de congruo meretur audiri, illique postullata concedi: ergo potuit de potentia absoluta contingere, vt antiqui Patres suis bonis operibus substantiam Incarnationis à Deo postullantes, illam mererentur de congruo.

14 1. *Sẽtentia.* His brevitèr prælibatis, præsens difficultas consistit in eo, an, scilicèt, hoc ordine rerum suppositio, in quo gratia omnis fuit antiquis Patribus data intuitu Christi venturi, & consequentèr opera ab ipsis elicita supposuerunt decretũ de Incarnatione facienda, & de Verbo in carne mittendo, huiusmodi opera fuerint meritoria de congruo Incarnationis Verbi quoad substantiam. Affirmativam sententiam tenet Ill. Godoy *num.* 9. dicens: substantiam Incarnationis meruisse antiquos Patres merito congruo, non quidem, vt primo intentam à Deo, sed vt executioni mandatam. *Ill. God.*

15 2. *Sẽtentia à nobis pro conclusione statuitur, & paob. 1. Scotus.* Secunda sententia per extremum opposita est negativa, & docet: quod Patres antiqui, nec meruerunt, nec mereri potuerunt de potentia Dei absoluta Incarnationem quoad substantiam, adhuc merito congruo, hoc ordine rerum suppositio. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. § *ad* 1. *argum.* vbi negat Beatissimam Virginem id meruisse his verbis: *Quia si tempore conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis, sed fortè accelerationis.* Quæ sententia à nobis pro conclusione statuitur, & ratione Doctoris Subtilis probatur. Primo: principium meriti, nec cadit, nec cadere potest sub merito adhuc congruo; sed Incarnatio est principium meritorum Patrũ, hoc ordine rerum suppositio: ergo talia merita, nec meruerunt, nec mereri potuerunt Incarnationem de congruo, hoc ordine rerũ suppositio. Maior est apud Theologos certa; alioquin daretur mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, quia principium meriti effectivè moraliter concurrit ad meritum. Vndè si sub merito caderet, moraliter effectivè causaretur ab illo, quod est impossibile, ideòque tenent omnes Theologi, quod prima gratia sub merito cadere nequit, quia est principium merendi. Minor apud omnes est certa. Consequentia legitima.

16 Ad hoc Scoti fundamentum, quod est absque dubio difficile, vt fatetur Ill. God. *num.* 31. variè respondent adversarij, quorum solutiones tradit, & optimè reijcit *à dicto num.* 31. *vsque ad* 75. Videantur in ipso; nosque eius solutionem videamus, & impugnemus. Pro quo sit.

§. II.

Solutio Ill. Godoy proponitur, & impugnatur.

17 *Respondet Ill. God.* REspondet itaquè Ill. God. *num.* 76. distinguendo maiorem: principium meriti, nec cadit, nec cadere potest sub merito, sub ea ratione, & statu, in quo est principium merendi concedit maiorem; sub alia ratione, & statu, in quo principium merendi non est, negat maiorem, & distinguit minorem: Incarnatio est principium meriti antiquorum Patrum, vt prævisa, in vi decreti intentivi concedit minorem; vt existens in executione, & provt subest decreto Dei executivo negat minorem, & distinguit consequens: non potest sub merito antiquorum Patrum cadere, provt subest decreto intentivo concedit consequentiam; provt in re executa, & provt subest decreto Dei executivo negat consequentiam.

18 *Explicat solutionem.* Quam solutionem explicat, & parificat *num cit.* nam sicut gloriã consideramus, provt subest decreto intentivo, qua ratione sub merito iustorũ non cadit, & provt terminat decretũ executivum, qualitèr sub iustorum meritis comprehenditur, & est coro-

na iustitiæ: ita Incarnatio Verbi, quatenus primo intenta, est principium meriti antiquorum Patrum, & provt sic sub illorum merito nō cadit; provt autem subest ordini executionis, seu decreto executivo Dei, principiū meriti antiquorum Patrum non est, & sic sumpta sub illorum merito fuit comprehensa.

19 *Si Arguas.* Si autem contra hanc solutionem arguas: vt merita Christi causent meritoriè gratiam antiquorum Patrum, requiritur, quod decretū executivum Incarnationis præcedat decretū executivum gratiæ antiquis Patribus datæ; sed cum hoc stare nō potest, quod Incarnatio sub illorum merito cadat: ergo non promeruerunt substantiam Incarnationis. Consequentia tenet. Minor constat: non enim mereri possunt Incarnationem, quatenus executam, nisi merendo decretum executivum Incarnationis, Deumque ad illud movendo; hoc autem promereri non possunt, si ad illorum gratiam, & opera supponatur; sicut ideo intentivum Incarnationis decretū non promerentur, quia tale decretum supponunt, & ex illo procedunt: ergo si gratia, & merita antiquorum Patrum supponunt decretum executivum Incarnationis, nequeunt mereri substātiā Incarnationis quatenus executā.

Maior probatur: etenim merita Christi non possunt meritoriè causare, nec Deum ad præmiandum movere, nisi vt visa notitia intuitiva, & vt sic præcedentia præmium illorum intuitu conferendum; meritum enim non causat meritoriè, provt præcisè existit in intentione, sed quatenus videtur in re; sed non possunt prævideri merita Christi, vt existentia, nisi prævideatur decretum illorum executivum, cum medio tali decreto existentiam accipiant: ergo, &c.

20 *Respondet.* Respondet *num.* 78. negando maiorem, ad illius probationem concessa maiori, & minori, negat consequentiam; aliud enim est prævisionem Incarnationis, & meritorum Christi præcedere decretum executivum gratiæ Patrum antiquorum; & aliud, quod existentia ipsa Incarnationis, & meritorum Christi prævideatur, vt præcedens existentiam gratiæ antiquis Patribus datæ: hoc secundum non requiritur, vt sit præmium meritorum Christi, primum autem necessarium est: vt vero prævisio Incarnationis, & meritorum Christi, non vt præexistentium, sed vt post existentium, præcedat decretum executivum gratiæ antiquis Patribus datæ, sufficit, quod præcedat prævisio decreti executivi Incarnationis, vt existentis post decretum executivum gratiæ Patrum antiquorum; ac proindè, vt hæc gratia cadat sub meritis Christi, necessarium non est, quod decretum executivum illorum decretum executivum gratiæ antiquorum Patrum præcedat.

21 *Si instes.* Si verò in ipsum instes: præcedit visio intuitiva decreti executivi Incarnationis decretum executivū gratiæ antiquis Patribus datæ; sed obiectum notitiæ intuitivæ est res, vt existens pro eodem instanti notitiæ: ergo decretum ipsum executivum Incarnationis præcedit decretum executivum gratiæ Patrum antiquorum.

22 *Respondet.* Respondet *num.* 79. concessa maiori distinguendo minorem: obiectum notitiæ intuitivæ est res, vt existens, pro instanti, *in quo* notitiæ concedit minorem; pro eodem instanti, *à quo* negat minorem, & consequentiam; quia vt visio decreti exequentis intuitiva sit illius, necessariū non est, quod decretum ipsum existat pro priori *à quo* notitiæ, sed sufficit, quod existat in eodem instanti reali pro alio signo posteriori naturæ, vel originis.

Quod patet in notitia, ex qua Divinum Verbum procedit; est enim intuitiva Spiritus Sancti, & consequentèr notitia Spiritus Sancti intnitiva prior est Verbo producto prioritate *à quo* originis, & tamen, nec Spiritus Sanctus, nec productio illius existunt pro priori notitiæ, sed solū in eodem instanti reali pro alio posteriori originis; aliàs Verbum procederet ab Spiritu Sancto, quod hæreticum est: ergo ex eo, quod visio intuitiva decreti executivi Incarnationis præcedat decretum executivum gratiæ antiquis Patribus datæ, non sequitur, ipsum decretum executivum Incarnationis decretum executivū gratiæ præcedere. Et ratio est: quia præcedentia illa non *in quo*, sed *à quo*: in quo genere præcedentiæ stat benè, intui-

tivam notitiam alicuius obiecti præcedere, quin obiectum talis notitiæ præcedat.

23 *Tacitæ impugnationes.*

Sed quid quid sit de hac doctrina Ill. Godoy, quæ in nostra opinione omnino falsa est, vt satis constat ex dictis *tom. 3. in 1. sent. disput. 89.* vbi diximus, Verbum non procedere ex cognitione Spiritus Sancti, eo, quod intuitiva esse non posset, & licèt ibi dicta sint impugnationes huius solutionis Ill. God. illis in præsenti non vtor, licèt ibi videndas relinquo, & alijs vijs clarioribus ex dictis in præsenti ab ipso solutionem principalem illius impugnabo.

24 *Impugnatur 1. solutio.*

Impugnatur primo solutio Ill. God. vt Incarnatio causet, vt de facto causat merita, & gratiam Sanctis Patribus collatam, requiritur, quod decretum executivum Incarnationis præcedat decretum executivum meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ: ergo Incarnatio non solum in intentione, sed etiam in executione est principium meriti: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: Incarnatio de facto non solum est principium finale, sed etiam principium effectivum morale meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ; sed nequit, vt principium effectivum morale causare merita, & gratiam Sanctis Patribus collatam, quin decretum executivum Incarnationis præcedat decretum executivum meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ: ergo, &c. Consequentia legitima apparet. Præmittę autē sunt probandæ. Ex quibus.

25 *Responsio relata ab Ill. God.*

Maior est expræssa Ill. Godoy, & vt illius verbis vtar, illius verba transcrivo. Hæc enim habet *num. 44.* Quidam, quos sine nomine referunt Vazquez, & Lorca, *vbi suprà*, occurrunt argumento facto asserendo: *Principium effectivum meriti non posse sub merito cadere, quia inter duo mutua causalitas in eodem genere causæ repugnat. Quòd autem principium meriti, quod illud causat in genere causæ finalis, sub eodem merito cadat, & ab illo causetur in genere causæ efficientis moralis, nulla ratione repugnat. Tum; quia iam non intercedit mutua causalitas in eodem genere causæ, sed in diverso. Tum etiam; quia licèt mutua causalitas in alijs causarum generibus negetur à pluribus, in genere causæ efficientis, & finalis posse mutuam inter duo causalitatem intercedere, nullus, quem viderim, negat. Tum denique; nam gloria, quæ est nostrorum meritorum finis, ab eisdem meritoriè causatur, Incarnatio autem, inquiunt præfatæ solutionis Authores, non in genere causæ efficientis moralis, sed in genere causæ finalis fuit principium meriti, & gratiæ antiquorum Patrum; ideòque potuit ab eisdem causari in genere causæ moralis efficientis & sub illorum merito cadere.* Hanc solutionem præter innominatos illos Authores, etiam dedit Ill. Araujo *vbi sup.*

26 *Doctrina Ill. Godoy contra illā.*

Hanc itaque responsionem dupliciter reijcit Ill. God. Primo namquè *num. 50.* his verbis: *Cæterum obstat primo D. Thomas in hac quæstione artic. 11. in corpore, vbi, vt probet: Incarnationem sub condigno merito operum antiquorum Patrum non cadere, sic arguit secundo: Gratia non potest cadere sub merito, quia est meretidi principium: vndè multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ secundum illud Ioan. gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Hæc D. Thom. Ex quibus contra prædictum modum dicendi tale argumentum conficit: quod principium finale cadat sub merito condigno operis precedentis ex gratia, quam finalizat, causatque in genere causæ finalis, inconveniens non est, vt constat in gloria, quæ est finis gratiæ, & meritorum procedentium ex illa, & tamen ab illis meritoriè de condigno causatur, iusti enim bonis operibus in Deo factis gloriam condignè merentur; sed D. Thomas ex eo, quod Incarnatio est principium omnis gratiæ antiquis Patribus datæ, infert, non potuisse cadere sub merito illorum condigno: ergo manifestè sentit: Incarnationem fuisse principium, non solum finale, sed etiam effectivum morale meritorum, & gratiæ SS. Patribus collatæ; aliàs argumentum, quo probat: non potuisse Incarnationem sub merito condigno antiquorum Patrum cadere, omnino inefficax esset.*

27 *Doctrina eiusdem.*

Secundo illam reijcit *num. 51* his verbis: *Facit contra eandem doctrinam secundo; nam Christus cum proprietate antiquos Patres à culpa redemit; aliàs non fuisset vniversalis omnium Redemptor: ergo propriè satisfecit pro illis, proprièque illis gratiam peccatorum remissivam promeruit. Patet hæc consequentia: nam redemit mediante satisfactione, & merito: ergo si propriè redemit antiquos Patres à culpa, propriè satisfecit pro illis, & propriè gratiam remissivam illis promeruit; sed ratione solius causalitatis finalis non potest salvari cum proprietate, quod Christus pro antiquis Patribus satisfecerit, &*

illis

illis gratiam remissivam peccati meruerit; mereri enim, & satisfacere, si propriè accipiantur, vt debent, genus efficientiæ moralis important: ergo non solum finalitèr, sed etiam efficienter moralitèr in gratiam antiquorum Patrum Christus influxit. Quod amplius Vrgetur: *si nāquè Deus non esset causa efficiens, sed tantum finalis nostræ salutis, licèt posset cum proprietate dici finis nostræ salvationis; non tamen posset dici cum proprietate salvator: ergo si Christus solum finalitèr gratiam remissivam peccati antiquorum Patrum causavit, licèt possit dici finis Redemptionis illorum, non tamen poterit cum proprietate dici Redemptor antiquorum Patrum.*

28 *Probatur minor ex verbis D. Thom.*

Ex his itaque maiorem prædictam esse Ill. God. expræssam, manifestè apparet. Minor autem probatur ex verbis D. Thomæ, ex quibus tale contra Ill. God. argumentum conficio: quod principiū finale, & effectivum morale in vi decreti intentivi cadat sub merito operis procedētis ex gratia, quam finalizat, causatque in genere causæ finalis, & efficientis in vi decreti intentivi, inconveniens non est; sed D. Thomas ex eo, quod Incarnatio est principium omnis gratiæ antiquis Patribus datæ, infert, non potuisse cadere sub merito illorum condigno: ergo manifestè sentit: Incarnationem fuisse principium effectivum morale meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ, non solum in vi decreti intentivi, sed etiam executivi: ergo nequit Incarnatio, vt principium effectivum morale, causare merita, & gratiam Sanctis Patribus collatam, quin decretum executivum Incarnationis præcedat decretū executivum meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ.

29

Hæc secunda consequentia, ex prima infertur. Prima autem eadem veritate gaudet, ac consequentia illata ab Ill. God. ex verbis D. Thomæ ob eandem rationem; alioquin argumētum, quo D. Thom. probat, non potuisse Incarnationē sub merito condigno antiquorum Patrum cadere, omnino inefficax esset. Minor est Ill. God. ex D. Thoma in terminis tradita. Maior autem est opinio Ill. God. *in præs. disp.* & ostenditur: nam iuxta ipsum Incarnatio est principium finale, & effectivum morale in vi decreti intentivi meritorum, & gratiæ Sanctis Patribus collatæ; sed Incarnatio cadit sub meritis Patrum procedentibus ex gratia, quam Incarnatio finalizat, causatque in genere causæ finalis, & efficientis in vi decreti intētivi: ergo quod principiū finale, &c.

30 *Impugnatur 2.*

Impugnatur secundo prædicta solutio Ill. God. Incarnatio est principiū efficiens morale meriti antiquorum Patrum, vt prævisa in vi decreti intentivi: ergo merita Petrum antiquorum nequeunt esse principium efficiens morale Incarnationis, vt prævisa in vi decreti intentivi: ergo nec vt prævisa in vi decreti executivi possunt esse principium efficiens morale Incarnationis: ergo nulla est allata solutio. Antecedens est Ill. God. Prima consequentia est manifesta; nam repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, & in eodem ordine. Secunda verò probatur: ideò merita antiquorum Patrum nequeunt esse principium efficiens morale Incarnationis, vt prævisa in vi decreti intentivi, quia cum Incarnatio sit principiū efficiens morale meriti antiquorum Patrum, vt prævisa in vi decreti intentivi, daretur mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, & in eodem ordine, quod repugnat; atqui etiam repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, etsi in diverso ordine: ergo merita Patrum, &c. Maior cum consequentia tenet. Minor autem, præterquam quod est commune Phylosophorum axioma, ostenditur paritate cæterarū causarum; nam causa materialis (idem de formali, & finali) in ordine intentionis nequit esse effectus materialis in ordine executionis; sed ordo intentionis diversus est ab ordine executionis: ergo repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, etsi in diverso ordine.

31 *Impugnatur 3.*

Impugnatur tertio, & confirmantur dicta: nam vbicumquè datur mutua inter duo causalitas, semper est in diverso genere causæ: ergo repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ. Atqui Incarnatio est principium efficiens morale meriti antiquorum Patrum: ergo repugnat, quod merita antiquorum Patrum sint principium efficiens morale Incarna-

tio-

Antecedens probatur do ctrinis Ill. Godoy.

tionis: ergo ruit solutio. Antecedens, ad quod devolvitur tota difficultas, si aliqua est in illo, probatur discurrendo per omnia, quæ ponum, ex ab Ill. God. traditis: nam vt *tom. 2. in 1. part. disput 62.* defendat, quod subtantia prædestinati est effectus prædestinationis, asserit, quod subtantia prædestinati est causa materialis intetionis efficacis gloriæ, & efficax intentio gloriæ est causa finalis subtantiæ prædestinati. Item: vt eodem *tom. disput. 63.* defendat: quod permisio peccati de facto est effectus prædestinationis præparatus à Deo ex intentione pœnitentiæ, eadem vtitur doctrina *num. 39.* hoc enim est assumptum illius: *Cum prioritate in genere causæ materialis stare potest posterioritas in genere causæ finalis.*

32 Item: vt *disput. 65.* eiusdem tomi defendat: quod electio efficax prædestinatorum ad gloriam, vt coronam, est ante prævisa merita, asserit: gloriam, vt coronam, præcedere in genere causæ finalis, & merita in genere causæ efficientis. Deindè: vt *disp. 69.* tomi prædicti defendat: quod voluntas efficax exclusionis à gloria antevertens personalia de merita terminatur ad illam, non solum, vt est beneficium indebitum, sed etiam vt est pœna, non reduplicativè, sed specificativè, asserit *num 74.* quod pœna supponit culpâ in genere causæ efficientis ordine executionis, & in genere causæ materialis ordine intentionis, in quo ordine permisio culpæ supponit pœnam in genere causæ finalis. Denique: vt in hoc præsenti tomo *disput. 8.* defendat: quod decretum Incarnationis, vt Redemptio est, præcedit prævisionem peccati, tenet *numer. 115.* quod Christus, vt Redemptor, præcesit in genere causæ finalis permisionem culpæ quam in genere causæ materialis supponit.

33 En loca, in quibus Ill. Godoy agit, & loquitur de mutùa inter duo causalitate, in quibus comprehenditur exemplum de gloria, vt corona respectu meritorum iustorum, quod in solutione adducit; atqui in nullo ex locis allegatis datur mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, vt ex ipsis constat, nec aliud adducere valet Ill. God. in quo detur talis mutua causalitas, ad huc in diverso ordine: ergo verum est suprà positum antecedens, scilicèt, vbicumquè datur inter duo mutua causalitas, semper est in diverso genere causæ, & consequentèr verum est, quod ex illo illatum est *numer. 31.* vsque ad vltimum consequens, nempè, quod nulla est solutio Ill. God.

34 *Impugnatur 4.* Impugnatur quarto: hoc principium: *Cum prioritate in vno genere stat posterioritas in alio*, ortum habuit ex prioritate, & posterioritate causæ finalis, & efficientis: ergo illud principium ortum habuit ex prioritate, & posterioritate in diverso genere causæ: ergo repugnat mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ. Atqui Incarnatio est principium efficiens morale meriti Sanctorũ Patrum: ergo eorum merita nequeunt esse principium efficiens morale Incarnationis. Antecedens est manifestum; alioquin assignet Ill. Godoy, vndè ortum habuit illud principium. Consequentia verò prima, si in ipsa stat difficultas, probatur illud principium ortum habuit iuxta concessa ex prioritate, & posterioritate causæ efficientis, & finalis; sed prioritas, & posterioritas harum causarum est in diverso genere causæ: ergo, &c.

35 *Impugn. 5.* Impugnatur quinto: Incarnatio iuxta Ill. Godoy est principium efficiens morale meriti Sanctorum Patrum, vt prævisa in vi decreti intentivi, & merita Sanctorum Patrum sunt principium efficiens morale Incarnationis, vt prævisa in vi decreti executivi: ergo datur mutua causalitas in genere causæ efficientis, & si in diverso ordine: ergo in quocumque genere causæ dabilis esset mutua causabilitas in diverso ordine: ergo causa materialis ordine intentivo poterit esse effectus materialis ordine executivo, & sic de causa formali, & finali. Atqui hoc est omninò repugnans, & contra bonam Philosophiam, omnesque Philosophos, vnanimitèr negantes mutuam causalitatem in eodem genere causæ: ergo omninò repugnans est solutio Ill. God.

36 *Impugn 6.* Impugnatur sexto: Incarnrtio non solum est causa finalis meritorum SS. Patrum, verum etiam causa efficiens moralis illorum; sed vt Incarnatio sit

causa

causa efficiens moralis meriti SS. Patrum, necessarium est, quod cadat Incarnatio sub decreto executivo: ergo Incarnatio est principium meriti SS. Patrum, vt subest decreto Dei executivo: ergo ruit solutio III. God. Probatur minor primo: vt prima gratia sit principium meriti, necessarium est, quod cadat sub decreto executivo; nā prima gratia non in intentione, sed in executione est principiū meriti: ergo, &c. Probatur secundo paritate ab III. God. adducta: vt merita Iustorum sint causa efficiens gloriæ, necessariū est, vt cadāt sub decreto executivo: ergo.

37 Ex hac impugnatione sequitur, quod Incarnatio, vtpotè, causa efficiēs moralis meriti SS. Patrum, debet cadere sub decreto executivo præcedēti decretū executivum meriti SS. Patrū; quod hac ratione ostenditur: omnis causa præcedit effectum eo modo, quo est causa; sed Incarnatio sub decreto executivo est causa efficiēs meriti SS. Patrum: ergo Incarnatio cadit sub decreto executivo præcedenti decretum executivum meriti SS. Patrū.

38 *Impugn. 7.* Impugnatur septimo prędicta solutio: Incarnatio in intentione solū est causa finalis: ergo vt sit causa efficiens moralitèr, debet esse sub decreto executivo: ergo ruit solutio. Probatur antecedens exēplo ab III. God. adducto: gloria in intentione solum est causa finalis meritorū Iusti: ergo similitèr: Incarnatio in intentione solū est causa finalis. Hæc impugnatio est immediatè destructiva exempli, quod pro sua solutione adducit III. God. nā gloria respectu meritorum Iusti solū est causa finalis; non verò efficiens; merita verò sunt causa efficiens gloriæ; nō verò finalis; vnde cum causa finalis sit de ordine intentivo, & efficiens de ordine executivo, stat optimè, quod gloria, vt subest decreto intentivo, nō cadat sub meritis Iustorū; benè verò, vt subest decreto executivo. At Incarnatio non solum est causa finalis meriti SS. Patrum, verum etiā efficiens, ideòque repugnat, quod merita SS. Patrum sint causa efficiens Incarnationis.

39 *Impugn. 8.* Impugnatur deniquè: solutio III. God. eiusque explicatio dissonat doctrinæ Patrū, & Conciliorum, qua contendunt contra Hæreticos probare, primā gratiā, vt in executione, nō cadere sub merito: ergo admittenda nō est. Probatur antecedens: nā sicut ipse respondet ad argumentū factū, quod Incarnatio, vt subest decreto intentivo, est principiū meriti SS. Patrū, quin hoc obstet, vt sub illorū meritis cadat, secundū quod subest decreto executivo; ita Hæretici respondere valent, scilicet, quod prima gratia, vt subest decreto intentivo, est principiū meriti, quin hoc obstet, vt sub merito cadat, secundū quod subest decreto executivo: ergo solutio ab III. Godoy tradita, eiusque explicatio dissonat doctrinæ Conciliorū, & Patrū, qua contendunt probare contra Hæreticos, primam gratiā, vt in executione, nō cadere sub merito. Quod ad hanc impugnationē respondet III. God. videbimus *num.* 48. & per sequentia refutabimus.

§. III.

Probationes ab inconvenienti declarantur.

PRobatur secundo conclusio: ex opinione III. God, necessario sequitur, quod si Patres antiqui meritū non habuissent, Christus non venisset; consequens est falsum: ergo & illius opinio. Probatur sequela: ideo iuxtà III. God. Christus non veniret, si Adamus non peccaret, quia advētus Christi dependēs erat à peccato Adami; sed iuxtà illius opinionē adventus Christi dependens fuit à merito SS. Patrū: ergo, &c. Maior, & consequentia tenēt. Minor autē patet: nā omnis effectus dependens est à sua causa; sed iuxtà ipsius opinionē adventus Christi, vt subest decreto executivo, est effectus meriti SS. Patrum: ergo iuxtà illius opinionem adventus Christi dependens fuit à merito SS. Patrum.

40 *Probatur 2 conclusio.*

Confirmatur primo, & vrgetur: ita iuxtà III. God. Incarnatio, vt subest decreto executivo, dependet à meritis SS. Patrū, ac gloria, vt corona, vt subest decreto executivo, depēdet à meritis Iustorū; atqui gloria, vt corona, ita dependet à meritis Iustorū, quod non salvetur efficatia decreti intentivi glorię, vt coronę, quin existant merita: ergo ita Incarnatio dependet à meritis SS. Patrum, vt non salvetur efficatia decreti intentivi Incarnationis, quin existant merita SS. Patrū: ergo sicut meritis Iustorum non existē-

41 *Confirm. 1. & vrgetur.*

tius non esset gloria, vt corona: ita meritis SS. Patrum non existentibus, non esset Incarnatio.

42 *Confirm. 2. & amplius declaratur.*

Confirmatur secundo, & declaratur amplius: nam Ill. Godoy, vt defendat: Christū non venisse, Adamo non peccante, vtitur paritate de gloria, vt corona, respectu meritorū Iustorū, vt habet *disp 8. n. 37.* sed hac eadem paritate vtitur in præsenti, vt defendat, Patres antiquos meruisse Incarnationē: ergo sicut vi paritatis tenet, quod Christus nō veniret, Adamo non peccante; ita vi eiusdē paritatis affirmare tenetur, quod Christus nō veniret, non existentibus meritis SS. Patrum.

43 *Verba Ill. God. referuntur.*

Et vt hæc ratio ex inconvenienti deducta appareat omnino, verba, quæ Ill. Godoy adducit *n. 84.* transcribo. Ait enim: *Plura obijciunt contendentes probare, quod si decretum efficax intentivum non cadit sub merito, nec decretum executivum infallibiliter cum illo connexum potest meritum terminare, quæ lato calamo opposuimus, & diluimus tract. de prædestinat. loco vbi proximè allegato, defendentes cum communi Thomistarum sententia, decretum efficax intentivum gloriæ sub meritis Iustorum non cadere; benè tamen decretum eius executivum, tametsi infallibiliter cum intentivo connexum. Et quidem nobis in præsenti sufficit, si cum tanta probabilitate tueamur, substantiam Incarnationis sub merito antiquorum Patrum cadere, quantam habet sententia, quæ docet, gloriam ante prævisa merita intendi, & nihilominus esse præmium, & coronam illorum.* Hæc Ill. Godoy.

44 *Roboratur 3.*

Nunc autem contra ipsum roboratur tertio prædicta nostræ conclusionis probatio: ea probabilitate, qua Ill. God. defendit, decretū efficax intentivū gloriæ sub meritis Iustorū nō cadere, bene tamē decretū eius executivū, tametsi infallibiliter connexū cū intentivo, defendit in præsenti, decretum efficax intentivum Incarnationis quoad substantiā sub meritis Patrum antiquorū non cadere; benè tamē decretum eius executivū: ergo ea probabilitate, qua defendit: decretū efficax intentivū gloriæ non salvari, meritis non existentibus, debet defendere: decretū efficax intentivū Incarnationis quoad substantiam non salvari, meritis non existentibus antiquorū Patrū. Consequentia paritate videtur legitima, & etiā ad hominē contra ipsum probatur: nā ideò non salvatur efficatia decreti intentivi glorię, meritis nō existentibus, quia decretū executivū gloriæ est infallibiliter connexū cum decreto intentivo illius; sed etiā decretū executivū Incarnationis quoad substantiā est infallibiliter connexum cū decreto intentivo illius: ergo, &c.

45

Et quidem, si Ill. Godoy sufficit (vt ipse ait) vt cū tanta probabilitate tueatur, substantiā Incarnationis sub merito antiquorū Patrū cadere, quantā habet sententia, quæ docet, gloriam ante prævisa merita intendi, & nihilominus esse præmiū, & coronā illorū; ipsi etiam sufficere debet, vt cū tanta probabilitate tueatur, substantiā Incarnationis non extitisse, meritis SS. Patrum non existentibus, quantam habet sententia, quæ docet, gloriam, vt coronam, non extitisse, meritis Iustorum non existentibus, quam doctrinam in nullo (quem viderim) inveni.

46 *Roboratur 4.*

Denique prędicta ratio roboratur: quia nos tenemus, Antiquos Patres meruisse de congruo Incarnationem quoad circunstātias, tenemur dicere, Incarnationem quoad circunstantias, non extitisse, meritis Patrum antiquorū non existentibus, v. g. Incarnationē nō extitisse tam citò, meritis Patrum antiquorum non existentibus, vt colligitur exà nobis dictis *num. 11.* atqui Ill. Godoy tenet, Patres antiquos meruisse de cōgruo Incarnationē quoad substantiam: ergo dicere tenetur, Incarnationem quoad substantiam non extitisse, meritis Patrum antiquorum non existētibus, & cōsequentèr, quod Christus non veniret, si Patres antiqui meritum non habuissent, quod est inconveniens ex opinione illius secutū.

47 *Probatur 3 conclusio.*

Probatur tertio conclusio: ex opinione Ill. God. sequitur, quod prima gratia auxilians possit cadere sub merito operum procedentium ab ipsa; consequens est contra communē sententiā asserentē: principiū essentiale meriti non posse cadere sub merito operis, cuius est principium: ergo opinio Ill. God. cū cōmuni sententia adversatur, ac per consequens substinēda non est. Probatur sequela: nā si prima gratia auxilians non posset cadere sub merito operū procedētiū ab ipsa, ideò esset, quia cum prima gratia au-

xilians sit principium essentiale effectivũ operum ab ipsa procedentium, decretum executivum illius essentialitèr petit præcedere decretum executivum operum procedentium ab illa; atqui hæc ratio est nulla, si vera est doctrina Ill. Godoy: ergo, &c.

Probatur minor: nã iuxta doctrinã illius, vt opus aliquod meritoriã exerceat causalitatẽ, necessarium non est, quod decretũ eius executivũ præcedat decretũ executivũ præmij, sed sufficit, quod præviſsio operis meritorij præcedat decretũ executivum præmij: ergo licèt decretũ executivum primæ gratiæ præcedat decretũ executivum operũ ab illa essentialitèr procedentium, poterunt prædicta opera influxũ meritorium in ipsam exercere per hoc, quod illorum præviſsio sit prior decreto executivo primæ gratiæ.

48 *Respondet Ill. God.* Ad hanc rationẽ, quam sibi obiecit Ill. Godoy *n.* 86. omissis aliorum solutionibus, respondet *n.* 88. concedendo primam gratiã posse cadere sub merito congruo operum ab ipsa procedentium, cuius rationem tradit *n.* 89. scilicèt, quia non obstat, quod prima gratia sit principium meriti, vt sub eodem merito de congruo cadere possit, vt constat in Incarnatione, quę fuit principum gratiæ antiquis Patribus datæ, & operum procedentium ab ipsa, & tamen antiqui Patres Incarnationem de congruo meruerunt. Nec difficultas evaditur, nec sufficiens discrimen assignatur per hoc, quod prima gratia sit essentiale principium; nam sicut hoc non obstat, vt possit ab actibus, quorum est principium effectivum, dependere in genere causæ finalis; ita nec obstare potest, vt ab illis dependeat in genere causæ moralis meritoriæ, supposito, quod ad hoc genus causalitatis existentia meriti in re necessaria non sit, sed existentia in apprehensione sufficiat.

Nec tandem obstat, quod reflexio meritoria supra suum principium sit supra exigentiam, & inclinationem intrinsicam gratiæ; nam licèt quod terminus meriti sit iuxta inclinationem intrinsicam gratiæ, & intrinsicam exigentiam illius requiratur ad meritum condignum; ad meritum tamen congruum necessarium non est; vndè licèt plures negent, posse vnum hominem iustum alteri primam gratiam de condigno promereri, eo quod gratia iustificans, vt potè, semen gloriæ, ab intrinsico solum inclinat ad merendum proprio subiecto, non ideo negant, posse vnum hominem iustum alteri primam gratiam mereri de congruo; sed omnes id fatentur possibile: non ergo est necessarium ad meritum congruum, quod terminus meriti sit conformis intrinsicæ exigentiæ; ac proindè ex nullo capite repugnat, primam gratiam cadere sub merito congruo operum procedentium ab ipsa.

Hæc solutio coincidit cum solutione, quam ipse dedit ad nostram rationem principalem; vndè per illa, quæ à *num.* 24. *vsque ad* 40. illam impugnavimus, hæc manet reiecta. Et adhuc vltra ibi dicta reijcitur primo: hæc solutio supponit falsum: ergo est nulla. Probatur antecedens: hæc solutio supponit, quod existentia in apprehensione sufficit ad causalitatem causæ efficientis moralis; sed hoc est falsum: ergo falsum supponit. Probatur minor: nam modus causandi in apprehensione convenit duntaxat causæ finali, & nullo modo efficienti, vt communitèr tenent Philosophi cum Aristotele 2. Physicorum: ergo falsum est, quod existentia in apprehensione sufficiat ad causalitatem causæ efficientis moralis.

49 *Reijcitur 1 solutio Ill. God.*

Reijcitur secundo: prædicta solutio est manifesta petitio principij: ergo est nulla. Probatur antecedens: prædicta solutio tribuit pro ratione id, quod est in disputatione; sed hoc est manifestè petere principium: ergo solutio Ill. Godoy est manifesta petitio principij. Probatur antecedens: ratio, quam tribuit prædicta solutio, vt prima gratia cadat sub merito congruo operationum ab ipsa essentialitèr procedentium, est, quia Incarnatio fuit principium gratiæ antiquis Patribus datæ, & operum procedentium ab ipsa, & tamen antiqui Patres Incarnationem de congruo meruerunt; sed hoc est, quod est in disputatione, vt ex ipsa claret, & titulus illius declarat: ergo prædicta solutio tribuit pro ratione id, quod est in disputatione.

50 *Reijcitur 2*

Probatur denique conclusio: nam 51

Probatur 4 conclusio.

ex opinione Ill. Godoy sequitur: Patres antiquos meruisse Redemptionem generis humani, quia merendo Incarnationem, merentur in radice omnes effectus, qui ex illa deducuntur, ex quo vlterius sequitur: meruisse suam Redemptionem, & primam gratiam. Deindè sequitur: quod respectu Patrum antiquorum Incarnatio non esset gratia, & misericordia; atqui hæc omnia falsa sunt: ergo Patres antiqui non meruerunt merito adhuc congruo Incarnationem quoad substantiam.

§. IV.

Argumento Ill. Godoy occurritur.

52 *Arguit Ill. God.*

ILl. Godoy sic contra nostram conclusionem arguit *num.* 10. ratione à Div. Thoma insinuata: congruum enim est, vt Deus amicos suos, qui ipsi obediunt, exaudiat, aliquid postullantes, vt docet D. Thoma *in hac quæst. artic.* 11. *in corpore*, quod ita concludit: ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem, desiderando, & petendo, congruum enim est, vt Deus exaudiat eos, qui ei obediunt; quod idem docuit *in* 3. *quæst.* 4. *artic.* 1 *ad* 2. Et ad Anibaldum *in eadem distinctione quæst. vnic. artic.* 4. *Et* 2. 2. *quæst.* 83. *artic.* 15. *ad* 2. vbi ait: *Orationes de necessarijs ad salutem mereri de congruo, ipsis petentibus, ea, quæ petunt.* Sed antiqui Patres petebant à Deo Incarnationem Filij quoad substantiam, vt constat ex illo Esai. *cap.* 45. *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet salvatorem*: & etiam quoad circunstantias, vt de circunstantia temporis constat ex Psalm. 78. illis verbis: *Citò anticipent nos misericordiæ tuæ*: ergo meruerunt de congruo Incarnationem Verbi, & quantum ad circunstantias, & quantum ad substantiam; cumque illam, vt primo intentam à Deo, promereri non potuerint, meruerunt eam, provt executioni mandatam, & provt subest decreto executivo Dei.

53 *Respondetur 1.*

Ad hoc vnicum Ill. Godoy argumentū respondeo primo distinguendo maiorem: congruum est, vt Deus amicos suos, qui ipsi obediunt, exaudiat, postullantes aliquid, quod non sit principium meriti concedo maiorem; quod sit principium meriti nego maiorem; distinguoque minorē: sed antiqui Patres petebant à Deo Incarnationem Filij quoad substantiam, & etiam quoad circunstantias, quæ est principium meriti illorum omitto minorem; quæ non est principiū meriti illorum nego minorem, & consequentiam. Cum itaquè certū sit, quod principium meriti cadere non valet sub merito, certū est, Patres antiquos Incarnationem quoad substantiā non mereri; nā Incarnatio Verbi fuit principium omnis gratiæ Sanctis Patribus collatæ, cum omnis gratia illis exhibita fuerit intuitu meritorum Christi, & consequentèr Christus fuerit principium gratiæ, quæ in illis fuit principiū merendi: ideoque non potuerunt suis orationibus Incarnationem Verbi quoad substantiam, nec exitentiam Christi mereri; aliàs promeruissent sui meriti principium.

54 *Replicat 1. Ill. Godoy.*

Contra hanc solutionem replicat primo Ill. Godoy *n.* 11. nam merita, quibus Christus antiquis Patribus gratiam promeruit, dependebant in sui individuatione ab hoc numero *tempore*: ergo hoc numero *tempus*, vt conditio ad minus ad gratiam antiquorum Patrum ex parte meritorum Christi supponitur; & tamen (vt nos fatemur) promeruerunt Patres Antiqui Incarnationem quoad circunstantiam temporis: ergo non obstante, quod Incarnatio ad illorum gratiam supponatur prævisa, vt cuius in tuitu illis conferebatur, potuerunt suis actibus in gratia intuitu meritorum Christi collata fundatis, Incarnationem de congruo mereri.

55 *Replicat 2.*

Replicat secundo *n. cit.* nam etiam si gratia antiquis Patribus data effectus fuerit Christi venturi, & meritorum illius, operā mediante illa elicita fuerunt impetratoria Incarnationis Verbi quoad substantiam (vt nos fatemur) ergo non obstante prædicta dependentia gratiæ antiquorum Patrum à Christo venturo, & à meritis illius, opera in prædicta gratia fundata fuerunt meritoria de cōgruo eiusdem Incarnationis. Deniquè: nam si gratia non fuerit antiquis Patribus data intuitu meritorū Christi, possent illorum præces de congruo mereri substantiam Incarnationis quantum

Replicat 3.

ad executionem, vt nos fatemur; sed ex hoc, quod intuitu meritorũ Christi collata fuerit antiquis Patribus gratia, nihil in æstimatione illorum præces decrescunt, & aliàs tempore præcesserunt executionem Incarnationis: ergo promeruere de congruo illius substantiam quantum ad executionem.

56 *Respondeo 1. ad 1. replicam.* Respondeo primo ad primam replicam negando antecedens. Primo: nam merita, quibus Christus antiquis Patribus gratiam promeruit, non individuantur à tempore, cum tempus sit circunstantia per accidens, à qua non individuatur ipse Christus, vt dicitur 1. *Phisicorum*, & 2. *de generatione*, cum Scoto, quod etiam tenet *in 2. dist. 20 quæst 2.* Et loquendo de Filiatione Christi idem habet *in 3. dist. 8.* quem secutus est Doct Eximius *de Vita Christi, disp. 12. sect. 3.* Secundo: quia merita Sanctorum Patrum fuerunt priùs prævisa, quam Incarnatio quo ad tempus, vt diximus *num. 11.* consequentèrque gratia Patribus collata, quæ est principium meriti illorum, fuit priùs prævisa, quam merita Christi, vt in hoc numero tempore; alioquin nec Incarnationem quoad circunstantiã temporis Patres antiqui meruissunt, cuius oppositum docuimus *n. 10.*

Respond. 2. Respondeo secundo omisso antecedenti cum prima, & secunda consequentia, negando vltimã, cuius disparitas est: nam Incarnatio quoad circunstantiam temporis, non est principium meriti; ideoque valet sub merito cadere; at Incarnatio quoad substantiam est principium omnis meriti Sanctorũ Patrũ, vt supponitur; ideòque non potest cadere sub merito, nisi detur mutua inter duo causalitas in eodem genere causæ, quod vt diximus, alienum est à bona Phylosophia.

57 *Ad 2. Ad 3. respond. 1.* Ad secundam omisso antecedenti, nego consequentiam ob rationẽ proximè datam. Ad tertiam respondeo primo concessa maiori, distinguendo primam partẽ minoris: ex hoc, quod intuitu meritorũ Christi collata fuerit antiquis Patribus gratia, nihil in æstimatione illorũ præces decrescunt ad merendum, quod mereri potest concedo minorẽ; ad merendũ, quod mereri repugnat nego minorem, & consequentiam, cuius disparitas est manifesta: nam si gratia non esset antiquis Patribus data intuitu meritorũ Christi, potuisset Incarnatio à Deo decerni post prævisa merita Patrum, vt cum Ill. Godoy supposuimus *num. 13.* vndè merita Patrũ non supponerent Incarnationem, vt principium illorũ, consequentèrque possent de congruo illam mereri. Ast ex eo, quod gratia sit antiquis Patribus data intuitu meritorum Christi, necessario supponit merita Christi prævisa, & consequentèr Incarnationẽ, quæ cum sit principium meriti Patrũ antiquorũ, licèt ob hoc meritũ illorũ non decrescat, impotens tamẽ redditur, ad merendã Incarnationẽ ob rationem nostræ conclusionis.

58 *Respond. 2.* Vel respondeo secundo ad eandem replicam distinguendo secundã partẽ minoris: aliàs in tempore præcesserunt executionẽ temporalẽ Incarnationis concedo minorẽ; aliàs in mẽte Divina præcesserunt decretum de Incarnatione nego minorem, & consequentiã; nam licèt antiquorum Patrũ præces tempore præcesserint temporalẽ Incarnationis executionem; non tamen præcesserunt decretũ de Incarnatione: hoc enim ipso, quod gratia antiquis Patribus data, quæ fuit illarũ præcum principium, effectus fuerit Christi venturi, & meritorum illius, necessario supposuerunt æternũ Dei decretum de substantia Incarnationis; aliàs non posset Christus, vt à Deo prævisus, meritoriè in prædictam gratiam influere, cum prævisio Christi venturi necessario decretũ de Incarnatione supponat, illique innitatur; vt autem Sanctorum præcibus posset Incarnatio meritoriè de congruo obtineri, necessum erat, quod non solum temporalẽ executionem Incarnationis præcederent, sed etiã decretũ æternum de illa, cũ meritũ non alitèr causet præmiũ, quam movendo voluntatem præmiantis, illamque alliciendo ad præmij exhibitionẽ: ideòque antiquorũ Patrum præces supponentes decretũ de Incarnatione, illam non potuerunt mereri; quia non potuerunt movere Divinam voluntatem, vt intuitu illarum Incarnationem decerneret, quod necessarium erat, vt in illam influerent meritoriè.

59 *Objcit 1. Ill. God.* Contra hanc tamen solutionẽ objcit primo Ill. Godoy *n. 13.* etenim non

obstante, quod Sanctorum Patrum præces decretum æternum Dei circa Incarnationem Verbi supposituerint, fuerunt impetratoriæ Incarnationis Verbi quoad substantiam, vt fatentur plures: ergo non obstante prædicta suppositione, promeruerunt de congruo executionem substantiæ Incarnationis. Probatur consequentia: sicut enim meritū congruum non exercet immediatè suam causalitatem erga præmiū conferendū, sed mediatè, nempè, movendo voluntatē præmiantis, illamque inducendo ad collationem præmij: ita impetratio non influit immediatè in effectū, quem impetrat, sed mediatè, videlicèt, alliciendo voluntatem illius, à quo effectus impetratus est conferendus: ergo si non obstante, quod Sanctorū Patrū præces decretū Dei æternum de Incarnatione Verbi supposituerint, potuerunt Divinā voluntatem allicere impetratoriè, & Incarnationis substantiam impetrare, potuerunt etiam Dei voluntatem meritoriè movere, mererique de congruo substantiam Incarnationis.

60 *Respondeo.* Respondeo omisso antecedenti, negando consequentiā, ad cuius probationem concesso antecedenti nego consequentiā; nam in tantum valeret, in quantū Incarnatio esset principium omnis meriti illorū, quod in opinione illorū Authorū locum non habet, vt est manifestū; alioquin sibi expręsè contradicerēt, quod credēdū non est.

61 *Objicit 2.* Objicit secundo *n.* 14. contra eandem solutionē: nam vt opus de congruo præmium aliquod promereatur, sufficit, quod in mente præmiantis præcedat decretū executivum prę-mij, quamvis non prę-cedat decretum intentivum illius; sed licèt antiquorū Patrū prę-ces non præcesserint in mēte Divina decretū efficax intentivum Incarnationis Verbi, præcesserunt tamē decretū eius executivū: ergo meruerunt de congruo substantiā Incarnationis. Consecutio est bona. Maior constat in gloria, quā nostris operibus in Deo factis, & in gratia adoptionis fundatis, merito condigno meremur; & tamē in frequentiori, & veriori sententia decretū efficax intentivum gloriæ prævisionē nostrorū meritorum præcedit, & consequenter nostra merita in mente Divina solum decretum executivum gloriæ præcedunt: ergo ad rationem meriti non requiritur præcessio in mente præmiantis ad decretum præmij intentivum, sed sufficit, quod decretum executivum præmij in præmiantis mente præcedat.

Minor probatur. Minor vero probatur: nam decretū executivum, & consequenter etiam decretum intentivum gratiæ initiantis antiquorum Patrū præces est prius decreto executivo Incarnationis Verbi; nam, & si ordo intentionis quoad præcedentiā, & posterioritatē non commensuretur cum ordine executionis; ordo tamen executionis cōmensuratur in Divina voluntate cum temporanea rerum executione; sed in executione temporali gratia antiquis Patribus data, & prę-ces fundatę in illa, præcesserunt Verbi Incarnationem: ergo decretū executivū gratię, & præcū antiquorū Patrū prius est decreto executivo Incarnationis, & cōsequēter orationes antiquorū Patrū potuerunt in Divina mente antecedere decretū executivum substantiæ Incarnationis, licèt decretū efficax intentivū illius supposituerint: ex quo vlterius fit, vt potuerint Divinam voluntatem movere ad decretum executivum substantiæ Incarnationis, quod sufficit, vt substantiam Incarnationis de congruo mereri potuerint.

62 *Respondeo 1.* Respondeo primo negando maiorem, cuius falsitas apparet in exemplo de gloria ab Ill. Godoy adducto; gloria namque, vt est præmium, non præcedit in intentione prævisionē meritorum, vt fusè contra ipsum monstravimus *tom. 2. in 1. disp. 65. à §. 5. vsque ad fin. disp.* Cæterum ommissa maiori, *Respond. 2.* respondeo secundo negando minorē, ad cuius probationē nego maiorē, cuius falsitas constat ex dictis *n.* 28. 29. 36. & 37. Ad probationem imbibitā respondeo illam distinguendo: ordo executionis cōmensuratur in Divina voluntate cum temporanea rerū executione, quando ratio non obest concedo; quādo obest ratio nego. In præsenti autē obest ratio, vt ordo executionis in Divina mente cōmensuretur cū tēporanea rerum executione, scilicèt, quod Incarnatio sit principiū omnis gratiæ, & meriti Patrū antiquorū.

63 *Respond. 2.* Solutionem supra positam *num.* 53. dedi argumento Ill. God. vt replicæ,

quas

ad argum. Ill. Godoy.

quas contra illã adducit, insolutæ non relinquerentur; nunc autem ad argumentum illius respondeo secundo omissa maiori negando minorem. Primo: quia Patres non petebant Incarnationem quoad substantiã, quam certam esse de fide tenebant, sed postulabant Christum videre, quod tantum probat locus Isaiæ cit. Secundo: quia si Incarnationem petebant, petebant Incarnationem quoad circunstantias, vt claret ex Psalm. 78. *Cito anticipent nos misericordiæ tuæ*, & hoc est, quod meruerunt Patres, vt diximus *num* 10. Et vltra ibi dicta patet ex illis locis Sacræ Scripturæ: *Veni Domine, & noli tardare. Visita nos in salutari tuo*: ergo nihil meruerunt, præter accelerationem, vt probant hæc verba Malachiæ: *Ecce statim veniet ad templum Sanctũ suum dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis*; alias plus meruissent, quam mereri voluissent, quod falsum est.

64 Hac solutione cessant replicæ prædictæ Ill. God. qui nihil contra illam adducit, & licèt nihil in hac disputatione adducat, ex pluribus, quæ de causis Incarnationis quæri solent, aliquæ tamen difficultates hic sunt pro complemento tractatus proponendę, & resolvendæ.

§. Vltimus.

Resolvuntur aliquæ difficultates.

65 1. Difficultas. PRima difficultas est: an humanitas Christi potuerit mereri substantiam Incarnationis? Pro cuius resolutione, vt certum de fide supponendum est. Primo: humanitatem Christi non præcessisse tempore Incarnationē, consequentèrque illam non meruisse per opera illo tempore elicita. Difficultas est de illo priori naturæ, in quo præcesserit Incarnationem, vel dato, quod tempore præcessisset, an illam meruerit? Vel posset mereri? Nec loquimur hoc ordine rerum supposito, seu iuxta præsentem providentiam; in hoc enim sensu dicendum est, quod de antiquis Patribus dictum manet, cum eadem omninò sit ratio, scilicèt, quod Incarnatio est principium meriti. Loquimur itaquè in alia providentia, seu de potentia Dei absoluta, quomodo diximus *num.* 13. Patres antiquos potuisse, saltim de congruo, substantiam Incarnationis mereri.

Suppono 1.

Secundo ex frequentiori consensu Theologorum supponendum est: humanitatem Christi pro illo priori naturæ non meruisse substantiam Incarnationis, quod ita certum est, vt id aliqui de fide habeant; alij autem, oppositum temerarium. Ostenditurque primo ex D. Augustino, & alijs Patribus, qui nulla opera in humanitate pro priori ad vnionem cognovernnt, omnia enim vocant Theandrica, Dei, scilicèt, & hominis. Secundo ostenditur ratione Scoti: nam natura humana fuit à Verbo assumpta, quando à propria personalitate erat terminãda; sed terminanda erat ante operationem; quia priùs natura est subsistere, quam operari: ergo nulla de facto præcessit operatio: ergo humanitas non meruit pro illo priori naturæ substantiam Incarnationis.

66 Suppono 2.

Ex his supponendũ est tertio: quod etsi humanitas de facto tempore præcessisset vnionem hypostaticã, adhuc non meruisset Incarnationem. Quod patet primo ex regula generali: scilicèt, principium meriti non cadere sub merito. Secundo: quia si humanitas, data hypotesi, meruisset Incarnationem, Incarnatio Verbi non esset simplicitèr donum; cum haberet rationem præmij. Imò nec esset opus ex gratia factum, sed ex iustitia; atqui hoc est contra illud. Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*: ergo etsi humanitas tempore præcessisset vnionem hypostaticam, adhuc Incarnationem non meruisset.

67 Suppono 3.

Quibus suppositis, asserendum est primo: humanitatem in illo priori naturæ potuisse, saltim de congruo, mereri substantiã Incarnationis. Hoc assertum est contra doctrinã Ill. Godoy, & omnium Thomistarum, vt clarebit ex probatione, quæ est doctrinæ illorum destructiva. Probatur itaquè assertum: non repugnat, naturam existentem, & singularem habere operationem; sed in illo priori natura humana fuit existens, & singularis: ergo non repugnat, quod natura humana pro priori ad vnionem haberet operationem. Atqui nō repugnat, quod hæc operatio procedat ex

68 1. Assertio & eius probatio.

gra-

gratia: ergo non repugnat, quod natura humana pro priori ad vnionem haberet operationem procedentem ex gratia. Tunc sic; sed hoc ipso potuit mereri, saltim de congruo, substantiam Incarnationis: ergo humanitas in illo priori potuit mereri substantiam incarnarionis. Totum est verum, si vera est maior. Maior autem, quam cum Thomistis negat Ill. Godoy, probatur: actiones sunt singularium, & solum denominativè suppositorum ex Aristotele 1. Metaphysicæ: ergo non repugnat, naturam existentē, & singularē habere operationē.

69 *Confirmatur.* Confirmatur: ideò negamus, & communiter Theologi negant, humanitatem de facto meruisse substantiam Incarnationis, quia de facto nullam operationem habuit humanitas ante vnionem: ergo si non repugnat ante vnionem operatio, nec repugnabit, humanitatem pro illo priori potuisse Incarnationem mereri. Atqui non repugnat operatio pro priori ad vnionem, vt probavimus: ergo non repugnat operatio Incarnationis meritoria.

70 *Arguitur 1.* Arguitur primo: actiones sunt suppositorum: ergo repugnat actio humanitatis pro priori ad vnionē cum personalitate, & consequentèr repugnat actio humanitatis, quæ pro priori ad vnionem sit Incarnationis meritoria. Probatur antecedens primo: nam Ioannes Theologus in Concilio Florentino dixit: Essentiam Divinam non generare; benè tamen Patrem, quia actiones sunt suppositorum. Secundo: ex Aristotele, & Damasceno hoc sentientibus. Tertio: quia sequeretur, quod Beata Virgo non esset vera Mater Dei; nam generatio ad naturam, & non ad personalitatem, terminaretur: ergo actiones sunt suppositorum.

71 *Respondeo* Respondeo distinguendo antecedens: actiones sunt suppositorum elicitivè, vel denominativè concedo antecedens; elicitivè tantum subdistinguo: in Divinis respectu processionū ad intra concedo antecedens; in creatis nego antecedens; ex quo claret responsio ad primam probationem; nam est processio ad intra, respectu cuius, suppositum est, quod generat, quia illud solum distinguitur realitèr à producto. Ad secundam distinguo similitèr, & nego Aristotelē aliquando dixisse: quod actiones sunt suppositorum. Ad tertiam multotiès dixi: quod vt Beata Virgo sit vera Mater Dei, sufficit, quod in eodem instanti temporis, quo generatur humanitas, vniatur Verbo.

72 *Arguitur 2.* Arguitur secundo: ordo naturæ est ordo causalitatis: ergo solum potest reperiri inter causam, & effectum; atqui talis operatio nequit habere rationem causæ respectu vnionis: ergo nequit vnio esse effectus talis operationis: ergo nequit humanitas vnionem mereri. *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti, cum consequentia, distinguendo minorem: talis operatio nequit habere rationem causæ physicæ respectu vnionis concedo minorem; nequit habere rationem causæ meritoriæ nego minorem, & distinguo similitèr primum consequens, negoque secundum.

73 *2. Assertio.* Asserendum est secundo: humanitatem Christi, data hypotesi, quod vnionem hypostaticam tempore præcessisset, potuisse mereri Incarnationē, saltim de congruo. Hoc patet expræssè ex dictis *num.* 13. & ex allatis *num.* 68. & 69. ex quibus facilitèr possunt probationes formalizari, ideoque in hoc ampliùs non est immorandum.

74 *2. Difficultas.* Secunda difficultas est: an Christus per opera subsequentia Incarnationē potuerit illam mereri, tanquam solutione anticipata, & per modum præmij, & solutionis? Ex dictis circa primam difficultatem constat: Christum per opera antecedencia tempore, vel natura vnionem hypostaticam potuisse mereri saltim de congruo Incarnationem; nunc autem de operibus vnionem hypostaticam snbsequētibus est difficultas. In qua.

75 *Assertio.* Asserendum est: Christum per opera vnionem hypostaticam subsequētia, nec de condigno, nec de congruo potuisse Incarnationem mereri. Sic *Scotus.* Scotus expræssè *in 2. dist. 5. quæst. 1. §. in ista quæstione*, & colligitur ex ipso *in 3. dist. 19. sub litt. D. Et in 4. dist. 2. quæst. 1. §. ad primum verſic. ad tertium*, vbi ait: *Quod in vniversis operibus Dei non fit aliquod opus meræ gratiæ, nisi sola Incarnatio Filij Dei.* Docet etiam D. Augustinus *D. Augustde Correptione, & capit. 11. Nec enim quis-*

quam

quam tanta rei huius, & fidei cæcus est ignorantia; vt audeat dicere quam vis de Spiritu Sancto, & Virgine Maria, Filium hominis natum; liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse, vt esset Dei Filius.

76 Probat. 1. Probatur primo: principium meriti nequit cadere sub merito; sed Incarnatio est principium omnis meriti Christi: ergo Incarnatio nequit cadere sub merito Christi: ergo nequit Christus per opera, subsequentia Incarnationem, illam mereri. Hæc consequentia patet: nam si Christus per opera, Incarnationē subsequentia, posset Incarnationem mereri, Incarnatio caderet sub merito illorum operum, quod repugnat. Quod ad hanc rationem responderi valet, impugnatum manet *num. 24. & sequentibus.*

77 Prob. 2. Probatur secundo: meritum est causa efficiens moralis præmij: ergo præmium nequit esse causa efficiens moralis meriti. Consequentia claret: quia repugnat, quod effectus sit causa efficiens suæ causæ efficientis. Sussumo: atqui Incarnatio iuxta oppositā opinionē est præmium meriti Christi: ergo Incarnatio nequit esse causa meriti Christi. Tunc sic, sed hoc est contra Theologos profitentes: Incarnationem esse causam omnis meriti: ergo nullum Christi opus, subsequens Incarnationem, potest Incarnationem mereri.

78 Prob. 3. Probatur tertio: opus meritorium debet præcedere præmium, seu rem, cuius est meritorium; sed opera subsequentia Incarnationem non præcedunt eam: ergo opera subsequentia Incarnationem non possunt esse meritoria Incarnationis. Consequutio est legitima. Præmissæ autē sunt probandæ. Probatur itaquè maior: meritum se habet ad præmium, sicut medium ad finem; sed medium debet præcedere finem: ergo opus meritorium debet præcedere præmium, seu rem, cuius est meritorium. Minor autem probatur primo: si opera subsequentia Incarnationem præcederent illam, non essent subsequentia: ergo, &c. Secundo: opera subsequentia Incarnationem non possunt esse meritoria eiusdem, quin sint ordinata, & acceptata propter Incarnationem; sed opera Incarnationis, vt Incarnationis sunt, & subsequentia, non possunt ordinari, nec acceptari, quin prius volita sit Incarnatio; alias causa finalis no esset prius visa, & volita, quam medium, quod est falsum: ergo impossibile est, quod opera subsequentia, vt talia, præcedant Incarnationem.

79 Prob. 4. Probatur quarto ad hominem contra Authores adversarios: Christus iuxta illos per opera, Incarnationem subsequentia, potuit illam mereri: ergo de facto illā meruit per talia opera, quod est contra ipsos. Probatur consequentia primo: id de facto Christo conceditur, quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam illius; sed Christum meruisse Incarnationem per opera illam subsequentia, est possibile, vt adversarij fatentur, eamque per talia opera mereri, cedit in excellentiam, & gloriam Christi, vt est manifestū, & negare nequeunt: ergo, &c. Probatur secundo: si Christus per opera Incarnationem subsequentia potuit illam mereri, non est ratio, cur de facto per talia opera non meruerit; sed iuxta adversarios potuit Christus mereri Incarnationem per opera illam subsequentia: ergo idem quod prius. Probatur tertio: Christus per opera Incarnationem subsequentia potuit illam mereri; atqui non constat illam non meruisse per talia opera: ergo, &c.

80 Prob. 5. Probatur denique ab inconvenienti: nam ex sententia contrariorum sequitur, nos posse mereri primam vocationem; sed hoc est falsum: ergo Christus per opera Incarnationē subsequentia non potuit illam mereri. Probatur sequela: Deus prius ratione prævidit nostra merita, vt efficaciter intenta, quam in executione decerneret, dare auxilia ad exequenda talia merita (& hoc in sententia Suarez, qui in hoc Scoto adversatur; tenet namquè, Deum prædiffinire nostra bona opera efficaciter in intentione) ergo si merita solum intenta possunt influere meritoriè, poterit Deus intuitu illorum primam gratiam solutione anticipata dare, tanquam præmium: ergo sequitur ex sententia contrariorum, nos posse mereri primam vocationem.

81 Arguitur Arguitur primo ex Suario: Deus posset dare vnionem hypostaticam

1. ex Suario.

naturæ humanæ in præmiũ operum, quæ faceret mediante vnione, per modum anticipatæ solutionis; sicut Rex potest dare arma, & equm militi in præmium victoriæ, quam his mediantibus consequeretur, & sine quibus victoriam consequi non posset; at opera subsequentia arma, & equm essent meritoria eorumdem: ergo etiam opera Christi essent de condigno meritoria vnionis hypostaticæ, per modum anticipatæ solutionis.

82 Respondeo.

Respondeo negando absolutè maiorem. Ratio est, primo: nam meritum est causa efficiens moralis præmij: ergo præmium, quod in præsenti est Incarnatio, non potest esse causa meriti; aliàs effectus esset causa efficiens suæ causæ efficientis, quod est impossibile, & præcipuè cum vtraque sit causa efficiens moralis. Nec exemplum valet; nam pugna futura militis non est causa meritoria entitatis equi, qui est causa simul cum industria militis pugnæ futuræ, quæ pugna tantum est causa meritoria dominij equi, non primæ donationis, & per accidens ad pugnam, quod miles habeat, vel non habeat dominium equi. At verò merita Christi secundũ Suarez sunt causa meritoria entitatis Incarnationis, & hæc Incarnatio est principium meritorum Christi, & esse simul causam, & effectum, est impossibile.

83

Secundo: quia datio equi esset mera gratia requisita ad victoriam in certamine consequendam. Tum; quia non dependeret à victoria, imò è cõtra. Tum; quia equs tribueretur militi, vt vinceret, sicque non posset equs ille habere rationem præmij anticipati respectu donationis, quia gratia nõ cadit sub merito. Tum; quia quod datur vt præmium, oportet, quod detur ex iustitia, & propter meritum receptum, sed Rex non dat equm militi ex iustitia, nec propter laborem receptum; imò potiùs miles pugnat ex iustitia: ergo Rex non potest dare equm per modum præmij anticipati propter victoriam subsequentem: ergo nec Deus vnionẽ per merita subsequẽtia Incarnationẽ. Hinc est, quod Christus non meruit dationẽ vnionis, quæ cũ sit principiũ meriti, non potest cadere sub merito, nec esse propter meritũ, cum ex ipsa meritum procedat.

84 Arguit.

Arguitur secundo: merita Christi, vt futura, potuerunt priùs prioritate naturæ prævideri à Deo, quam executio Incarnationis: ergo Christus per illa merita mereri potuit executionẽ. Consequentia patet. Antecedens probatur: intentio, quam habuit Deus se se Incarnandi, est prior decreto, illam exequendi; sed in illa intentione Incarnationis merita prævideri potuerunt, vt futura: ergo merita Christi, vt futura, potuerunt priùs prioritate naturæ prævideri à Deo, quam executio Incarnationis. Respondeo negando antecedens; cum merita Christi, vt futura, à futuritione Incarnationis quoad executionem dependeant. Ad probationem nego minorẽ: quia merita, cum à voluntate Christi dependeant, non possunt prævideri, nisi post prævisam voluntatem Christi, quæ prævideri non potest, nisi post decretum exequendi Incarnationem, non verò in intentione Incarnationis, quia merita, cum sint actus secundi, non spectant ad rem in intentione, sed in executione. Respondeo.

85 Arguit. 3.

Arguitur tertio: præmium potest antecedere meritum: ergo licèt Incarnatio sit prior, potest esse præmiũ meritorum Christi. Probatur antecedens: gratia data Sanctis Patribus antecessit merita Christi; sed fuit præmium meritorum Christi: ergo præmiũ potest antecedere meritum. Respõdeo distinguendo antecedens: præmium potest antecedere meritum exhibitum in re omitto antecedens; potest antecedere meritum, & esse præmium merendi se ipsum nego antecedens, & consequentiam; ex quo patet disparitas ad probationem: nam Incarnatio est principium meritorum Christi, & consequentèr nequit esse prçmium ipsorum meritorum; at merita Christi possunt esse causa gratiæ Sanctorum Patrum, quia hæc gratia non est principiũ meritorum Christi. Respondeo.

86 Arguit. 4.

Arguitur quarto: Christus per gratiarum actionem reddit Patri æquale pro beneficio Incarnationis: ergo potuit per eandem gratiarum actionem mereri Incarnationem, data hypotesi, quod Deus sic ordinaret. Respondeo: quod gratiarum actio non tantum præsupponit beneficium acceptum, sed potest ab illo procedere, vt Respondeo.

cum

cum quis agit gratias pro beneficio creationis; tamen meritum non potest procedere à præmio, tanquam à ratione merendi; nam gratiarum actio non causat beneficium, sicut meritum causat præmium.

87 *Arguitur 5* Arguitur quinto: Christus mereri potuit executionem vnionis hypostaticæ, si eius merita, vt futura prævideri potuerunt à Deo priùs prioritate naturæ, quam vellit exequi intentionem, quam habebat se incarnandi; quia ita merita sic prævisa potuerunt movere Deum, vt vellet executionem Incarnationis; sed potuerunt merita Christi, vt futura sic prævideri: ergo Christus per opera vnionem hypostaticam subsequentia potuit Incarnationem mereri. Probatur minor: intentio, quam habuit Deus Incarnationis, est prior decreto executionis illius; sed in illa intentione, vt ita priori decreto executionis, potuerunt merita Christi prævideri, vt futura: ergo potuerunt merita Christi, vt futura sic prævideri. Probatur minor: licèt prædestinatio hominum fiat ante prævisa merita in intentione; attamen prævisio meritorum præcedit in mente Divina decretum executionis talis prædestinationis: ergo licèt prædestinatio Christi, sivè intentio Incarnationis, sit prior in intellectu Dei prævisione meritorum Christi; priùs tamen merita illa prævideri potuerunt à Deo, quam decerneret exequi intentionem suæ Incarnationis.

88 *Respondeo.* Respondeo negando minorem, ad cuius probationem nego etiam minorem, & ad probationem illius concesso antecedenti nego consequentiam. Disparitas est: nàm merita hominis prædestinati non dependent efficienter ab executione prædestinationis, quin potiùs è contra, ipsa prædestinationis executio dependet efficienter à meritis; at merita Christi dependent efficienter ab executione Incarnationis, quare nequeunt prævideri pro priori ad decretum executivum Incarnationis, vt manet dictũ multotiès, præsertim *num.* 84.

89 *Replicabis.* Replicabis: licèt merita Christi in executione dependeant efficienter ab executione Incarnationis; non tamen ab illa dependent in prævisione: ergo merita Christi potuerunt prævideri ante executionem Incarnationis, & consequenter ruit solutio. Probatur antecedens; licèt collatio gloriæ dependeat in executione à collatione gratiæ efficienter; tamen ab illa non dependet in prævisione: ergo, &c. Respondeo negando antecedens, *Respondeo.* ad cuius probationem distinguo secundam partem antecedentis: collatio gloriæ, vt subest decreto intentivo, à collatione gloriæ non dependet in prævisione concedo antecedens; vt subest decreto executivo nego antecedens, & consequentiam.

Itaquè sicut collatio gloriæ, vt subest decreto executivo, dependet in prævisione à collatione gratiæ, eo, quod gratia est causa efficiens executionis gloriæ; ita merita Christi in vi decreti executivi dependent in prævisione ab Incarnatione. Quod autem collatio gloriæ, vt subest decreto intentivo, non dependeat in prævisione à collatione gratiæ; merita autem Christi in vi decreti intentivi ab Incarnatione in prævisione etiam dependeant, provenit ex eo, quod gloria est finis gratiæ; merita verò Christi non est finis Incarnationis, quin potiùs è contra. Vndè disparitas stat in hoc: quod gloria solũ est causa finalis gratiæ; & gratia est solum causa efficiens gloriæ; at Incarnatio non solum est causa finalis meritorum Christi, verum etiam efficiens; ideòque merita Christi semper in prævisione ab Incarnatione dependent; licèt gloria à gratia in prævisione non dependeat.

90 *Explicatur solutio.*

Arguitur sexto: quia finis causat, non vt existens, sed vt in apprehensione prævisus, vel apprehensus, potest causare suum principium formale, essentiale, & constitutivum, vt patet in toto causante finaliter apprehẽso formam, qua constituitur: ergo quia meritum causat, non vt existens, sed vt prævisus, poterit causare suum principium essentiale formale: ergo meritum Christi Incarnationem mereri potuit. Respondeo distinguendo antecedens: quia finis causat, non vt existens, sed vt in apprehensione prævisus, vel apprehensus, potest causare suum principium formale, essentiale, & constitutivum; in eo genere causæ, in quo à tali principio non

91 *Arguitur 6.*

Respondeo.

cau-

causatur concedo antecedens; in eo genere causæ, in quo à tali principio causatur nego antecedens, & consequentiam; quia si meritum causaret suum principium essentiale, causaret illud in eodem genere causæ, in quo ab eodem principio causaretur, quod repugnat.

92 *Arguitur 7* Arguitur septimo: principium formale essentiale meriti potest cadere sub merito, vel actione elicienda ab ipso principio, sic, quod existentia prius concedatur ob meritum prævisum futurum eliciendum à tali principio: ergo Christus Dominus potuit suam vnionem hypostaticam mereri per meritum eliciendū ab ipsa vnione prævisum, vt futurū. Consequentia est legitima. Antecedens probatur: principium essentiale, & formale demeriti potest sic cadere sub demerito, quod destructio existentiæ principij sit ob demeritum prævisum, vt futurum eliciendum à tali principio: ergo, &c. Antecedens probatur: quia licèt de facto Deus ob demeritum peccati mortalis hominem existentem non destruat, nec Angelum destruxit; potuit tamen prævidendo peccatum Luciferi, sicut æternis cruciatibus damnavit, suam anihilationem decretare; in hoc enim quod fuit inconveniens: ergo demeritum Luciferi potuit demereri anihilationem existentiæ suæ voluntatis, & principij formalis, & essentialis demeriti.

Consequentia principalis paritate suadetur: quia non minus potens est iustitia remunerativa iuxta præmiationem meritorum; ac punitiva iuxta punitionem demeritorum; sed iustitia punitiva potest movere se, vt puniat, anihilando principium formale demeriti ob demeritum eliciendum ab ipso principio: ergo & remunerativa movere se ad præmiandum, producendo existentialitèr principium formale meriti ob meritum eliciendum ab ipso principio prævisso, vt futuro. Probatur consequentia: quia non minor capacitas colligi debet in merito respectu præmij, quam in demerito respectu pœnæ: si ergo est capacitas in demerito, vt puniatur pœna anihilationis, seu principij: ergo est capacitas in merito, vt præmietur existentia sui principij.

93 *Respond. 6.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad cuius probationem ommisso antecedenti; nego consequentiam, & ad illius probationem concessis præmissis nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo antecedens: non minor capacitas colligi debet in merito respectu præmij possibilis, ac in demerito respectu pœnæ concedo antecedens; respectu præmij impossibilis nego antecedens, & consequentiam; quia in demerito est capacitas, vt puniatur pœna anihilationis sui principij, eo, quod existentia principij est causa efficiens demeriti; demeritum verò est causa finalis anihilationis principij. At in merito non est capacitas, vt præmietur existentia sui principij, quia in tali casu principium esset causa efficiens meriti, & meritum esset causa efficiens principij, quod implicat.

94 *3. Difficultas.* Tertia difficultas est: an Christus meruerit conservationem, seu continuationem suæ vnionis? In hoc nihil certum in Scoto, conformiùs tamen ad ipsum respondeo affirmativè, & probatur primo: tota ratio, cur nec Patres antiqui, nec Christus meruerunt Incarnationem, est, quia cum Incarnatio sit principium meriti, sequeretur, quod caderet sub merito, & quod daretur mutua causalitas in eodem genere causæ, scilicèt, efficientis moralis; sed hoc nō sequitur ex eo, quod Christus meruerit conservationem suæ vnionis: ergo Christus meruit talem conservationem. Consequentia est legitima. Maior patet ex dictis in discursu totius disputationis. Minor verò probatur: conservatio vnionis non est principium primæ operationis Christi, quin potiùs illam supponit: ergo, &c.

Respondetur affirmativè, & probatur 1.

95 *Prob. 2.* Probatur secundo: possibile est, Christū mereri conservationem suæ vnionis, & aliàs cedit in excellentiā, & gloriam Christi: ergo illam de facto meruit. Consequentia patet: nam id, quod est possibile, & cedit in excellentiam, & gloriam Christi, Christo de facto conceditur. Antecedens autem pro prima parte claret ex dictis *num. anteced.* & pro secunda videtur indubitatum. Confirmatur, & vrgetur: prima Christi operatio antecessit conservationem vnionis; sed

Confirm.

pri-

prima Christi operatio digna erat tali præmio: ergo meruit Christus cõservationem suæ vnionis. Minor, in qua potest esse difficultas, probatur: prima Christi operatio non est minoris dignitatis, valoris, & æstimabilitatis, quã vnio hypostatica: ergo prima Christi operatio digna erat tali præmio.

96 *Obijcies 1.* Obijcies primo: decretũ exequendi Incarnationẽ includit continuationẽ eiusdẽ; sed Christus nõ meruit, nec mereri potuit decretũ exequendi Incarnationẽ, vt in confesso habemus: ergo nec meruit cõtinuationẽ illius.

Respondeo. Respondeo distinguendo maiorẽ: decretũ exequendi Incarnationẽ, circũstantionatũ, & modificatũ modo continuationis, includit continuationem eiusdẽ concedo maiorẽ; decretũ exequendi Incarnationẽ, non circunstantionatũ, nec modificatũ modo continuationis, includit cõtinuationẽ eiusdẽ nego maiorẽ; & distinguo minorẽ: Christus non meruit, nec mereri potuit decretũ exequendi Incarnationẽ, non circunstantionatũ, nec modificatũ modo continuationis, cõcedo minorẽ; vt circunstantionatũ, & modificatũ tali modo nego minorẽ, & cõsequentiã. Imo miror, quod Scotista, cuius est argumentũ, hanc solutionẽ nõ adverteret, cũ illa vtatur cũ cæteris Scotistis pro defensione opinionis Scoti, scilicèt, quod Adamo non peccante Christus veniret.

97 *Obijcies 2.* Obijcies secundo. vnio, vt primo collata, fuit absque meritis, & ex natura sua est perpetua: ergo cõtinuatio fuit absque meritis. Confirmatur: conservatio vnionis est eiusdẽ rationis cum ipsa vnione: ergo sicut vnio nequit cadere sub merito, ita illius cõservatio.

Respondeo. Respondeo ad argumentũ cõcesso antecedenti, negando cõsequentiã. Disparitas est: nã prima collatio vnionis est principiũ meritorũ, ideòq; non fuit ex illis. At illius conservatio supponit meritũ, scilicèt, primã Christi operationẽ; vnde potuit ab illo dependere. Ad confirmationẽ omisso antecedẽti, nego cõsequentiã ob eandẽ rationẽ.

Dices. Dices: ergo cõtinuatio gratiæ, & gloriæ Christi fuit ex meritis ipsius. Concedo. Quid inde? Et quid contra nos?

Respondeo.

98 *4. Difficultas.* Quarta difficultas est: an Christus meruit Incarnationis circunstantias? Circunstantiæ Incarnationis aliæ sunt antecedentes, aliæ concomitantes, & aliæ subsequentes. Antecedẽtes sunt, quod Incarnatio sit prædicta à Prophetis, annuntiata ab Angelo, quod Christus descendat ex stirpe David, & Abrahã. Concomitantes sunt, vt esse factũ tali loco, tali tempore, & ex fœmina Virgine. Subsequẽtes sunt adorari à Magis; & laudari à Pastoribus.

99 Ex his antecedentes, & concomitãtes circunstantiæ sunt in duplici differẽtia. Aliæ sunt per se, & sunt illæ, quæ ex parte principij fuerunt necessariæ, vt quod vnio fieret Verbo, & nõ Patri, neque Spiritui Sancto. Aliæ sunt per accidẽs, & sunt illę, quę ex parte principij non fuerunt necessariæ, vt quod Virgo Maria fuerit eius Mater. Quibus scitis.

100 *1. Assertio.* Primo asserendum est: Christum de facto meruisse omnes circunstãtias antecedentes, & concomitantes per accidens; nõ verò circunstantias per se.

1. Pars probatur. Probatur prima pars: circunstãtiæ antecedentes, & cõcomitantes per accidens nõ requirũtur per se ad Incarnationẽ; sed quod per se non requiritur ad Incarnationem, potest cadere sub merito secuto ad Incarnationẽ. Imo credibile est: Deum ad omnia pręmia possibilia ordinasse opera Christi, cũ sint summi valoris: ergo Christus meruit de facto circunstãtias antecedentes, & cõcomitantes per accidẽs.

2. Pars probatur. Probatur secũda pars: principiũ meriti nequit cadere sub merito, vt toties dixi. sed circunstãtiæ per se sunt principiũ meriti, vti ipsa Incarnatio, vel ad minus sunt necessariæ ex parte principij: ergo nequeunt cadere sub merito; alioquin Incarnatio ipsa posset cadere, quod est falsum.

101 *Arguitur 1* Arguitur primo: homines nõ merẽtur id, quod tẽpore antecesserit eorũ merita: ergo nec Christus circunstantias antecedentes.

Respondeo. Respõdeo negãdo consequentiã. Disparitas est: nã nostra merita, cũ sint valoris limitati, solum ordinãtur ad gratiã, & gloriam, & ad alia subsequẽtia; at merita Christi, cũ sint summi valoris, sunt ordinabilia ad quod cũq; pręmiũ; nec obstat, quod antecedant ad meritũ: quia etiã gratia antiquorum Patrũ præcesserit Incarnationem, & promerita fuit à Christo.

102 *Arguitur 2* Arguitur secundo: quod est principiũ de facto alicuius rei, etiã si per accidens

cidens sit, quod de facto sit tale principium, vt quod B. V. Maria sit Mater Christi, nequit simul esse effectus eiusdē rei; sed præuicta circunuātia, & alię similes, sunt de facto principiū Incarnationis, & meritorū Christi: ergo nequeunt esse effectus illius: ergo mereri nequeunt a Christo. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorē: nequit esse effectus eiusde rei in eodem genere concedo maiorē; in diverso generē nego maiorē; distinguo minorē: sunt principiū physicū Incarnationis cōcedo minorē; morale nego minorē; & distinguo consequens: ergo nequeunt esse effectus physici concedo consequentiam; morales nego consequentiam. Itaquè principiū physicum alicuius rei, licèt nequeat esse effectus physicus illius; potest tamē esse effectus moralis; hæc enim nō opponūtur. Nec obest: quod principiū physicè antecedat; quia moraliter subsequitur, vt claret in gratia ātiquorū Patrū respectu Incarnationis.

103 *2. Assertio.* Asserendū est secundo: Christū de facto meruisse omnes circūstātias, Incarnationē subsequentes. Hoc assertū est cō nunc omnibus Theologis, vno excepto, & *Probatur.* probatur breviter: nulla circūstātia, Incarnationē subsequens, se tenet ex parte principij merēdi, sed omnes ad illud subsecuntur: ergo sub merito Christi cadere possunt: ergo cum hoc cedat in laudem, excellentiam, & gloriam Christi, dicendū est, illas Christum de facto meruisse.

104 *Corollarium* Ex quo colligitur: Christū meruisse Magorū & Pastorū adorationē, fugam in Egiptū ad evitandam præmaturam mortē, laudē Angelorū; curā, solicitudinē B. V. Mariæ, & Iosephi; extensionē vnionis hypostaticæ ad eas substātiæ partes, quas per nutritionē acquirebat. Meruit etiā reunionē totius humani cū Verbo: nam anima Christi in triduo fuit separata ab anima; ideōq totū humanū fuit destructū, & in resurrectione reunitū Verbo; quia hęc resurrectio consequitur ad vnionē hypostaticam, cum sit effectus virtutis Christi, qui propria virtute resurrexit à mortuis, & ascendit in Cœlum.

105 *5. Difficultas.* Quinta difficultas est: an B. V. Maria meruerit Maternitatē Dei, & quomodo? Pro cuius resolutione assero primo: Beatissimā Virginē meruisse, saltim de congruo, Maternitatē Dei. Probatur primo: nā Ecclesia in Antiphona tempore Paschali canit: *Regina Cœli lætare quia quē meruisti portare, resurrexit:* ergo saltim de congruo meruit Maternitatē. Confirmatur ex Patribus, nempè, Ambrosio, Augustin. Hieronym. Chrisostom. Gregor. Bernard. & alijs dicentibus: Beatissimā Virginē propter vitæ puritatem meruisse pignore Christum: ergo saltim de congruo meruit Maternitatem.

1. Assertio, & 1. eius probatio.

106 *Dices 1.* Dices primo: Ecclesiā, & Patres loqui de merito improprio, & pro coaptione ad tale dignitatem; nā si propriè verba Patrū sunt intelligenda, debent intelligi de merito de condigno: nam semper vtūtur nomine hoc: *dignū, & condignū.* Sed contra primo: quia quando nullū est inconveniens, verba Ecclesiæ, & Patrū in rigore sunt explicāda; cū verò intelligere de merito proprio nō sit inconveniēs, & inconveniens sit, explicare de merito de condigno, vt videbimus, de merito proprio sunt intelligēda. Secūdo: quādo est sermo de merito intuitu operū, vt loquitur Gregor. 1. Reg. *cap.* 1. de merito proprio est explanandus; aliàs nullū esset fundamētū, vt dicamus iustos propriè mereri gloriā: ergo ruit solutio data. *Contra 1.* *Contra 2.*

107 *Dices 2.* Dices secundo: Ecclesiam, & Patres loqui de obsequijs, quæ Matres præstant filijs, vt est in vlnas portare, lactare, &c. Nā Ecclesia ait: *Meruisti portare dignū filij habitaculū.* Contra primo: quia voluntariè limitatur tale habitaculū, cū absolutè dicatur, & sit habitaculum ab initio conceptionis. Secundo: quia plures Patres locuntur de Maternitate ipsa, nimirùm, pignore Christum: nulla ergo est solutio. *Contra 1.* *Contra 2.*

108 *Prob. 2.* Probatur secundo paritate: Abrahā, & David meruerunt de congruo, vt Christus ex ipsis originem duceret, vt constat ex Genes. & 2. Reg. cuius verba retulimus *n.* 9. & adducit Ill. God. *n.* 3. ergo paritèr: Beatissima Virgo meruit, saltim de cōgruo, vt esset Mater Christi. Tertio probatur ratione: Maternitas Virginis fuit dependens ab illius consensu, vt claret ex illo Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, vbi Patres dicunt: quod si Beatissima Virgo hoc non dixisset, Verbum non fieret homo ex vi præsentis decreti: ergo meruit Dei Maternitatem saltim de congruo. *Prob. 3.*

Pro-

109 *Probatur 4*

Probatur denique: nam Beatissimã Virginẽ meruisse, saltim de cõgruo, Maternitatẽ Dei, est Virginis excellẽtia, & non implicat, ergo illi concedẽda. Antecedens quoad primã partem est certũ. Quoad secundam convincit paritas assignata, & ratione probatur: quia hæc numero. Maternitas non est per se requisita, vt sit idem numero Christus; nã idẽ numero Petrus esset, si produceretur à Maria, vel à Cathãrina: ergo potuit Deus decernere in executione prius hanc Incarnationẽ numero cum meritis, quæ de facto habuit Christus, & intuitu ipsorũ dare gratiã, & merita Virgini, prius quã decernere hanc numero Maternitatem: ergo potuit Christus talẽ circunstantiã mereri, & similiter Virgo Maria ex gratia exhibita ex Christi meritis, & congruũ est, vt prius decernerẽtur merita, & gratia Virginis Mariæ, vt tali fœminę tot gratijs ornatæ, decerneretur Maternitas, vt cõmunitèr dicunt Ecclesia, & Patres, nẽpè, *dignũ habitaculũ*.

110 *Dices.*

Nec dicas, vt quidã Scotista ait: Scotũ *in 4. dist. 2. quæst. 1. §. ad 1. argumentũ*, oppositũ sensisse. Hoc enim falsũ est, & vt appareat, hæc sunt Scoti verba: *Quia si tempore conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona absolutè respectu Incarnationis, sed fortè acceleronis.* Vbi de Maternitate non agit, sed de Incarnatione, quam Beatissimam Virginem non meruisse, expressè tenet Doctor, licèt circunstantiam temporis meruerit.

Contra.

111 *2. Assertio, & eius probatio.*

Assero secundo: Beatissimã Virginẽ non meruisse de condigno Maternitatẽ Dei. Sic communitèr Theologi, & licèt variè à varijs probetur, à nobis tamẽ hac ratione ostenditur: opera Beatissimæ Virginis fuerunt de facto ordinata ad merendũ augmẽtũ gratiæ, & gloriæ, tanquam ad præmiũ æquivalens, & adæquatũ: ergo nõ meruerunt de condigno aliud præmiũ: ergo neque Maternitatẽ. Prima cõsequentia probatur: quia duo præmia adęquata, & nõ subordinata nequeũt eodẽ merito mereri, præsertim, quando est finiti valoris; sed meritũ Beatissimæ Virginis fuit valoris finiti: ergo cũ ordinatũ fuerit ad merẽdũ augmẽtũ gratiæ, & gloriæ, tanquã ad pręmiũ adæquatũ, non meruerũt de cõdigno aliud præmiũ. Minor, & cõsequentia tenent. Maior vero patet: nã ea ratione dicitur tractatu de merito; nõ posse Iustũ alteri homini mereri de condigno gratiã actualẽ, nec habitualem.

112 *Respõdebis*

Respondebis: potuisse Deũ aliquod meritũ Beatissimæ Virginis ordinare ad merendã Maternitatem, & non ad augmentũ gratiæ, & gloriæ. Sed cõtra primo: nã licèt hoc potuerit de potẽtia Dei evenire; non tamẽ constat, ita ordinasse, quod erat necessariũ, vt de facto Maternitatem de condigno meruisset. Contra secundo: nã congruum non fuit, ita Deũ ordinasse, quia privaretur Beatissima Virgo pręmio, Maternitate excellentiori, scilicèt, augmẽto gratiæ, & gloriæ: ruit ergo responsio.

Contra 1.

Contra 2.

113 *Arguitur 1.*

Arguitur primo: nã Ecclesia dicit: *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Et Ambros. 2. *de Virginibus.* Basilius, Bernardus, &c. dicunt: Beatissimã Virginẽ fuisse dignam, vt ex ea Christus nasceretur: ergo si meruit, de condigno meruit. Respondeo: quod Ecclesia tantũ voluit, quod de condigno meruit illum gradum Sanctitatis, quo apta est, vt sit congrua Mater Dei, vt docuit D. Thom. 3. *part. quæst.* 2. *artic.* 11. *ad* 2. Ad Patres dico: non loqui de dignitate meriti, sed personæ; quare sicut dicitur quis dignus Episcopatu, & domus digna, vt habitetur à Rege; ita Beatissima Virgo erat digna propter summam dignitatem, & carentiam culpæ, vt Deum conciperet.

Respondeo.

114 *Arguitur 2.*

Arguitur secundo: Beatissima Virgo meruit de condigno illum Sanctitatis, aut gratię gradũ, quo vltimo fuit disposita ad Maternitatẽ Dei: ergo meruit de condigno suã Maternitatem, quoniam, qui de condigno meretur dispositiones ad formã, videtur etiã mereri ipsam formã. Respondeo negando antecedens: nã Deus, qui elegit eam in Matrem, eam disposuit, & super flumina præparavit illam, vt canit Sancta Mater Ecclesia in officio Immaculatæ Conceptionis ordini nostro concesso.

Respondeo.

115 *Arguitur 3.*

Arguitur tertio: merita Beatissimæ Virginis habuerunt valorem ad merendũ gloriam, quę est maius pręmiũ, quam Maternitas, vt constat ex D. Augustino *de Sancta Virginitate cap. 4. magis est concipere Deũ mente, quam ventre*: ergo meruit Maternitatẽ. Respondeo: verũ esse, quod qui maius meretur, mere-

Respondeo.

tur minus, si sit eiusdem rationis; nam qui meretur quatuor gradus gratiæ, meretur duos; secus verò si sint præmia diversæ rationis; nam Iustus meretur gloriam, non tamen alas ad volandum, quod est minus. Rursus, vt dixi, vnum meritū non habet duo præmia non subordinata. Ex quo patet: quod Virgo de facto non meruit Maternitatem de condigno; fateor, quod potuit de potentia absoluta, quod docet Suarez, & in nostra sententia, in qua pactū addit valorem, est facilius, sed cum non sit, nequè constet de tali pacto, non audeo de facto affirmare.

116 *6. Difficultas.* Difficultas sexta est: an Beatissima Virgo, vel aliqua alia creatura sit, vel possit esse causa physica vnionis hypostaticæ? Omnes conveniunt, totam Trinitatem esse causam principalē Incarnationis, licèt solū Verbū terminaverit humanitatē. Conveniunt etiam, nullam creaturā potuisse esse causam principalem Incarnationis; quia implicat creaturam trahere Divinam personam, vt hypostaticè vniatur.

117 *Dices.* Nequè obstat, quod quidā Scotista ait, scilicèt, hoc non implicare, nequè rationi, nequè Scoto; non rationi, nā visio beata elicitur connaturalitèr physicè à lumine gloriæ. Non Scoto; nam secundū ipsum *in 4. dist. 1. quæst. 1. §. ideò dici potest, ante lit. N.* sicut non implicat, quod charitas sit ratio formalis acceptationis Dei, ita non implicabit, quod sit ratio effectiva.

118 *Contra.* Non, inquam, obstat; implicat namquè Scoto, & rationi. Quod Scoto implicèt, ostenditur primo: nā Scotus ibi arguit contra Magistrum, reprobando rationes illius. Secundo: argumentatio Scoti habet vim in sententia dicētiū: Charitatē physicè, & ex natura rei facere acceptū; nā si hoc est possibile formalitèr: ergo efficientèr. In sentētiā verò Scoti, quod facit ex Dei volūtate causa efficiens, id solū moralitèr operatur. Tertio: nam Scotus ibi loquitur de instrumento, hic Scotista de causa principali. Quarto: nam si hoc est possibile de causa principali, quarè hoc negat Virgini, vt physico instrumento, cum minus sit instrumentum, quam causa principalis.

119 Quod verò rationi implicet, manifestatur primo: quia visio beata est actus, qui nō petit creari, vti vnio hypostatica. Secundo: quia licèt habitus supernaturales physicè cōcurrant ad suos actus, non tamē est aliquid, quod physicè cōcurrat ad habitus supernaturales, & vnio est veluti habitus, præcipuè, cum Verbū alliget, quod fieri ab aliquo physico, est impossibile; solū ipse potest per suā voluntatē ad aliquid alligari. Tertio; quia si vnio est substantia, vt probabile reputat hic Scotista, debet dari substantia supernatnralis, quæ sit causa principalis illius, quæ est impossibilis, in Scoti opinione, vel si est substantia naturalis cum modo supernaturali, non erit causa principalis, sed instrumentalis.

120 *1. Conclusio* De causa itaquè instrumentali remanet difficultas, duplici cōclusione resolvenda. Prima conclusio: *De facto Beatissima Virgo* (& idē de qualibet alia creatura) *non fuit elevata à Deo, tanquam instrumentum, ad coniungendam hypostaticè humanitatē Verbo Divino.* Hæc conclusio est cōmunis. *Probatur 1* Probatur primo: Incarnatio, seu vnio hypostatica, est opus Dei, nullamque causam sui agnoscit præter Omnipotentiā: ergo B. Virgo non est causa instrumentalis. Consequentia patet. Probatur antecedens. Primo: ex illo Psalm. 135. ℣. 4. *Qui facit mirabilia magna solus*; at omniū mirabiliū maximum est vnio hypostatica: ergo solus Deus, seclusa quacumque alia causa, eam facit. Secundo: ex illo Abac. 3. *Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud*, id est, opus, ita tibi proprium, & singulare, vt fieri possit à te solo; sed opus illud est Incarnatio, vt exponunt Patres, & vt indicant hæc verba: *In medio annorum vivifica illud*: ergo Incarnatio nullam causam habet, prætèr Divinam voluntatē, quæ, nulla causa secunda concurrente, creavit novum super terram. Tertio: ex Luc. 1. *Quommodo fiet istud?* Angelus respondens Mariæ ait: *Non est impossibile apud Deum omne Verbum*, ac si dixisset: opus illud impossibile esset, nisi virtus altissimi illud efficeret, cuius tota ratio est virtus facientis: ergo, &c.

121 *Prob. 2.* Probatur secundo: Instrumentum attingit effectum causæ principalis, per virtutem ab illa derivatam, vt patet; sed B. Virgo vnionem hypostaticā attingere non potuit: ergo nec esse causa instrumentalis. Probatur minor: quod ex se petit creari, à creatura at-

tin-

tingi mininè potest ; aliàs creatura creare posset; sed vnio hypostatica est creata : ergo, &c. Deinde: B. Virgini concedendus est concursus ille , qui necessarius est , vt sit verè mater Dei: concurrit enim vt mater, & est verè mater, quia verè vt mater concurrit; sed ad salvandā maternitatē Christi in B. Virgine, non requiritur concursus instrumentalis in ordine ad vnionem hypostaticā. Tū; quia cōcursus matris in productione filij non est instrumētalis, cum sit activus, sed principalis; id circo concursus Virginis non potest esse instrumētalis. Tum; quia cū vnio non sit de essentia Christi, sed tantum conditio, non respicit Virginem, seu matrē Christi, tanquā causa. Tum; quia mater non est mater, quia vnit materiā cum forma, sed tantū, quia præstat, & ministrat materiā; sed Deipara Virgo ministravit materiā , quam Verbū Divinū coplevit propria subsistentia in eodē instanti, in quo persona creata resultasset: ergo B. Virgo est verè mater Dei , sine concursu ad vnionem hypostaticam.

122 *Objcies.* Objcies : plures Patres asserunt: Beatissimam Virginem fuisse de facto instrumentum ad Incarnationē: ergo nostra conclusio est cōtra Patres. Probatur antecedens : nam hoc asserunt Ambros. *Epist.* 82. Bernar. *homil.* 4. *super missus est.* Ilichius *homil.* 2. *de Virgine* (habetur *tom.* 2. Bibliothecæ Patrum) & alij frequentèr: ergo plures Patres asserunt: B. Virginem fuisse de facto instrumentū Incarnationis. *Respond.* 1. Respondeo primo : quod à Patribus Beata Virgo vocatur instrumentum Incarnationis, quia cooperata est ad Incarnationem concipiendo humanitatē, quod non est ad rē. *Respond.* 2. Respondeo secundo: Patres esse intelligendos de concursu dispositivo, quia B. Virgo præparavit, & subministravit purissimum sanguinem ad formandam humanitatem hypostatice vniendam Verbo ; non autem de concursu effectivo.

123 2. *Cōclusio.* Secunda conclusio : *De potentia Dei absoluta non potuit Beatissima Virgo, aut alia quælibet creatura , elevari à Deo , tanquam instrumentum physicum Incarnationis.* Sic Scotus *in* 4 *dist.* 1. *per tot.* & est contra Thomistas communitèr, probaturque *Probatur* 1 primo : physicum instrumentum debet habere inchoatam virtutem ad effectum ; sed nulla creatura habet inchoatam virtutē respectu Incarnationis : ergo nec Beatissima Virgo , nec aliqua pura creatura potest elevari à Deo, tanquam physicum instrumentū Incarnationis. Probatur secundo: nulla creatura potest instrumentalitèr concurrere ad missionē personæ Divinæ; sed Incarnatio, seu vnio hypostatica est missio terminativè, & actualis communicatio, aut datio personæ Divinæ: ergo de potētia Dei absoluta non potuit B. Virgo, aut alia quælibet creatura, elevari à Deo, tanqua instrumentum physicum Incarnationis. *Prob.* 2.

Probatur tertio conclusio : Beatissima Virgo non habet potentiā obedientialem ad habitus supernaturales per se infusos, nec ad id , quod petit creari; sed vnio hypostatica est per se infusa, & petit creari: ergo Beatissima Virgo non habet potentiā obediētialē ad vnionē hypostaticā: ergō nequit elevari, vt physicum instrumentū Incarnationis. 124 *Prob.* 3. *Confirm.* Confirmatur : quia vnio hypostatica est extra spheram activitatis Beatissimæ Virginis , sicut visio beatifica est extra spheram oculi corporei: ergo sicut implicat, quod oculus corporeus elevetur ad videndum Deum, ita implicat, quod Beatissima Virgo elevetur ad producendam vnionem hypostaticam.

Probatur quarto: vnio hypostatica habet esse per creationem: ergo si virtus creativa repugnat creaturæ, nulla creatura poterit elevari, vt instrumētum physicū ad producendā prædictā vnionē. Atqui repugnat creaturæ virtus creativa: ergo repugnat, quod creatura elevetur à Deo , tanquam physicum instrumentum vnionis hypostaticæ. 125 *Prob.* 4. Probatur sustumpta primo: creatura nequit producere, nisi dependētèr à subiecto: ergo repugnat creaturæ virtus creativa. *Sustumpta probatur* 1. Probatur antecedens : causa præcisa, & adæquata non producendi , nisi dependentèr à subiecto, est finitas, & limitatio; sed creatura nequit non esse finita , & limitata : ergo creatura nequit producere, nisi dependentèr à subiecto. Minor est certa. Consequentia patet : nā hoc ipso, quod finitas, & limitatio sit causa præcisa, & adequata non producendi, nisi dependentèr à subiecto, nequit creatura producere independenter à

subiecto, nisi auferatur a creatura causa præcisa, & adæquata, vt est manifestum: sed nequit aufferri à creatura causa præcisa, & adequata; alioquin finitas, & limitatio posset a creatura aufferri: ergo vera est supra posita consequentia.

126 Si autem maiorem illius syllogismi neges, eam sic probo: causa præcisa, & adæquata non producendi nisi dependenter à subiecto, est non continentia influxus illius subiecti, à quo educitur forma; atqui ratio præcisa, & adæquata non continendi hunc influxum, est finitas, & limitatio: ergo causa præcisa, & adæquata non producendi, nisi dependenter à subiecto, est finitas, & limitatio.

127 *Prob. 2.* Probatur secundo supra posita sussumpta: si creaturæ non repugnaret virtus creativa, nulla esset ratio, qua Concilium contra Arrianos probat: Verbum Divinum non esse creaturā; sed hoc nequit dici: ergo repugnat creaturę virtus creativa. Probatur maior: ratio, qua Concilium probat contra Arrianos: Verbum Divinum non esse creaturam, est, quia creat: ergo si creaturæ non repugnaret virtus creativa, nulla esset ratio, qua Concilium contra Arrianos probat: Verbum Divinū non esse creaturā. Consequētia patet: nam demus, quod virtus creativa nunc communicetur Beatissimæ Virgini, & quod nunc Virgo gloriosissima creet: ergo nunc nulla est ratio Concilij, quia non solum Verbū Divinū, sed etiam creatura, crearet. Vndè licèt opposita sententia probabilis valdè sit, & valdè pia, quæ id de facto Beatissimæ Virginī concedit, pietatē laudo, opinionē tamē non amplector: tum; quia veritatem non agnosco. Tum etiam; quia arma contra Concilium Arrianis tribuere videtur.

128 *Arguitur 1* Arguitur primo: potentia obedientialis est quodam modo infinita: ergo elevari potest ad producendam vnionem hypostaticam. Probatur antecedens: potentia obedentialis mensuratur ex Omnipotentia Dei: ergo est quodammodo infinita. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: potentia obedientialis mensuratur ex Omnipotentia Dei, & ex capacitate naturæ concedo antecedens; ex Omnipotentia Dei tantum nego antecedens, & consequentiam; non enim datur potentia obedientialis activa à naturali distincta, vt docet Scotus.

Arguitur secundo: Sacramenta elevantur, vt instrumenta; ad producendam gratiam: ergo creatura elevari potest, vt instrumentum; ad vnionem hypostaticam producendam. 129 *Arguitur 2* *Respond. 1.* Respondeo primo: hoc argumentum probare, quod de facto creatura elevata fuit, vt instrumentum, ad producendā vnionem hypostaticam; nam sacramenta de facto elevata sunt, vt instrumenta, ad gratiam producendam, ex quo fiat contra argumentum retorsio. *Respond. 2.* Respondeo secundo, & directè distinguendo antecedens: Sacramenta elevantur, vt instrumenta moralia, ad producendam gratiam concedo antecedens; vt instrumenta physica nego antecedens; imò hoc est repugnās, ex quo patet falsitas consequētiæ.

Arguitur tertio: intellectus creatus, qui naturalis est, elevatur ad producendam beatificam visionem, quæ supernaturalis est: ergo Beatissimā Virgo elevari potest ad producēdā vnionē hypostaticā. Hoc argumentū, sicut & præcedens, probat: Beatissimā Virginē esse de facto elevatā ad producēdā vnionē hypostaticā, quod ipsi adversarij negant, ex quo fiat in ipsos retorsio. Deindè probat: Beatissimam Virginem posse elevari ad producendā vnionē hypostaticā, non solū tanquam instrumentū physicū, sed etiam vt causa principalis, qualis est intellectus respectu visionis beatæ, ex quo etiam retorsionē patitur argumentū. Vndè respondeo ad argumentū concesso antecedenti negando cōsequentiā; quia beatifica visio est actus, qui non petit creari, sed produci a potentia vitali, ideòque intellectus, qui vitalis est, potest elevari ad visionē beatificā; ast hypostatica vnio petit creari, & cū virtus creativa repugnet creaturæ, repugnat, quod creatura elevetur ad producendam instrumentaliter talem vnionem.

130 *Arguitur 3* *Retorquetur dupliciter.* *Respondeo.*

Arguitur quarto: Beatissima Virgo est causa humaniratis: ergo est causa vnionis hypostaticæ. Probatur consequentia: vnio hypostatica sequitur ad humanitatem; sed Beatissima Virgo est causa humanitatis: ergo est causa

131 *Arguitur 4*

Vnio-

vnionis hypostaticæ. Maior, & minor tenent. Consequentia verò probatur: quod est causa alicuius, est causa illius, quod sequitur ad illud; atqui per nos Beatissima Virgo est causa humanitatis, ad quam sequitur vnio hypostatica: ergo Beatissima Virgo est causa vnionis hypostaticæ. *Respondeo:* Respondeo ad argumentum concesso antecedenti, negando consequentiam, ad cuius probationem concesis præmissis nego consequentiam, & ad probationem illius distinguo maiorē: quod est causa alicuius est causa illius, quod sequitur ad illud ex illius influxu concedo maiorem; ex influxu alterius nego maiorem; distinguoque minorem: sed Beatissima Virgo est causa humanitatis, ad quam sequitur vnio hypostatica, ex influxu præcito ad humanitatem nego minorem; ex influxu creativo Dei concedo minorem, & nego consequentiam; nam cum Beatissima Virgo influat in humanitatē, & non in vnionem hypostaticam; hęc enim à Deo creatur, est causa humanitatis, quin sit causa vnionis.

132 *Retorquetur duplicitèr.* Deindè retorqueo primo argumentum: Beatissima Virgo est de facto causa humanitatis: ergo de facto est causa vnionis hypostaticæ, quod negant contrarij, vt in plurimum. Retorqueo secundo: Beatissima Virgo est causa efficiens principalis humanitatis: ergo est causa efficiens principalis vnionis hypostaticæ. Consequētia probatur, sicut ab aduersarijs probatur consequentia argumenti. Atqui hoc est contra omnes ferè Authores, qui inconclusione à nobis dissentiūt: ergo contra ipsos est argumentum ab ipsis contra nos factum.

133 *7. Difficultas.* Septima difficultas est: an sit aliqua causa dispositiva Incarnationis? Dubiū est de causa habituali; nam de actuali, & meritoria egimus in discursu totius disputationis. Gratiā habitualē esse prævią dispositionem ad Incarnationē, docent aliqui, ex quibus alij dicunt: esse dispositionem simpliciter necessariam, & alij esse solum moralem, & congruā. Contra quos omnes.

134 *Conclusio. Probat. ratione. Scoti.* Dico: *nullam gratiam præcessisse ad Incarnationem, nec vt necessariam, nec vt congruam.* Sic Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 2. §. ad secundum argumentum*, & probatur ratione illius: personalitas Verbi terminat humanitatem in illo instanti, in quo terminaretur à propria; sed à propria personalitate terminaretur ante quācumque dispositionē: ergo nulla de facto præcessit dispositio. Confirmatur: natura prius completur in esse substantiali, & personali, quam in accidentali; sed talis gratia est accidens: ergo posterior personalitate: ergo nulla præcessit dispositio de facto.

135 *Obijcies 1.* Obijcies primo: congruū est, quod quæ infinitè distant, media aliqua dispositione vniantur; sed natura humana, & Divina infinitè distant: ergo aliqua gratia præcessit Incarnationem. Maior claret in intellectu respectu visionis, qui sine tanta distantia disponitur ad illam medio lumine. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem; quia ordo naturalis postullat, vt natura prius compleatur personalitate, quam recipiat accidens. Nec probatio est ad rem; quia lumen non est dispositio, sed comprincipium efficiens, vt diximus *tom. 1. disput. 18. num. 96.*

136 *Obijcies 2.* Obijcies secundo: nulla natura est capax subsistentiæ Verbi, nisi, quæ est capax gratiæ: ergo gratia requiritur, vt dispositio. *Respōdeo 1.* Respondeo primo: omisso antecedenti, negādo consequentiā; quia ex ipso non sequitur, vt ex nostra claret probatione. *Secundò.* Respondeo secundo negādo antecedens; quia quælibet natura substantialis est immediatè assumptibilis à Verbo, etiā irrationalis, vt docet Scotus *in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 2.* quē Theologi cōmuniter secuntur, & ratio est. Primo: subsistentia cuiuscūq; naturę substantialis distinguitur realiter ab ipsa, vt omnes fatentur; sed ob hanc rationē potuit Verbū assumere, vt de facto assumpsit, naturā humanā: ergo ob eandē rationē poterit quālibet aliā assumere. Secundo: quælibet natura substātialis habet propriā subsistentiā: ergo potest loco illius substitui Divina. Tertio: personalitas Verbi est independens independentia oppositā dependentiæ cuiuscumq; naturæ substantialis: ergo potest terminare dependentiam cuiuslibet. Quarto: de facto Verbum in triduo fuit vnitum corpori: ergo potuit assumere quamcumque aliam naturā. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 4. §. penult.* Hæc etiam de secundo tractatu dicta sufficiant.

TRAC-

TRACTATVS TERTIUS.

DE VERBO ASSVMENTE.

DISPVTATIO DECIMA QUARTA.

An Verbum per Incarnationem fuerit mutatum intrinsicè?

§. Vnicus.

Ratio dubitandi proponitur, illiusque solutio traditur, & quæ contra illam militant, solvuntur.

Num. 1 *Quid sub nomine Incarnationis importetur*

INcarnationis nomine significatur vnio humanitatis, & Divinitatis in vna Christi persona, non conversione Divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis ad Deum, vt inquit Athanasius in symbolo. Licèt autem humanitas ex carne componatur, & Spiritu, exprimitur nomine carnis, accepta parte pro toto, quod inconsuetum in Scriptura non est, vt constat ex Luc. *cap.* 3. vbi dicitur: *Et videbit omnis caro salutare Dei*; & alibi: *Omnis quippè caro corruperat viam suam.* Et Ioan. 1. vbi hoc misterium carnis nomine revelatur, ibi: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

Ratio autem, cur nomine carnis, non autem nomine Spiritus, exprimatur vnio humanitatis cũ Verbo, redditur à D. Thoma in Ioan. 1. *lect.* 7. Tum; ad ostendendam veritatem Incarnationis contra Manichæos negantes, veram carnem assumpsisse: Tum etiam; ad demonstrandam magnitudinem charitatis Dei ergà homines, qui adeò se exinanivit, vt tam vilem, & abiectam, ab illiusque summa simplicitate distantẽ, carnis naturam propter illos redimendos assumpserit, iuxtà illud Pauli 1. ad Timoth. 3. *Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne.* Quod Theophylatus in Catena D. Thom. expendit elegantèr his verbis: *Evangelista volens ostendere inenarrabilem Dei condescensum, carnem commemorat, vt illius admiremur misericordiam, quoniam propter nostram salutem, quod omninò remotum, & distans est ab eius natura, assumpsit, scilicèt, carnem; anima namque habet aliquam propinquitatem ad Deum.* Nomine ergo Incarnationis rectè significatur vnio humanitatis ad Verbum, & illius à Verbo assumptio.

2 *Ratio dubitandi.*

Quod autem in hac disputatione in examen vertimus, est, an Verbum per carnis, vel humanitatis assumptionem fuerit mutatum intrinsicè? Ratio dubitandi, eaque satis ingens, & difficilis est: nam mutatio intrinsica est transitus de non esse intrinsico ad esse intrinsicum; sed Verbum per Incarnationem transivit in tempore de non esse intrinsico ad esse intrinsicum: ergo fuit mutatum intrinsicè per Incarnationem. Consequentia est bona. Maior continet diffinitionem mutationis intrinsicę; minor autem probatur: transivit de non esse hominem ad esse hominem in tempore; sed Verbum esse hominem est aliquid intrinsicũ ipsi; humanitas nãquè est intrinsica Verbo: ergo transivit per Incarnationem de non esse intrinsico ad esse intrinsicum. Vel alitèr potest ratio dubitandi proponi: nam aliquid mutari intrinsicè, est alitèr intrinsicè se habere; sed Verbum per Incarnationem alitèr se habuit intrinsicè; nam fuit factum intrinsicè homo, quod

Alitèr proponitur.

ante Incarnationem non erat: ergo per Incarnationem fuit intrinsicè mutatum.

3 *Confirmatur 1.*

Confirmatur primo: nam intrinsica alietas, nũc, ac priùs est intrinsica mutatio; sed in Verbo post Incarnationẽ fuit intrinsica alietas: ergo intrinsica mutatio. Maior cum consequentia tenent. Minor autem probatur: Verbum, vt homo, est aliud alietate intrinsica à se ipso nudè sumpto; sicut corpus, vt album, est aliud intrinsica alietate à se ipso sine albedine; sed ex vi Incarnationis factum est homo: ergo ex vi Incarnationis inducta est in Verbo intrinsica alietas à se ipso antè Incarnationem inspecto.

4 *Confirm. & vrgetur 2.*

Confirmatur, & vrgetur secundo: nam Verbum per Incarnationem est mutatum aliquomodo; sed non mutatione extrinsica: ergo intrinsica mutatione. Consequentia tenet; nam mutatio adæquatè in extrinsicam, & intrinsicam mutationẽ dividitur: ergo si Verbum per Incarnationem fuit aliquomodo mutatum, & non mutatione extrinsica, benè infertur, fuisse intrinsicè mutatum. Maior videtur certa, abstrahendo à mutatione extrinsica, vel intrinsica; cum enim novam formam induerit, non potuerit non immutari mutatione sic abstrahente Minor autem probatur: etenim mutatio extrinsica est, quæ provenit à forma extrinsica subiecto immutato; sed humanitas non est forma extrinsica Verbo: ergo ab illa non potuit extrinsica mutatione mutari.

5 *Referuntur varij errores.*

Hæc ratio dubitandi ob sui ingentem difficultatem Hæreticos in varios errores induxit. Quidã Divinitatem Christi negarunt. Alij illius humanitatem, non valentes, aut nolentes percipere duas naturas, humanam, nempè, & Divinam, in vna persona coniunctas, nec Verbum factũ hominem absque illius intrinsica mutatione. Quos lato, & erudito calamo, vt solet, refert Castro *lib. 4. adversus hæreses* Verbo *Christus, hæres. 1. & 2.* Alij denique negarunt Divinam immutabilitatem, asserentes, Deitatem mortuã, passam, & crucifixam esse pro nobis. Ita Eutyches, & Azephali, alijque antiquiores hæretici, quos refert idem Castro *cit. hæres. 4.*

6

Asserendum tamen est, & Catholicè tenendum: *Verbum per Incarnationem intrinsicè mutatum non esse.* Quod patet: nam Verbum assumpsisse carnem, & hominem factum esse, est veritas fide Catholica certa, vt constat ex Ioan. *cap. 1.* ibi: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis,* & contra Iudæos ex veteri testamento pluribus testimonijs confirmant Medina *in 3. part. quæst. 3. præm.* Suarez *disput. 1. & 2.* alijque ab ipsis relati; sed Deum esse immutabilem omninò, etiam est veritas fidei, vt constat ex Malachiæ *3. cap.* ibi: *Ego Deus, & non mutuor.* Et Iacob *1. Apud quem non est transmutatio:* Imò est diffinita in Concilio Lateranensi *cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica,* & à Patribus passim traddita.

Conclusio Catholica statuitur, & eius probatio.

7 *Probatur ex D. Thoma.*

Hanc fidei veritatem demonstrat D. Thom. *1. part. quæst. 9. artic 1.* ratione naturali, desumpta ex illius purissima actualitate; quia, nempè, actus purus est, & consequentèr non potest esse in potentia ad aliquid in se recipiendum, quod necessarium erat, vt posset mutari intrinsicè, summa namquè, & supræma actualitas omnem potentialitatem excludit: ergo Deus est immutabilis. Scotus verò *in 1. distinct 8. quæst. 5.* duplici ratione probat immutabilitatem Dei. Primam desumit ex simplicitate Dei, quæ ad hanc formam redducitur: quod non est capax formæ, aut privationis eius, non est capax mutationis à privatione ad formã, nec à forma ad privationem; sed Deus ob summam suam simplicitatem non est capax formæ physicæ, nec privationis eius: ergo ob eandem simplicitatem non est capax mutationis à privatione ad formam, nec à forma ad privationem. Probatur minor: si Deus esset capax formæ physicæ, aut privationis eius, esset compositus, vel saltim componibilis, vt ex terminis claret; sed hoc repugnat cum simplicitate Dei: ergo, &c.

Probatur ex Scoto duplici ratione. Prima ratio Scoti.

Secunda ratio sumitur ex infinitate: de ratione infiniti est identificare secum omnem perfectionem possibilem haberi in aliquo vno: ergo infinitum nequit per mutationẽ novam adquirere perfectionem, nec perdere, quam habet. Atqui si esset mutabilis à privatione ad formam, posset adquirere novam perfectionem; & perdere, quam haberet, si esset muta-

2. Ratio Scoti.

bilis

bilis à forma ad privationem: ergo infinitum nequit esse sic mutabile. Tum sic: sed Deus est infinitus: ergo ratione infinitatis est immutabilis.

8 *Rationi dubitandi respondetur.* Rationi dubitandi variè ab Authoribus occurritur, quorum solutiones, & impugnationes adducit Ill. Godoy *à num. 6. vsque ad* 48. ipse verò respondet *num.* 49. à qua responsione non dissentio, quia est doctrina Scoti, & Scotistarum; claritatis tamen gratia ad rationem dubitandi respondemus: ideò Verbum per Incarnationē mutatum non esse intrinsicè, quia non se habet per modum potentiæ passivæ, nec subiecti receptivi humanitatis, sed per modum termini duntaxàt. Vt autem Verbum per Incarnationem intrinsicè mutaretur, necessarium erat, quod se haberet per modum potentiæ passivæ, & subiecti receptivi humanitatis, eo, quod mutatio est actus entis existentis in potentia, secundum quod in potentia.

9 *Respondetur informa.* Et iuxta hanc doctrinam ad rationem dubitandi respondeo in forma distinguendo maiorem: mutatio est transitus de non esse intrinsico ad esse intrinsecum, per modum potentiæ passivæ, & subiecti receptivi concedo maiorem; per modum terminantis tantum nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Et ex his ad eandem rationem dubitandi, provt secundo modo proponitur, respondeo distinguēdo maiorem: aliquid mutari intrinsicè, est aliter se habere intrinsicè per modum potentiæ passivæ, vel subiecti receptivi concedo maiorem; per modum terminantis tantū nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam. Itaquè mutari intrinsicè est aliter se habere per modum potentiæ passivæ, vel subiecti receptivi; non verò per modum terminantis solum; cum ergo Deus in Incarnatione solū se habeat per modum termini, non mutatur intrinsicè.

10 *Ad 1. confirm.* Ex quibus ad primam confirmationem respondeo distinguendo maiorem: intrinsica alietas nunc, ac priùs per modum potentiæ passivæ, vel subiecti receptivi est intrinsica mutatio concedo maiorem; intrinsica alietas nunc, ac priùs per modum terminantis duntaxàt, est intrinsica mutatio nego maiorem; distinguo similitèr minorē, & nego consequentiam. Ad secundam confirmationem præmissa maiori de mutatione abstrahente ab intrinsica, & extrinsica, nego minorem; ad illius probationem distinguo maiorem: mutatio extrinsica provenit à forma extrinsica subiectivè, idest, subiectivè non intrinsica concedo maiorem; à forma extrinsica, etiam terminativè nego maiorem, & sub eadem distinctione minoris nego consequentiam: nam licèt humanitas sit Verbo terminativè intrinsica, hoc est, coniuncta cum illo, tanquam cū intrinsico termino; non tamen inhæret Verbo, nec illud physicè informat, nec est in illo, tanquam in subiecto inhæsionis, vel informationis intrinsicæ, ac proindè est subiectivè extrinsica Verbo; nam formam esse alicui extrinsicam subiectivè, est non esse in illo, vt in subiecto inhæsionis, vel informationis intrinsicę, nec in illo intrinsicè recipi: ideòque humenitas non induxit in Verbo intrinsicam mutationem, sed tantum extrinsicam; vndè Scotus rectè docuit: Verbum factum fuisse hominem, non per sui mutationem, sed per mutationem humanitatis, quod idem est, ac docere: mutationem, quæ in Incarnatione intercesit, extrinsicam fuisse Verbo.

Ad 2.

11 *Arguitur 1.* Contra hanc resolutionem plura obstant; & quidem non levia argumenta, quæ adducit, & soluit Ill. Godoy *à num. 52. vsque ad finem disputationis*; à nobis tamen duo brevitèr proponuntnr. Arguitur primo: nihil potest transire de cōtradictorio in contradictorium, sine aliqua intrinsica mutatione: sed Verbum Divinum per Incarnationem de contradictorio in contradictorium transijt: ergo per aliquam intrinsicam mutationē. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: nihil potest transire de contradictorio in contradictorium sine aliqua intrinsica mutatione sui, vel alterius concedo maiorem; sui præcisè nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Claret solutio in creatione, in qua cum sola mutatione creaturarum transit Deus de non creante ad creantem. Similitèr in præsenti, & fiat retorsio. *Retorqueo.*

Ar-

12 *Arguitur 2*

Arguitur secundo, & est impugnatio totius nostræ doctrinæ: Verbum est subiectum humanitatis, & non tantum terminus: ergo ruit nostra doctrina. Probatur antecedens: habens in se formam, est subiectum formæ; sed Verbum habet in se humanitatem, quia est verè, & intrinsicè homo: ergo Verbum est subiectum humanitatis, & non tantum terminus. Pro solutione noto: quod duplex est forma. Physica, & Methaphysica. Physica est essentialis pars compositi, quid incompletum, dependens à toto, & ab alia comparte, consequentèrque involuit imperfectionem, & arguit potentialitatem physicam in subiecto. Methaphysica est illa, quæ sine physica informatione est methaphycè constitutiva, vndè imperfectionem non arguit. Hoc notato facilitèr solvitur argumentum.

Noto pro solutione.

Respondeo.

Respondeo itaquè distinguendo antecedens: Verbum est subiectum metaphysicum humanitatis concedo antecedens; Physicum nego antecedens; distinguoque maiorem probationis: habens in se formam est subiectum formæ comodo, quo habet formam concedo maiorem; alio modo nego maiorem; distinguo minorem: Verbum habet in se humanitatem, vt formam methaphysicam concedo minorem; vt physicam nego minorem, & distinguo similitèr consequens. Hoc non est imperfectio; alioquin Deus non haberet formam sui constitutivam. Ex quo fiat retorsio.

Retorque.

Maneat ergo mente fixum: Verbum ex vi Incarnationis non fuisse mutatum intrinsicè, nec mutatione stricta, provt est transitus de non esse ad esse intrinsicum ratione potentiæ passivæ, & receptivæ; nec mutatione largè sumpta, pro dependentia ab aliqua causa secundum rationem intrinsicam; ac proindè Incarnationem non fuisse impossibilem, eo, quòd ex illa mutatio aliqua intrinsica sequatur in Deo. Ex quo inconvenienti principalitèr arguunt contra Incarnationis possibilitatē inimici nostræ fidei. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in 3. dist. 1. §. 1.* ad illa verba: *Misit Deus Filium suum factum de muliere.*

13 *Resolutio totius disputationis.*

DISPVTATIO DECIMA QUINTA.

Sub qua ratione conveniat personæ Divinæ assumere naturam creatam, & an illam assumere potuerit secundum prædicata absoluta?

§. I.

Prima pars disputationis Resolvitur.

Num. 1 *Quod est fide certū supponitur.*

VT certum de fide supponendum est: solū Verbum Divinum fuisse Incarnatū. Ita in Lateranensi Concilio sub Martino primo *constitutione 5. Canone 4. & 10.* Est traditio Ecclesiæ ex Sacra Scriptura deducta, in qua solus Filius dicitur Incarnatus, non Pater, vel Spiritus Sanctus, Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* Quod si alia persona fuisset Incarnata, Scriptura Sacra deficeret in necessariis, hoc tacendo, quod nefas est dicere. Ratio præcipua est Divina voluntas, tamen sunt aliquæ congruentiæ. Prima: quia sicut per Verbum omnia facta sunt, congruū erat, vt per illud fieret reparatio. Secunda est: quia sicut Adę peccatū fuit appetitus scientiæ, & similitudinis Dei: *Eritis, sicut Dij, scientes bonū, & malum*, Genes. 3. Ita etiam decuit, vt Filius, qui est sapientia genita, & imago Patris, illud repararet. Tertia denique: vt qui erat media persona inter Patrē, & Spiritum Sanctū, fieret mediator inter Deum, & hominem.

Hoc itaquè supposito, quod in discrimen vertimus, est: ratione cuius conveniat personæ Divinæ termina-

2 *Apperitur difficultas.*

re,

re, personare, aut suppositare humanitatē, esseque extremum vnionis humanitatis cum ipsa, & hoc de facto, vel de possibili, an, scilicèt, de facto terminaverit vnionē humanitatis ratione alicuius prædicati absoluti, an ratione solius formalitatis relativæ, & an potuerit ratione alicuius prædicati absoluti esse extremum assumptio naturæ creatæ, & terminus vnionis ipsius?

3 Circa primum variæ sunt Theologorū sententiæ, quas refert Ill. God. *num.* 6.7. & 8. ipse verò D. Thomam sequendo amplectitur opinionē Angelici Præceptoris, à qua non discessit Doctor Subtilis, quare in præsenti litigium non habemus, ideoque sine dissensione statuitur conclusio: *Conclusio.* *Humanitas non fuit immediatè vnita naturæ Divinæ nec individuo Deitatis, vt cōmunis Tribus personis, sed personalitati, & personæ Verbi fuit immediatè vnita, & Deitati mediatè*; seu quod idē est: *Verbum terminavit humanitatē ratione proprietatis relativæ.*

4 *Scotus.* Hæc conclusio est Scoti *in 3. dist. 1. quæst. 5. §. in ista quæstione, & in solutione ad 2.* dicentis: *Dico ergo, quod essentia non est formalis ratio terminandi istam vnionem, sed proprietas personalis.* Idemque habet *in 3. dist. 5. quæst 1.* Est etiam expressa *D. Thom.* D. Thomæ *in hac quæst. artic. 2.* vbi docet: *De natura verum esse, quod assumpserit humanitatem, quia ratione sui fuit assumptionis principium, & terminus ratione personæ Verbi, cui est immediatè vnita.* Sentit ergo D. Thomas naturā non esse ratione sui terminum immediatū vnionis humanitatis, sed solum mediatè illam terminare ratione personalitatis Verbi, cui immediatè fuit vnita.

5 *Probat. 1. cōclusio ex Concilio Toletano.* Probatur primo conclusio ex Concilio Toletano 6. & 11. vbi hæc veritas videtur diffinita his verbis: *Incarnationem quoque huius Filij tota Trinitas operasse credenda est, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius formā servi accepit in singularitate personæ, non in vnitate Divinæ naturæ, in id, quod proprium est Filij, non quod Trinitati commune est.* Sed si humanitas fuisset primo vnita Deitati, & huic Deo, vt cōmuni Tribus personis, falsa esset propositio negativa Concilij, qua docet: Filiū non suscepisse formā servi, ideſt, humanitatem, in id, quod cōmune est Trinitati: ergo, vt veritas prædictæ propositionis subsistat, necessario est asserendum, non fuisse humanitatem immediatè vnitam Deitati, vel huic Deo, vt toti Trinitati communi.

6 *Probat. 2. ex Synodo generali.* Probatur secundo conclusio ex 6. Synodo generali *actione 8.* vbi verbis sumptis ex Dionisio *lib. de Divinis nominibus capit. 2. part. 1.* de his, quæ ad misteriū Incarnationis pertinent, sic dicitur: *His enim nec Pater, nec Spiritus vlla ratione communicant, nisi fortè quis asserat benignitate, clementiaque, & communicatione voluntatis, atque in omni supereminentissima, & ineffabili operatione illos quoque accessisse consortes.* Sed si humanitas vnita fuisset immediatè Deitati secundū prædicatum absolutū, sumptum absolutè, Pater, & Spiritus Sanctus in his, quæ ad misteriū Incarnationis pertinent, cōmunicassent cum Filio, non solum in voluntate, & supereminentissima, & ineffabili operatione, sed etiam in terminatione humanitatis; nā terminatio illa fuisset Tribus personis cōmunis: ergo neganda est huiusmodi terminatio, vnioque immediata, & primaria humanitatis cum Deitate sub conceptu absoluto, sumpto absolutè.

7 *Prob. 3. ratione.* Tertio probatur ratione: nā ex sententia Durandi, qui oppositum tenet, sequitur infallibilitèr, non solum Filium, sed etiam Patrem, & idem est de Spiritu Sancto dicendum, fuisse Incarnatum, & hominem esse factum. Consequens est contra fidē, qua credimus, solā secundam personam Trinitatis esse Incarnatā, & solum Verbum esse hominē factum pro nobis: ergo sententia Durandi subsistinenda non est. Minor cum consequentia tenet. Sequela autem probatur: quod enim convenit ratione sui huic Deo, vt communi Tribus personis, de illis omnibus prædicatur; sed in sententia Durandi hic Deus, vt Tribus personis cōmunis, ratione sui immediatè terminavit vnionē humanitatis, & consequentèr ratione sui, provt sic communis, est Incarnatus, & ex vi Incarnationis est factus homo: ergo, &c.

8 *Quid de Censura dicendum?* Responsiones, quas ad has rationes, tàm ab Authoritate, quàm à ratione, adducit Durandus, impugnat optimè Ill. Godoy in præsenti. Et licèt sententias Durandi varias patiatur censuras; nam Capreolus periculosam

cen-

censet; Caietanus cavendam; Medina hæreticam; Cabrera temerariam, & errori proximam; III. tamen Godoy valdè pius, vt semper, illam damnare non audet, cuius rationes tradit *n.* 25. etsi fateatur, illam defendere, non audere. Hoc mihi placet.

9 *2. Pars concluſ. probatur.*

Quod autem vnio humanitatis ad Verbum facta sit cum personalitate Verbi immediatè, vt in secunda parte nostræ cōclusionis asseritur, patet primo: nam hæc vnio facta est in aliquo prædicato Verbi immediate; sed non in prædicato absoluto: ergo in personali, & relativo; cū enim in Verbo solū absoluta, & notionalia prædicta inveniantur, eo ipso, quod vnio in prædicato absoluto facta nō sit, necesse est dicendū, in notionali, & personali proprietate esse factam. Secundo: nam vnio humanitatis ad Verbū personalis est, & Verbo propria, non autem toti Trinitati cōmunis, vt cōstat ex dictis: ergo immediatè terminatur proprietate personali Verbi, illique humanitas immediatè fuit vnita, & ad esse personale immediatè suscepta.

10 *3. Pars probatur.*

Quod denique humanitas mediatè fuerit Divinæ naturæ vnita, quod in tertia parte conclusionis asseritur, constat primo: nā est immediatè vnita proprietati personali Verbi; sed cū hac est natura Divina omnino realitèr identificata: ergo illi est mediatè vnita. Secundo: na vnio humanitatis ad Verbum est facta cum illo, prout est persona Divina: ergo est facta cum Verbo, vt subsistente in Divina natura, & consequentèr cū natura Divina mediatè. Præterea, vt enim ex Damasceno *lib. 3. fidei orthodoxæ, cap. 6.* omnes Theologi docent: natura Divina propriè dicitur Incarnata; sed hoc verum esse no potest, si humanitas illi mediatè nō fuit vnita: ergo asserendum est: humanitatē esse vnitā Deitati mediatè

11 *Arguitur 1*

Arguitur primo: humanitas Christi est personata personalitate Verbi: ergo Christus non est vnivocè homo cum alijs hominibus. Probatur cōsequentia: personalitas Christi est relativa, & increata; personalitates verò aliorum hominum sunt absolutæ, & creatæ; sed inter creatum, & increatū non datur communè vnivocum: ergo Christus non est vnivocè homo cum

Respond. 1. alijs hominibus. Respondeo primo negando minorem, cuius falsitas est clara in opinione Scoti, vt dicitur in Methaphysica de vnivocatione entis ad Deum, & creaturam. Respondeo *Secundo.* secundo concedendo antecedens, & negando suppositū consequentis; quia supponit vnivocationem in præsenti sumi à personalitate, quod est falsum; sumitur enim ab humanitate, quæ est per se significata. Deindè: quia si sumeretur à personalitate, Petrus, & Paulus non essent vnivocè homines; nam personalitates eorū sunt primo diversæ iuxta opinionē probabilem.

12 *Arguitur 2.*

Arguitur secundo: ratio terminandi per nos est personalitas, quæ est filiatio: ergo humanitas denominatur filia Patris, quod est falsum. *Respond. 1.* Respondeo primo distinguendo antecedens: ratio terminandi per nos est personalitas, sub conceptu personalitatis concedo antecedens; sub conceptu filiationis nego antecedens, & consequētiam. Respondeo secundo concedendo antecedens, & negando consequētiam; quia personalitas non est forma accidentalis, sed substantia per se subsistens, ideòque nō denominat humanitatē, sed compositū, quod fit ex illa, & personalitate, quod est Christus, qui secundum personalitatem est Filius Dei naturalis. Alia argumenta ex Durando adducit, & solvit III. Godoy *a num. 28. vsque ad num. 70.* *Secundo.*

§. II.

Resolvitur secunda pars dubij.

13 *Alijs terminis proponitur dubium*

SEcundum, quod in hac disputatione vocavimus in examen, scilicet, an Deus assumere potuerit naturam creatam, illique immediatè vniri secundum prædicata absoluta, sub alijs terminis solet proponi, nempè, an tres Divinæ personæ possint mediante essentia assumere eandem numero naturam? Alijs etiam terminis proponi valet, scilicet, an subsistentia Dei absoluta possit terminare humanitatem? In quo primo certum est apud Theologos: subsistentiam Dei absolutam non posse terminare immediatè vnionem hypostaticam in natura humana. Ratio est: nam de ratione vnionis hypostaticæ est, quod terminus immediatus illius sit hypostasis, & suppositum; sed subsistentia absoluta non constituit hypostasim, vel

Certum 1. est apud Theologos.

suppositum: ergo non terminaret immediatè vnionem hypostaticam.

14 *Certum est 2.* Certum est secundo apud omnes Theologos, quod si Deus Trinus in personis non esset, sed vnus, vnaque tantum subsistentia, & personalitate absoluta gauderet, posset alienam naturā assumere, & illi immediatè vniri. Quod patet manifesta ratione: nā tunc casus potentia activa, & assumptiva esset eadē, & eadē vis terminativa: ergo posset non minus, quā modo, alienā naturam assumere, illam terminare, eique immediatè vniri. Consequētia est evidens. Antecedens pro prima parte constat; nam esset in illo casu eadem omnipotentia, quę cum Deo conveniat pro priori ad relationes, eadem perseveraret in hypotesi conficta, quod in Deo tres personæ relationibus distinctæ non essent; sed vis activa, & assumptiva ratione Omnipotentiæ convenit Divinis personis: ergo essent in illo casu eadem potentia activa, assumptivaque naturæ.

15 Pro secunda parte probatur: nam quod Verbū humanitatem terminet, vel quod illam terminare possit, eique immediatè vniri, provenit ex eo, quod illius personalitas est in terminando infinita, ideòque potens, nedū propriam, sed etiam alienā terminare naturam, supplendo effectum personalitatis creatæ, & illius vices gerēdo; sed in prædicta hypotesi subsistentia, & personalitas absoluta, qua Deus constitueretur in ratione personæ, esset non minus infinita in terminādo, quam est modo proprietas relativa: ergo vis terminativa in prædicto casu esset eadem, & consequentèr posset Deus ratione personalitatis absolutæ, qua in ea hypotesi gauderet, alienam terminare naturam, illique immediatè vniri in vnitatem personæ. In quo, vt dixi, omnes Theologi conveniunt.

16 *Apperitur difficultas.* Difficultas itaque est: an suppositō, vt fides docet, in Deo esse tres personas, constitutas proprietatibus relativis, possit natura Divina, vel hic Deus, vt communis tribus personis, ratione alicuius prædicati absoluti assumere alienam naturam, illique immediatè vniri? His terminis hanc proponit difficultatem Ill. Godoy *num.* 73. sed quia clariùs, & breviùs resolvitur, si his terminis proponatur: an, scilicèt, subsistentia Dei absoluta possit terminare humanitatem? his terminis à nobis est resolvenda, non quia oppositionem cum Ill. Godoy habeamus; sed quia ad sequentes disputationes, & ad plura alia est valdè necessaria, & quia modo valdè diverso ab Ill. Godoy tradito nos disputationem defendimus, vt visum est *tom. 3. in 1. part. disput. 84.* ex qua constat dari in Deo subsistentiam absolutam. Quibus statutis. Sit.

17 *Conclusio.* Conclusio: *Subsistentia Dei absoluta potest de potentia Dei immediatè terminare humanitatem.* Sic omnes Scotistæ cum Scoto *in 3. dist. 1. quæst. 2. §. ad quæstionem igitur.* Sic etiam plures Thomistæ, cum quibus Ill. Godoy *num.* 77. Probatur primo: Essentia Divina per subsistentiam absolutam est verè subsistens, ex dictis *tom. 3. in 1. disp. 84.* ergo est independens ab alio in subsistendo: ergo potest terminare dependentiam oppositam huic independentiæ. Atqui natura humana est dependens oppositā dependentia; quia habet potentiam obedientialem ad communicari alienæ subsistentiæ; sicut & alieno suppositō; vt claret in Incarnatione: ergo subsistentia Dei absoluta potest de potentia Dei immediatè terminare humanitatem. *Probatur 1*

18 Probatur secundo conclusio: ideò persona Divina potest terminare immediatè humanitatem, quia est infinita; sed etiam subsistentia absoluta est infinita: ergo absoluta subsistentia Dei potest de potentia Dei immediatè terminare humanitatem. Probatur tertio: nulla est repugnantia in eo, quod subsistentia Dei absoluta possit immediatè terminare humanitatem: ergo potest de potentia Dei absoluta terminare illam. Consequentia est legitima. Antecedens autem constabit ex solutione argumentorum.

§. III.

Solvitur argumentum, ex Concilijs, & Patribus deductum.

19 *Arguitur 1* ARguitur primo: Patres, & Concilia non cognoverunt aliam vnionem humanitatis cum Deo, nisi in natura, vel in persona; sed vnio humanitatis cū Deo, vt subsistente subsistētia absoluta, nec est in natura, nec in persona: ergo possibilis non est.

Pro-

Maior probat. 1. Probatur maior primo: Concilium Toletanum 6 & 11. *in confessione fidei*, ex eo, quod vnio humanitatis cū Verbo non sit facta in natura, intulit, factam esse in persona, vt constare videtur ex verbis Concilij relatis *n.* 5. sed si aliā vnionē posibilē prętèr istas agnosceretur, non sic Conciliū argueret, nec argumentū cōcluderet: ergo.

20 *Prob. 2.* Probatur secundo eadem maior: quia Anselm. *lib. de Incarnatione Verbi, cap.* 4. contra quendam Hæreticum dicentem: quod Incarnato Filio necessum fuit, Incarnare Patrem, & Spiritū Sanctum, infert, Hæreticum censuisse vnionem non factam fuisse in persona, sed in natura: ergo, &c. *Prob. 3.* Tertio: Patres, & Concilia nunquam mentionē fecerunt alterius vnionis: ergo, &c. *Prob. 4.* Quarto ratione: vnio substantialis debet ordinari ad faciendū vnum substantiale; sed vnum substantiale, vel est vnum in natura, vel vnum in persona: ergo, &c.

21 *Respondet Mastrius.* Ad hoc argumentum respondet Mastrius in præsenti *disput. 1. quæst. 9. artic. 2. num.* 319. negando minorem, quia vnio humanitatis cum Deo, vt subsistente subsistentia absoluta, esset vnio in vnitate personæ, & in vnitate naturæ, si sano modo intelligatur. Esset in vnitate personæ mediatè, quia humanitas mediante subsistentia absoluta constitueret personā cū qualibet personalitate Divina, ideoq; in tali casu homo esset mediatè tres personę.

22 Est etiā in vnitate naturæ, non quia constitueretur vna tertia natura per identitatem, vel compositionem; sed terminativè, scilicèt, quatenus vnio esset immediatè terminata ad naturā Divinam, in quo sensu proprius dici deberet, humanitatē assumi ad vnionē cum natura, vel ad naturam, quam ad vnionem in vnitate naturæ; quia hæc propositio ex vi constructionis significat vnitatē identitatis naturæ ad naturā, vel compositionem ex natura, & natura; illa verò significat naturā esse terminum vnionis, quod data hypotesi esset verū, vt explicat Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 2. in calce, §. sed contra.*

23 Hæc tamen responsio Mastrij habet contra se hanc replicam: quando persona est primus terminus vnionis, natura assumpta vnitur in vnitate personæ. ergo quādo natura est primus terminus vnionis, natura assumpta vnitur in vnitate naturæ. Hanc replicam sibi fecit Scotus *in 3. cit.* ad quam sic respōdet: *Sed facilius respondetur, quod humanitas non vnitur ad esse naturæ, sed ad esse subsistentiæ absolutæ, & ita vnitur in vnitate talis subsistentiæ.* Hęc est facilior, & melior responsio, ipsique magis adhæreo. Vltra quod.

Respondeo ad argumentum negando maiorem, ad cuius primam probationem respondeo primo negando maiorem: quia verba Concilij sunt hæc: *Solus Filius formam servi accepit in singularitate personæ; non in vnitate naturæ*, ex quibus clare apparet, Concilium vnum ex alio non inferre. Respondeo secundo distinguendo minorem: argumentum Concilij non concluderet ex terminis concedo minorē; ad hominem nego minorē, & consequentiam; quia Conciliū procedebat contra Hæreticos censentes, non esse aliā vnionem posibilem; ideòque ad hominem contra ipsos concludebat argumentum Concilij: *Vnio non est facta in natura: ergo in persona.*

24 *Respondeo ad argum. & ad 1. prob. maioris.* *Primo.* *Secundo.*

Respondeo tertio: Conciliū per ly *vnio in natura* intelligere vnionem in prædicato communi tribus personis, vt claret ex sequentibus verbis Concilij: *in id, quod proprium est Filio; non quod cōmune est Trinitati*, & sic intelligēdo vnionē in natura, rectè infert Concilium: *Vnio non est facta in prædicato communi: ergo in prædicato proprio Filij*, ex quo nō colligitur, Concilium non agnovisse aliam vnionem prætèr vnionem in natura, & vnionem in persona.

Tertio.

Ad secundā probationē respondeo primo distinguo antecedens: infert ad hominem contra Hæreticū concedo antecedens; ex terminis nego antecedens, & consequentiā. Respondeo secundo: quod Anselm. per ly *vnionem in natura* intelligit in prædicato cōmuni, sicque ait Anselm. quod rectè inferebat hæreticus: *Vnio facta est in prædicato communi: ergo Incarnato Filio necessum fuit: Patrem, & Spiritum Sanctū Incarnare.* Ratio est: quia proprietates personales realitèr identificantur cum quolibet prædicato Trinitati communi: ergo cum subsistētia Dei absoluta: ergo nequit intelligi vnio naturæ creatæ ad absolutā Dei subsistentiam, quin ipsa mediante terminetur ad subsistentias

25 *Ad 2. respond. 1.* *Secundo.*

personales; alioquin non identificarentur cum subsistentia absoluta: ergo rectè inferebat hæreticus: *Vnio facta est in prædicato communi: ergo Incarnato Filio necessum fuit, Patrem, & Spiritum Sanctum Incarnare.*

26 Vnde Anselmus evidentèr stat pro nostra opinione; nec ob hoc dicimus nos, quod dicebat hæreticus, nam hic opinabatur: humanitatem de facto magis assumptã esse in vnitatem naturę, quam in vnitatem personę, quod nos hæreticum reputamus. Cæterum si vnio ita facta esset, optima esset illatio hæretici ob rationem datam, nam hanc nos cum fide deducimus ex hypotesi, quod subsistentia absoluta immediatè terminaret humanitatem.

27 *Ad 3.* Respondeo ad tertiam probationem negando consequentiam, quia licèt Concilia, & Patres alterius vnionis non meminerint; illam tamen impossibilem non iudicant; neque ex illo impossibilitas deducitur; quia Patres, & Concilia locuti sunt de Incarnatione, vt modò facta est, quomodo pertinet ad fidem; non verò de Incarnatione, vt potuerit fieri, de quo in præsenti est sermo, nec de hoc locuti sunt hæretici, contra quos Patres, & Concilia locuntur.

28 *Ad 4.* Respondeo ad quartam probationem negando minorem: quia vnum subsistantiale potest esse vnum in vnitate subsistentiæ, quin sit vnum in vnitate naturæ, vel personæ, vt in data hypotesi esset, ex quo nulla sequitur contradictio. Nec mirum, quod hoc sit singulare, quia singularis esset illa Incarnatio in vnitate subsistentiæ, imò, & singularissima, de illaque nec Patres, nec Concilia locuntur.

§. IV.

Occurritur argumento difficili.

29 *Arguitur 2* ARguitur secundo: implicat subsistens in natura intellectuali, quod non sit persona; sed si posset hic Deus ratione subsistentiæ absolutæ assumere naturam intellectualem creatam, hoc non implicaret: ergo nequit hic Deus ratione subsistentiæ absolutæ assumere naturam intellectualem creatam, & consequentèr nequit subsistentia Dei absoluta terminare humanitatem. Minor patet: nam hic Deus ratione subsistentiæ absolutæ non est persona: ergo nec natura intellectualis creata esset persona ratione subsistentiæ absolutæ. Maior probatur: persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia; sed implicat subsistens in natura rationali, quod non sit incommunicabilis existentia: ergo implicat subsistens in natura intellectuali, quod non sit persona.

30 *Respondet Durandus.* Respondet Durandus negando maiorem, quia in casu, quod natura humana subsisteret per subsistentiã Dei absolutam, esset subsistens, quin esset persona, nec immediatè, nec mediatè. Sicut enim de facto datur subsistens in natura intellectuali increata, quin ex vi subsistentiæ sit formalitèr persona; ita potest dari de potentia absoluta subsistens in natura intellectuali creata, quod nullatenùs sit persona.

31 *Impugnatur 1.* Impugnatur primo responsio: quæ conveniunt Deo, vt communi tribus personis, saltim mediatè conveniunt eisdem personis, de illisque prędicantur; sed casu, quo humanitas vniretur immediatè subsistentiæ Dei absolutæ, esse hominẽ conveniret Deo, vt communi tribus personis: ergo saltim mediatè conveniret personis, de illisque prædicaretur: ergo hæ propositiones: *Pater est hic homo, Filius est hic homo*, essent mediatè veræ: ergo in dicto casu homo esset mediatè Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ergo esset mediatè persona.

32 *Impugn. 2.* Impugnatur secundo: licèt hic Deus nõ sit formalitèr persona ratione subsistentiæ absolutæ, est tamen persona mediatè, quia est tribus personis communis; sed hic homo subsistens subsistentia absoluta esset communis tribus Divinis personis: ergo esset mediatè persona. Hæc impugnatio est immediatè destructiva rationis, quam pro sua responsione adducit Durandus.

33 *Impugn. 3.* Impugnatur tertio: humanitas immediatè terminata per subsistentiam absolutam, terminaretur mediatè per proprietates personales; sed ex hac terminatione resultaret mediatè persona: ergo humanitas immediatè terminata per subsistentiam absolutam esset mediatè persona. Consequentia infertur. Minor est certa; nam resul-

tans

tans ex personalitate Patris, v.g. terminante mediate humanitatem, esset subsistens in communicabilitèr in natura intellectuali: ergo esset mediate persona.

34 *Prob. mai.* Maior verò probatur primo: per dicta *num.* 25. Probatur secundo: humanitas subsistens immediatè subsistentia absoluta, esset personalibus proprietatibus terminabilis: ergo humanitas immediatè terminata per subsistentiam absolutam, terminaretur mediatè per proprietates personales. Probatur antecedens primo: si non esset sic terminabilis, Deus per subsistentiam absolutam esset persona, quod est contra Durandum: ergo, &c. Secundo: de facto iuxtà Durandum humanitas primo vnita cum hoc Deo existente; secundario per vnionem distinctam vnitur personalitèr Verbo: ergo est secundario terminabilis per personalitatem Verbi: ergo similitèr.

35 *Respondent alij ad argumentum.* Respondent alij ad argumentum concessa maiori negando minorem: nam casu, quo humanitas immediatè assumeretur à subsistentia Dei absoluta, esset immediatè persona, quia illā compleret, & relinqueret vlteriùs interminabilem, & incommunicabilem alteri supposito. Si autem hoc non facit in natura Divina, est, quia hæc, vt potè, infinitè fæcunda, exigit communicari personis, quod naturæ creatæ repugnat.

36 *Reijcitur 1* Hæc responsio reijcitur primo: humana natura immediatè assumpta à subsistentia Dei absoluta, subsisteret eadem subsistentia, qua subsistit hic Deus pro priori ad personas; sed hic Deus non est persona per illam subsistentiam: ergo nec natura humana.

Reijcitur 2 Reijcitur secundo: subsistentia Dei absoluta non est personalitas: ergo repugnat, quod per illam sit persona humana natura.

37 *Dices 1.* Dices primo: quod licèt subsistentia absoluta non sit formalitèr personalitas; est tamē eminentèr, quod sufficit, vt naturam humanā reddat personatam. *Contra.* Contra: licèt subsistentia absoluta sit personalitas eminentèr effectivè, quod gratis omitto; non est personalitas eminentèr formalitèr; sed ad constituendā personam requiritur saltim, quod sit personalitas eminentèr formalitèr: ergo subsistentia absoluta nequit personā constituere. Maior claret: quia si esset personalitas eminentèr formalitèr, redderet naturā Divinam personatam, quod est falsū. Minor verò probatur primo: ideò sol nequit se ipso per modū formę calidū constituere, quia non est calidus eminentèr formalitèr, licèt sit calidus eminentèr effectivè: ergo similitèr. Secundo: ideò Essentia Divina nequit per se ipsam præstare omnes effectus, quia licèt sit omnia eminentèr effectivè, non est omnia eminentèr formalitèr: ergo paritèr. Tertio: vt forma præstet effectum formalem, debet illū per modū formæ continere ex cōmuni omnium consensu: ergo ad constituēdā personā requiritur saltim, quod sit personalitas eminentèr formalitèr.

38 *Replicabis* Replicabis: quia anima rationalis est eminentèr vegetativa, & sensitiva, formalitèr præstat effectus vegetandi, & sentiendi: ergo similitèr: quia subsistentia Dei absoluta est eminentèr personalitas, præstabit formalitèr effectū personalitatis. *Respondeo* Respōdeo distinguendo antecedēs: quia anima rationalis est eminentèr formalitèr vegetativa, & sensitiva, formalitèr præstat effectū vegetandi, & sentiendi cōcedo antecedens; quia est eminentèr effectivè nego antecedens, & consequētiā. *Retorqueo.* Retorqueo etiā replicā: anima rationalis est eminentèr intelligens: ergo constituit hominē formalitèr intelligentem. Mala consequentia, cuius ratio est: quia solum est eminentèr effectivè intelligens, ex quo convincitur ab effectu, quod sit eminentèr formalitèr vegetativa, & sensitiva.

39 *Dices 2.* Dices secundo: quod licèt subsistētia absoluta respectu naturę Divinę nō sit personalitas, quia illā non cōstituit incommunicabilē personis; tamē respectu naturæ humanæ est personalitas formalitèr, quia illā vltimo terminat, & incommunicabilē reddit. *Contra 1.* Sed cōtra primo: nulla Divina formalitas ad extra communicata præstat formalitèr, quod formalitèr non præbet Deo ad intra, vt de qualibet est manifestū; sed subsistentia absoluta non constituit Deum personam: ergo nec ad extra communicata constituet personam: ergo replica ruit.

Contra 2. Conrra secundo: ideò subsistentia

absoluta non constituit Deũ personã, quia Deus per illam subsistens est per prędicationẽ communis tribus personis; sed homo subsistens immediatè per subsistentiã absolutã est etiam per prædicationem communis tribus personis, vt claret ex *n.* 31. ergo subsistentia absoluta nequit naturã creatã cõstituere personam. Contra tertio: subsistentia absoluta est de se communicabilis tribus personis : ergo nequit constituere naturam humanã incommunicabilem illis: ergo nequit illam constituere personam: ergo subsistentia absoluta nec respectu naturæ humanæ est formaliter personalitas.

Contra 3.

40 Vndè his solutionibus, vt insufficiẽtibus relictis, respondeo primo ad argumentũ distinguendo maiorẽ : implicat subsistens in natura intellectuali, quod non sit persona mediatè, vel immediatè concedo maiorẽ ; immediatè præcisè nego maiorẽ; distinguo similiter minorẽ, & nego consequentiã; nã sicut Deus per subsistentiã absolutam non est immediatè persona, & mediatè est tres personæ Divinæ ; ita homo subsistens subsistentia absoluta non est immediatè persona, esset tamen mediatè tres personæ.

Respond. 1. ad argum.

Ad probationem maioris distinguo maiorem : persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia mediatè, & immediatè concedo maiorem; immediatè tantum nego maiorem; distinguo minorẽ : implicat subsistens in natura intellectuali, quod nõ sit incommunicabilis existentia immediatè concedo minorem; mediatè, & immediatè nego minorem, & consequentiam.

41 Respondeo secundo distinguendo alitèr maiorẽ : implicat subsistens per subsistentiã creatã in natura intellectuali, quod non sit persona concedo maiorem; per subsistentiã Dei absolutã nego maiorem ; concedo minorẽ, & nego cõsequentiã. Ratio vtriusque responsionis est: nam personalitas est omnimoda incommunicabilitas, tàm mediata, quàm immediata, vt de quacumque claret persona , & sic debet intelligi incommunicabilitas, per quã personalitas diffinitur. Cum ergo subsistentia Dei absoluta non reddat naturam creatam incommunicabilem mediatè ; benè verò creata subsistentia , hinc est , quod hæc personam constituit; non verò illa.

Respond. 2.

Hinc se se apperit differentia inter subsistentiã Dei absolutã, & subsistentiã creatã. Absoluta Dei subsistentia, cũ sit cõmunicabilis tribus personis, non potest reddere naturã creatã incõmunicabilẽ mediatè, quia ipsa mediante natura terminata per ipsã cõmunicabitur mediatè, quibus ipsa immediatè communicetur, ideòque nõ reddet naturãm personatã. Aũt subsistentia creata , cũ omnimodè sit incomunicabils, personat naturã, quã terminat; ideòque in creatis subsistentia, & personalitas sunt formaliter idem, & solum distinguntur penès naturas, quas connotat. 42

Instabis , & simul refutatur tradita doctrina: natura terminata per subsistentiã absolutã haberet omnẽ incommunicabilitatẽ requisitã ad rationem personæ formaliter: ergo esset formaliter persona. Probatur antecedens: in primis haberet actualẽ, & aptitudinalẽ; sed etiã haberet incõmunicabilitatẽ alteri, vt termino fęcũditatis: ergo. 43 *Instabis.*

Respondeo negando antecedens, & distinguendo minorem probationis: haberet incommunicabilitatẽ immediatã, seu ratione sui concedo minorem; mediatã, seu ratione subsistentiæ absolutæ nego suppositum. Vel distinguo clariùs: haberet incommunicabilitatem alteri, vt termino fęcunditatis ipsiùs naturę creatę concedo minorẽ; ipsiùs subsistentiæ absolutæ nego minorẽ, & consequentiã. Itaquè: vt natura creata sit personata , debet habere omnimodã incommunicabilitatẽ alteri, vt termino fęcunditatis. Cũ ergo natura terminata per subsistentiã absolutã sit saltim mediatè cõmunicabilis tribus personis , vt terminis fęcunditatis ipsiùs subsistentiæ absolutæ, ideò per illã nõ constituitur persona. 44 *Respondeo.*

Hoc evidenter convincitur: quia si per impossibile subsistentia creata, esset, vti Divina absoluta, communicabilis alicui personæ , vt termino suæ fæcunditatis, natura creata per talem subsistentiam non personaretur; sed in tali casu haberet natura creata ratione sui incommunicabilitatẽ alteri, vt termino fæcunditatis : ergo communicabilitas mediata ratione subsistentiæ impedit rationem personæ : ergo 45

na-

natura terminata per subsistentiã absolutam non haberet omnem incõmunicabilitatem requisitã ad rationẽ personæ. Hæc ratio est evidens, & tota solutio claret ex dictis *tom. 3. in 1. sent. disput. 80. §. 1. per totum.*

§. V.

Alia argumenta solvuntur.

46 *Arguit. 3.* ARguitur tertio: natura creata terminata per subsistentiam absolutã non est immediatè personа; sed est immediatè personabilis: ergo potest immediatè terminari ab aliqua personalitate; atqui non ab alia, nisi à propria personalitate: ergo natura terminata per subsistentiã absolutam potest terminari propria personalitate: ergo & natura terminata propria personalitate potest assumi, quorum vtrumque est falsum.

47 *Respondeo.* Respondeo negando minorẽ, quia natura creata terminata per subsistentiam absolutã, solum est personabilis mediatè, idest, mediante tali subsistentia. Ratio est: quia nec à Divina, nec à creata personalitate potest personari immediatè: ergo natura creata terminata per subsistentiã absolutam solum est personabilis mediatè. Probatur antecedens: quia non à Divina; nam alioquin natura creata esset fæcunda, vti Divina, quod est falsum; sed nec à creata: ergo, &c. Probatur minor: personalitas creata solum addit naturæ incõmunicabilitatem alteri, vt actui per se subsistantialitèr completivo; sed hanc haberet à subsistentia absoluta: ergo nec à creata personalitate potest personari immediatè. Consequentia est legitima. Præmissæ autem constant ex dictis *tom. 3. cit.*

48 *Arguit. 4.* Arguitur quarto: natura terminata per subsistentiam absolutam non esset terminabilis vlteriùs proprietatibus relativis: ergo esset formalitèr persona. Probatur antecedens: illa natura non esset terminabilis personalitate creata; alioquin natura propria personalitate retenta posset assumi, quod est falsum: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo ad argumentũ distinguendo antecedens: natura terminata per subsistentiã absolutam non esset terminabilis immediatè proprietatibus relativis concedo antecedens; mediatè nego antecedens, ad cuius probationem concedo antecedens, cuius rationem dedimus *num. anteced.* & claret ex toties dictis, ex quo nihil contra nos.

49 *Arguit. 5.* Arguitur quinto: per nos illa natura subsistens subsistentia absoluta non est formalitèr, seu immediatè persona: ergo de potentia Dei potest homo subsistens dari subsistentia creata, qui formalitèr non sit persona, quod est falsum. Probatur consequentia: subsistentia illa absoluta esset participabilis ab aliqua subsistentia creata: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiã: ad probationem nego antecedens: quia repugnat subsistentia creata, quæ sit infinitè fæcunda, ideòque repugnat subsistentia creata, quæ sit cõmunicabilis tribus, vel pluribus suppositis, vt terminis suæ fæcunditatis, consequentèrque repugnat subsistentia creata, quæ non sit suppositalitas, vel personalitas formalitèr, vt diximus *tomo, & disput. cit.*

50 *Arguitur 6* Arguitur sexto: subsistentia absoluta, nec excludit, nec impedit propriã personalitatem naturæ creatæ: ergo natura personata potest assumi. Probatur prima pars antecedentis: subsistentia, quæ est vltimus terminus, & personalis solum excluditur per subsistentiã, quæ sit vltimus terminus, & personalis; sed subsistentia absoluta non est personalis: ergo subsistentia absoluta non excludit propriã personalitatem naturæ creatæ. Probatur secunda pars: subsistentia absoluta non est personalitas: ergo non impedit propriã personalitatẽ naturæ creatæ.

51 *Confirm.* Confirmatur, & vtraque pars antecedentis simul probatur: si subsistentia absoluta excluderet, & impediret propriã personalitatem humanitatis, daretur homo à parte rei, qui non esset persona; sed hoc repugnat: ergo subsistentia absoluta, nec excludit, nec impedit propriã personalitatem naturæ creatæ. Probatur maior: ille homo careret propria personalitate, vt supponitur; sed etiam careret aliena, quia subsistentia absoluta non est personalitas: ergo, &c.

52 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, & ad probationem primæ partis distinguo maiorem: solum excluditut per subsistentiam, quæ sit personalis mediatè, vel immediatè concedo maiorem; immediatè præ-

cis-

cisè nego maiorem; distinguo similiter minorem, & consequentiã. Ad secundam probationẽ, vel distinguo similitèr antecedens; vel ipso concesso, nego consequentiã; quia vt subsistentia absoluta impediat propriã personalitatem naturæ creatæ, non requiritur, quod sit personalitas; sed sufficit, quod præstet naturæ effectũ, quem præstaret propria personalitas; ne idẽ effectus à duplici causa totali proveniret. Cum ergo subsistentia absoluta talem præstet effectum ex dictis *n.* 49 ideo subsistentia absoluta impedit propriã personalitatẽ naturæ creatæ.

53 *Ad confirmat.* Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorẽ: si subsistentia absoluta excluderet, & impediret propriã personalitatem humanitatis, daretur homo à parte rei, qui non esset persona immediatè concedo maiorẽ; mediatè nego maiorem; ad cuius probationem distinguo similitèr minorem; nec hoc est inconveniens, quia in casu talis assumptionis homo esset, sicut nunc est Deus, cum sola subsistẽtia absoluta præcisè cõsideratus, ex quo distinguo consequens, vt distinxi.

54 Denique: argumentum, & confirmatio ad summum probant: non posse humanitatem assumi à subsistentia absoluta, quin simul terminetur subsistentijs personalibus, vt tota humanitatis indigentia suppleatur, quod est verum, & nos concedimus, ideòque asserimus: in tali casu humanitatem mediatè terminari, & compleri vltimo per subsistentias personales, consequentèrque homo esset tres personæ mediatè, in quo nullum apparet inconveniens.

55 *Arguitur 7.* Arguitur septimo: subsistentia absoluta nequit esse terminus vnionis substantialis naturæ creatæ: ergo subsistentia absoluta nequit terminare immediatè humanam naturam. Probatur antecedens: quod est terminabile nequit esse terminus; sed subsistentia absolnta est terminabilis, & de facto terminatur per relationes: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo negando antecedens, & distinguendo maiorẽ probationis: quod est terminabile nequit esse terminus vltimus, vel finalis concedo maiorem; proximus, & non vltimus nego maiorem; concedo minorẽ, & distinguo similitèr consequens.

Itaquè cum subsistentia absoluta habeat incõmunicabilitatem, quæ est ratio formalis subsistentiæ vt sic, potest terminare naturã in linea subsistendi, vt de facto terminat Diuinam. Et cum non terminet in linea personandi, quod est vltimo terminare, ideò non est terminus vltimus. Dici tamen potest, quod est vltimus terminus in linea subsistentiæ, licèt facta comparatione ad lineam personandi non sit vltimus.

56 *Arguit. 8.* Arguitur octavo: subsistentia absoluta est absoluta Dei perfectio: ergo si hæc potest immediatè vniri creaturæ, quælibet perfectio absoluta Dei poterit sic vniri, quod est falsũ. Consequentia clarct: quia omnes sunt æquè perfectæ. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiã, & distinguendo probationem: sunt æquè perfectæ, & eodẽ modo vnibiles nego; diverso modo subdistinguo: creaturæ repugnante concedo; possibili nego. Ratio est: nam hæc est differẽtia inter subsistentiam absolutã, & cæteras perfectiones Dei absolutas; quod istæ nequeunt vniri, nisi per informationẽ, vel identitatem, ex quibus primũ repugnat ipsis, & secundum creaturis. Ast subsistentia ex suo conceptu est terminus, ideòque sine informatione, vel identitate potest per modũ termini vniri.

57 *Arguit. 9.* Arguitur nono: si in Deo esset tantum vna persona, non posset absoluta subsistentia terminare humanitatem, quin etiam immediatè personalitas terminaret: ergo nec nunc potest terminare, quin etiam immediatè tres personalitates terminent. Atqui hoc repugnat, vt dicã *disput. sequenti*: ergo nequit subsistentia absoluta humanitatẽ terminare. Probatur consequentia: ideò in illo casu personalitas immediatè terminaret, quia subsistentia absoluta esset omninò idem cum tali personalitate; sed nunc est omninò idem cum tribus personalitatibus: ergo, &c. *Respondeo.* Respondeo negando consequentiã, & ad probationem distinguo maiorem: quia esset omninò idẽ realitèr, & formalitèr concedo maiorẽ; realitèr solum nego maiorem, distinguo similitèr minorẽ, & nego consequentiã. Hæc itaq̃ est ratio, cur in tali casu personalitas immediatè terminaret; & mediatè solũ in casu quæstionis.

Di-

58 *Dices. Respondeo.*

Dices: ergo tres personæ possunt terminare eandem numero naturam contra Scotū Respondeo distinguendo consequens: ergo tres personæ possunt terminare mediatè eandem numero naturā concedo consequentiam; immediatè nego consequentiā; hoc enim est contra Scotum; non verò illud, vt claret in quacumque creatura, quæ dependet mediatè à tribus personis in sui productione; immediatè verò solum ab Essentia Diuina, quod etiā latiùs clarebit *disput. sequenti.*

§. Vltimus.

Ex dictis quædam difficultas resolutoriè enodatur.

59 *Proponitur difficultas.*

EX dictis in discursu disputationis colligitur brevis, faciliſque resolutio cuiusdam difficultatis, in qua (vt ait Ill. God. *num.* 153.) plus iusto Recentiores ociantur. Difficultas est: an quælibet Divina formalitas, sivè quodlibet prædicatum Divinum, sivè absolutum, sivè relativū sit, possit assumere naturam creatam? Opiniones refert Ill. God. *num. cit.* ab eius tamen opinione non discedimus, quare ipso brevius difficultatem resolvemus.

60 *1. Assertio.*

Asserendum est primo: omnia Divina prædicata, suppositō, quod sint formaliter subsistentia, posse immediatè assumere naturā creatam. Hoc assertum gaudet eadem certitudine, qua gaudet conclusio posita *num.* 17. & probata manet per ibi dicta. *Probatur.*

61 *2. Assertio, eius probatio.*

Asserendum est secundo: nullum prædicatum Divinū, si subsistens non sit, posse assumere naturā creatā. Hoc assertū habet Ill. God. *num.* 154. quod sic probat: hic Deus non potest sibi assumere naturā creatā, quamvis perfectissimè existat, si in illo non admittatur conceptus subsistentiæ absolutæ: ergo nullum prædicatum Divinū potest, si subsistens non sit, quamvis perfectissimè existat, assumere naturam creatā, estò possit illi vniri. Patet cōsequentia: tum à paritate rationis; tum à fortiori; nā si prædicato naturæ vis assumptiva negatur, non est cur concedatur alijs prædicatis Divinis.

62 *Alia difficultas.*

Admitto probationem. Sed restat alia difficultas examinanda, scilicèt, an sicut subsistentia Dei absoluta potest immediatè vniri cū natura creata, ita quodlibet prædicatū Divinum absolutum possit sic vniri, subsistentia ab illo præcisa? Respondeo negativè, cuius ratio est disparitas assignata *num.* 56. Et hæc de ista disputatione applicanda litteræ Magistri *in* 3. *dist.* 1. *§. vlt.* ad illa verba: *Licèt igitur solus Filius carnem assumpserit, &c. & distinct.* 5. §. 3. *Responsio.*

DISPVTATIO DECIMA SEXTA.

An omnes personæ Divinæ possint simul vnam terminare naturam, & vna persona plures?

§. I.

Quæ certa, & necessaria sunt, præmittuntur.

Num. 1 *Potuit quælibet persona naturā creatam assumere.*

PRimo, vt omnibus exploratū, & omninò certum supponimus, posse quamlibet ex Divinis personis creatam terminare naturam, illique hypostaticè vniri. In hoc conveniunt omnes Theologi, & fide suppositā, ratione evidenter demonstratur: nā Verbo, quod de facto fuit naturæ humanæ vnitū, convenit illam assumere ratione Omnipotentiæ, vt principij actionis assumptivæ, & ratione proprietatis personalis, vt termini; sed cuivis ex personis Divinis convenit Omnipotentia; sicut & natura Divina, ratione cuius Omnipotentia convenit Filio, & in qualibet Divina persona est sua propria personalitas, nō minus infinita in terminando, quam personalitas Filij: ergo quælibet Divina persona potest si-

bi assumere naturam creatam, eique hypostaticè vniri. Quod ampliùs vrgetur: etenim natura creata non est minus terminabilis per subsistentiam personalem Patris, aut Spiritus Sancti, quam per subsistentiâ personalem Filij; sed Deus non est minus potens illam vnire personalitati Patris, aut Spiritus Sancti, quam personalitati Filij: ergo sicut de facto vnita fuit hypostaticè Filio; ita potuit de potentia absoluta Patri, aut Spiritui Sancto hypostaticè vniri.

2 *Potest vna persona sine alia naturam creatam assumere.*

Secundo extrà controversiam est: posse vnam personâ Divinâ sine alia, assumere naturam creatâ, quod præter quam quod ex misterio Incarnationis colligitur; de facto enim solum Verbum Divinũ assumpsit humanitatem, ostenditur hac ratione: nam personam Divinâ assumere naturâ creatam dicit esse principium actionis assumptivæ, & naturam terminare; sed licèt primum non possit vna persona efficere sine alia, secundũ tamen potest ab vna sine alia præstari: ergo potest vna persona assumere naturam creatam, altera non assumente. Consequentiâ tenet. Maior ex ipsis terminis constat; nam *assumere* idẽ est, quod *à se sumere*, in quo duo necessario importantur, scilicèt, principiare assumptionem, & esse assumptionis terminũ.

Theologorũ axioma.

Minor pro prima parte supponitur ex communi Theologorũ axiomate, scilicèt: *Opera Trinitatis ad extrà esse toti Trinitati communia, & indivisibiliter à Trinitate procedere*, eo, quod ad extra efficere convenit personis ratione essentiæ, vt principij radicalis, & ratione Omnipotentiæ, vt principij proximè operativi, quæ omnia sunt toti Trinitati cõmunia, & indivisibiliter Tribus personis conveniunt, ideòque esse assumptionis principiũ toti Trinitati est cõmune, nec potuit vni personæ sine alia convenire. Pro secunda verò parte probatur ex oppositio principio: nam terminare naturam creatâ convenit personis Divinis ratione personalitatis, vt tradit contra Durandum cõmunis Theologorum doctrina, claretque ex dictis disputatione præcedenti §. 1. *per totum*; sed personæ distinguntur proprietatibus personalibus: ergo potest vna terminare, altera non terminante, & naturæ creatæ vniri, alia invnita manẽte.

3 *De facto solum Verb. naturã creatam assumpsit.*

Tertio, vt fide certum, & omninò indubitatum supponimus, de facto solum Verbũ, quod est secunda Trinitatis persona, assumpsisse naturâ creatam. Quod patet: nam in Scriptura asseritur: Verbum factũ esse hominem *Ioan.* 1. & passim *alibi*, quod nunquam affirmatur de Patre, aut Spiritu Sancto: ergo de fide est, solam secundam Trinitatis personâ de facto assumpsisse humanitatem, illique vnitâ fuisse in vnitatẽ personæ. Patet consequentia; si namquè aliæ personæ assumpsissent naturâ creatam, id Scriptura revelasset, sicut revelavit, illâ Verbam assumpsisse. Deindè: nam licèt Scriptura non exprimat esse tantum Tres personas in Deo; quia tamen docet esse Tres, & nũquam esse plures affirmat, propositio, qua asseritur, esse in Deo Tres personas, incõmuni Patrũ consensu, accipitur pro exclusiva, & indè est de fide expræssum, non esse plures, quam Tres personas Divinas; sed in Scriptura habetur, Verbũ carnem assumpsisse, & nunquam id affirmatur de Patre, aut Spiritu Sancto: ergo propositio illa accipienda est pro exclusiva, ac proindè, vt certum de fide tenendum, solum Verbũ, quod est secunda Trinitatis persona, creatam assumpsisse naturam.

4 *Potest mediatè eadẽ natura creata assumi à Tribus Divinis personis.*

Quarto etiam, vt certum ex dictis *disputat. præced* supponendum est: posse eandem naturâ creatam assumi mediatè à Tribus Divinis personis, quod ita certum est, ac certum esse diximus *disputat. cit.* posse subsistentiam Dei absolutam terminare naturam creatam; & ratio est: nam casu dato, quod homo subsisteret per subsistentiã Dei absolutam, homo esset mediatè Tres Divinæ personæ, sicut Deus per subsistentiam absolutã est mediatè Tres Divinæ personæ: ergo potest eadem natura creata assumi mediatè à Tribus Divinis personis. Consequentia est legitima, & ostenditur: nam casu, quo natura creata subsisteret per subsistentiam Dei absolutã, natura creata terminaretur mediatè à Tribus personalitatibus Divinis; esset namquè mediatè Tres Divinæ personæ; sed potest natura creata subsistere per subsistentiam Dei absolutam: ergo potest eadem natura creata assumi

mediatè à Tribus Divinis personis.

5 *Potest successivè à Tribus Divinis personis assumi eadem natura creata*

Quinto denique, vt certum supponendum est: posse eandem naturam creatã à Tribus Divinis personis successivè assumi. Hoc est apud omnes Theologos certum, & suadet ratio: quia natura creata ex se indifferens est, vt assumatur à personalitate Verbi, vel Patris, aut Spiritus Sancti: ergo eadẽ est capacitas in natura creata, vt à qualibet persona assumatur. Atqui in qualibet persona est eadem vis assumptiva, & terminativa: ergo à qualibet persona potuit natura creata assumi: ergo à qualibet potest successivè assumi. Probatur hæc consequentia: ratio convincens, potuisse eandem naturã creatam assumi à qualibet persona Divina, convincit etiã, posse à qualibet successivè assumi, vt ex terminis est manifestum; sed natura creata potuit à qualibet Divina persona assumi: ergo & à qualibet potuit successivè assumi.

6 *Sensus difficultatis.*

Ex his apparet: difficultatem non esse de terminatione mediata, & successiva, sed simultaneã, & immediata, vndè quærere: an omnes personæ Divinæ possint eandem terminare naturam? Est inquirere: an omnes Divinæ personæ possint simul, & immediatè eandem naturam terminare? Pro cuius resolutione.

7 *Adverto 1*

Advertendum est primo: quod si eadem natura personaretur triplici personalitate, idem effectus quoad substantiam, & modum tribueretur à Tribus; quia quælibet personalitas tribueret naturæ incõmunicabilitatẽ alteri, & actui per se substantialitèr completivo, quæ est ratio formalis subsistentiæ cuiuslibet, ex dictis *tom. 3. in 1. disput. 80. §. 1. per totum.* Nec obest: quod vna personã constitueret Patrem, alia Filium, & alia Spiritum Sanctum. Non, inquã, obest: quia hoc non tribuũt sub cõmuni ratione subsistentiæ, sed sub ratione talis subsistẽtiæ, quod non impedit, vt quælibet tribueret effectũ formalẽ subsistentiæ.

8 *Adverto 2*

Secundo advertendum est: quod hæc est differẽtia naturæ creatæ à Divina, scilicèt, quod Divina habet triplicem cõmunicabilitatem, nempè, Patri à se; Filio à Patre; & Spiritui Sancto ab vtroque; ast natura creata vnicam habet communicabilitatem. Vndè sicut repugnat: quod cõmunicabilitas naturæ Divinæ ad Filiũ terminetur per aliam personalitatem, similitèr de cõmunicabilitate ad Patrẽ, & Spiritum Sanctũ; ita repugnat, quod communicabilitas naturæ creatæ per vnã terminata, terminetur per aliam. His igitur ita suppositis, quod in examen vertimus est: An plures Divinæ personæ possint simul vniri eidẽ naturæ creatæ, & vna persona Divina possit simul pluresterminare naturas?

§. II.

Prima pars disputationis resolvitur.

9 *1. Sẽtentia. D. Thom. Ill. Godoy.*

IN hac difficultate duæ extremæ oppositæ versantur sententiæ. Prima est affirmativa, quam Ill. Godoy amplectitur *n. 29.* sequendo D. Thomam *in 3. dist. 1. quæst. 2. artic. 4. Ad Anibaldum in eadem dist. quæst. vnica artic. 5.* Et in præsenti *quæst. 8. artic 6.* Secunda est negativa, quam tenet Scotus *in 3. dist. 1. quæst 2.* & ego cum illo. Sit itaq.

10 *Conclusio. Probat. 1. Authoritate D. Anselmi.*

Conclusio: *Tres Divinæ personæ nequeunt simul, & immediatè terminare eandem numero naturam creatam.* Hæc conclusio probatur primo authoritate D. Anselmi, *qui lib. de Incarnatione cap. 4.* sic ait: *Impossibile est, Deum Incarnatum secundum vnam quamlibet personam, secundum aliam quoque Incarnari.* Et *lib. 2. cur Deus homo cap. 9.* vbi ait: *Plures personæ nequeunt vnum, & eundem hominem assumere*, vbi claret, D. Anselmum loqui non tantum de facto, sed etiã de potentia Dei absoluta: ergo Tres Divinæ personæ nequeunt simul, & immediatè terminare eandem numero naturam creatã. Consequentia ita legitima videtur verbis D. Anselmi attẽtis, vt affirmet Lorca *num. 4.* opinionem Scoti esse sententiam expræssam D. Anselmi.

11 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet Ill. Godoy *num 39.* Anselmum solum negare, quod possint plures Divinæ personæ assumere vnã naturam personatam, vel vnam hypostasim; non autem, quod possint simul eidem naturæ vniri. Quã solutionem sumpsit ex Angelico Præceptore in præsenti *artic. 6. in corpore.* Sed contra: in eodẽ sensu, in quo D. Anselmus concedit possibile, vnam Divinam personam assumere naturam creatam, negat id posse fieri à pluri-

Contrà.

bus

bus personis simul; sed vna persona Divina solum potest naturã creatam assumere; non vero naturam personatam: ergo non loquitur Anselmus de natura personata, vel hypostasi, sed de vna numero humana natura, & consequenter sentit, non posse plures Divinas personas simul assumere vnam naturam creatam, illique hypostaticè vniri.

12 *Respondet ipse.* Ad hac replicam respondet Ill. God. *num.* 40. concessa maiori, distinguendo minorem: vna persona Divina non potest assumere naturam personatã per modum extremi assumpti concedit minorem; per modum termini assumptionis negat minorem, & consequentiã; nam licèt persona humana à Divina assumptibilis non sit per modum extremi assumpti; potest tamen ab vna persona Divina humana natura assumi in vnius personę vnitatem, & in hoc consistit, personam humanam assumi, vt termini assumptionis; nam ex Verbo, & humanitate assumpta vna persona humana resultavit; & sic non potest vna numero natura à pluribus personis assumi, scilicèt, ita, vt ex illis vna persona resultet; num in tali casu non esset vna, sed plures personæ humanæ, non obstante vnitate naturæ.

Et quod hæc sit mens Anselmi (prosequitur ipse) patet clarè ex ratione, qua probat, Incarnato Deo secundũ vnam personam, non potuisse secundum aliam personam incarnari. *Quia, nempè, hic Deus assumpsit hominem, non ita, vt natura Dei, & hominis vna sit, sed vt persona Dei, & hominis sit vna, quod non nisi in vna persona Dei esse potest: nam diversas personas vnam, & eandem personam esse, cum vno, eodemque homine nequit intelligi.* Hæc est ratio Anselmi, quæ, vt clarè constat, solum convincit, non posse plures personas Divinas vnã naturam assumere in vnius personæ vnitatem, idest, talitèr, quod ex illis simul cum vna natura vnitis, vna resultaret persona; non autẽ, quod absolutè vnam naturam simul assumere nequeant. Ne ergo dicamus, Anselmum ratione prorsus inefficaci vsum fuisse, accipiendus est in sensu, in quo illum explicat D. Thomas.

13 *Solutio ista* Hæc itaquè solutio Ill. Godoy ad breviora verba, claritatis gratia, reducitur; vult namquè dicere: Anselmum negare, posse Tres personas assumere vnam humanitatem in vnitate personæ, ita quod essent vna persona; non vero negare: vnam humanitatem assumere, ita vt essent Tres personæ. Hanc solutionẽ sumpsit Ill. Godoy ex Suario, Vasquio, & Valentia, quam priùs dedit noster Basolius. *ad breviora dicta.*

Impugnatur primo: quia vel Anselmus loquitur de humanitate cũ propria personalitate; vel de humanitate præcisa à tali personalitate? Si secundum: falsa est prima responsio Ill. Godoy, vt claret. Si primum: nec in vnitate personæ, nec in non vnitate personæ potest à Tribus assumi, imò nec ab aliquo; alioquin natura, retenta propria personalitate, posset assumi, quod negat ipse: ergo ruit vtraque ipsius responsio. 14 *Impugn. 1.*

Impugnatur secundo: Hæretici, contra quos arguebat D. Anselmus, non asserebant: posse Tres Divinas personas assumere vnã humanitatem in vnitate personæ: ergo si hoc negat Anselmus, vt ait Ill. God. nihil contra hæreticos Anselmus deducit; atqui hoc non est dicendum: ergo nec quod ait Ill. Godoy in allata solutione. 15 *Impugn. 2.*

Impugnatur tertio, & vrgetur: Hæretici, contra quos arguebat D. Anselmus, asserebant: Tres Divinas personas Incarnatas fuisse: ergo hoc negat Anselmus. Atqui hoc negat, non solum de facto, sed etiam de possibili, vt claret ex verbis ipsius: ergo absolutè negat, Tres personas posse assumere eandem humanitatem: ergo ruunt responsiones Ill. Godoy. *Impugn. 3.*

Impugnatur quarto: in eodem sensu, quo negat D. Anselmus: Tres personas Incarnatas fuisse de facto, negat possibilitatem, vt possint Incarnari, vt constat ex verbis relatis; sed in nullo sensu, nullaque explicatione potest salvari, quod Incarnatæ sint de facto: ergo in nullo sensu, nullaque explicatione potest salvari, quod possint Incarnari. Atqui si simul assumere eandem humanitatem potuissent, potuissent simul Incarnari: ergo cum hoc neget D. Anselmus, negat, & illud. 16 *Impugn. 4.*

Impugnatur quinto, & vrgetur amplius; quia si D. Anselmus non sentiret: Tres personas nequire eandem humanitatem assumere, Anselmus *Impugn. 5.*

quid

quid supervacaneū diceret, vt claret ex responsionibus III. God. sed hoc nō est dicendū: ergo posse dicendū non est, Anselmum sentire: Tres Divinas personas posse assūmere eandē humanitatē: ruit ergo III. God. solutio. Minor, & consequentia tenent. Maior autē patet: nā Anselmum dicere: Tres Divinas personas non posse assūmere vnā naturā personatam, vel assūmere non posse vnā humanitatē in vnitate personæ, quæ sunt solutiones III. God. supervacaneum est; cum nihil horum dixissent Hæretici, contra quos arguebat D. Anselm. vt proximè ostēdimus.

§. III.

Ratione Scoti probatur conclusio.

17 *Ratione Scoti prob. cōclus.*

PRobatur conclusio ratione Scoti: in omni dependentia essentiali vnū dependens non depēdet præcisè, nisi ab vno, quod terminet eius depēdentiā; sed natura humana dependet essentialitèr quoad personari à personalitate: ergo eadem natura nequit à pluribus dependere: ergo nequeunt Tres Divinæ personæ eandē numero naturā creatam terminare. Maior est certa; quia alioquin sequeretur: depēdere essentialitèr ab vno, & ab illo essentialitèr non dependere, quod est contradictio; nā dependeret, vt suppo nitur; & non dependeret, quia illud nō dependet essentialitèr ab aliquo, quo non existente, adhuc existeret. Minor claret primo: quia licèt nō sit dependētia essentialis causati ad causam; est tamen essentialis subsistentati ad subsistētans; quatenus natura ex sua intrinsica ratione petit subsistere, & suppositari in se, vel in alio. Claret secundo: quia si non esset dependentia essentialis, natura cū propria personalitate posset personalitate aliena personari, quod contrarij admittere non audēt. Consequentia legitima videtur.

18 *Confirm. 1.*

Confirmatur primo: implicat eundem numero effectū provenire à duplici causa totali, sivè effectiva, sivè formali, vt dicitur *lib. 2. Phisicorum*: ergo implicat eandē numero naturam personari à triplici personalitate. Cōsequentia constat primo: quia quælibet personalitas esset causa totalis. Secundo: quia tribuerunt eundē numero effectū, scilicèt, eandē incommunicabilitatē, vt diximus *n. 7.* Confirmatur secundo: natura semel personata personalitate Verbi, habet totalem effectū subsistentiæ quoad subitantiā, & modum: ergo si ab alia personaretur, idem effectus quoad substantiam, & modum tribueretur à duplici personalitate. Atqui hoc ex dictis repugnat: ergo nequeunt tres Divinæ personę eandē numero naturā creatā termi nare. Antecedens claret ex dictis *n. cit.* Cōsequētia, & sussūpta sunt legitimæ.

Confirm. 2.

Huic valido Scoti fundamento à Theologis variè occurritur, ex quorū variatione magna eius agnoscitur efficatia. Suarius, & Valentia respondent: eundē numero effectum posse à pluribus causis totalibus dependere. Cæterum hoc impugnatū manet ratione Scoti, & confirmationibus, estque Scoti opinio apud Theologos, & Philosophos plausibilitèr recepta.

19 *1. Respōdēt Suarius, & Valentia. Impugnata manet.*

Secundo respondent alij: argumentum Scoti convincere: eandē numero naturā non posse subsistentari à tribus personis, quia hoc esset depēdere, & non dependere; nō verò convincere: quod à tribus non possit terminari, ita, quod ab vna sola subsistentetur, & ab omnibus terminetur. Vndè dicunt: non repugnare vnam vnionem subsistentivam, & plures terminativas.

20 *2. Respōdēt alij.*

Contra primo: iuxtà hanc solutionem eadē numero natura nequit subsistentari à tribus: ergo nec terminari. Probatur consequentia: personam terminare naturam, nihil aliud est, quam illam subsistentare, quia terminando subsistentat; sed per te eadem numero natura nequit subsistentari à tribus: ergo nec terminari. Contra secundo: ideò iuxtà hanc solutionē nequit eadem numero natura subsistentari à tribus, quia dependeret, & non dependeret; sed hoc idem sequeretur, si posset terminari à tribus: ergo nequit à tribus terminari, & consequentèr ruit solutio. Probatur minor: nequit intelligi, personā terminare naturā, quin illi tribuat incommunicabilitatem: ergo si à tribus terminaretur, eadem numero incommunicabilitas tribueretur à tribus. Atqui hoc esset dependere, & non dependere: ergo dependeret, & non dependeret à tribus, si posset à tribus terminari.

21 *Contra 1.*

Contra 2.

Tertio respondet Lorcā: quod tres Divinę personę vnica vnione vniren-

22 *3. Respōdet Lorcā.*

tur humanitati, in quo casu idem effectus non penderet à triplici causa totali, quia quælibet persona se haberet, vt causa partialis illius vnionis, sicut eadem relatio pendet à pluribus terminis numero distinctis. Contra primo: effectus personalitatis non est vnio, sed incommunicabilitas; sed hic effectus proveniret à triplici causa totali, vt totiès probatum est: ergo si eadem natura terminaretur a tribus, idem effectus penderet à triplici causa totali: ergo ruit solutio. Contra secundo: ad multiplicationem terminorum multiplicantur relationes, vt cum Scoto dixi in Logica: ergo si plures personæ terminarent, plures erunt vniones, quæ sunt relationes: ergo tres Divinæ personæ non vnirentur humanitati vnica vnione: nulla ergo est responsio.

Contra 1.

Contra 2.

23 *4. Respõdet Suarius, & alij.*

Quarto respondet Suarius, & alij: quod in tali casu essent tres vniones, & consequentèr tres effectus, quare non sequeretur contradictio ab Scoto illata. Contra primo: quia vt dixi, vnio non est effectus personæ: ergo ex eo, quod essent tres vniones, non essent tres effectus personalitatum. Contra secundo: nam licèt essent tres vniones, esset tamē vna natura vnica incommunicabilitate subsistens, & in subsistendo à triplici dependens: ergo daretur vnus effectus dependens à pluribus: ergo sequeretur Scoti contradictio.

Contra 1.

Contra 2.

24 *5. Respõdet Basquius.*

Quinto respondet Basquius: concedendo, eundem effectum non posse à duplici causa totali dependere, & negat: eandem naturam non posse à pluribus simul terminari. Disparitas (inquit) sit in hoc: quia effectus verè dependet à causa, & quando ab vna iam accepit esse, no relinquitur capacitas ad dependendum ab alia. At natura creata non accipit esse à personalitate; Ideoque retinet capacitatē ad esse in tribus, vt cōstat de facto: nā negari nequit, quod terminata per vnam potest succesivè per alias terminari, ex quo infert: quod de potentia Dei potest habere capacitatem ad esse simul in tribus.

25 *Contra 1.*

Contra primo: licèt natura in suo esse nō dependeat à personalitate, dependet tamē ab illa quoad subsistentari ex ipso Basquio: ergo si à pluribus subsistentaretur, eadem subsistentatio dependeret totalitèr à pluribus: ergo dependeret totalitèr ab vna; & non dependeret ab eadem, quod est contradictio: ergo quoad hoc nulla est Basquij disparitas.

26 *Contra 2.*

Contra secundo: iuxtà opinionem Basquij materia prima non dependet quoad sui esse à forma; nam iuxta illū habet propriam existentiam distinctam à forma; sed quia completur per formam, dependet ab illa quoad suum esse, iuxta ipsum *disp. 29. cap. 4 num. 23.* ergo licèt natura in sui esse non dependeat à personalitate; quia tamen per illam completur, ab illa dependet quoad sui esse: ergo nulla est disparitas Basquij.

27 *Contra 3.*

Contra tertio: licèt materia prima non accipiat esse a forma, nequit iuxtà Bazquez informari duplici forma totali, quia vna forma sufficit ad tollendam indigentiam materiæ; sed vna personalitas sufficit ad tollendam indigentiam naturæ: ergo licèt natura non accipiat esse à personalitate, nequit à triplici personalitate totali terminari.

28 *Contra 4.*

Contra quarto: ex eo, quòd natura per vnam personalitatem terminata possit successivè per alias terminari, non infertur, quod de potentia Dei habeat capacitatē ad esse simul in tribus: ergo ruit solutio. Probatur antecedens ex eo, quod materia prima informata per vnā formā possit successivè informari per alias, non infertur iuxtà Bazquez, quod de potentia Dei habeat capacitatem ad informari simul per plures: ergo paritèr.

29 *Contra 5.*

Contra quinto: sicut dependentia materiæ à forma est extra essentiam, & existentiam materiæ, ita dependentia naturæ à persona est extra essentiam, & existentiam naturæ; sed illud non obest, vt capacitas materiæ ita compleatur per vnam formam, vt repugnet per aliam simul informari: ergo similitèr: quod dependentia naturæ a persona sit extra essentiam, & existentiam naturæ, non obest, vt capacitas naturæ ita compleatur per vnam personalitatem, vt repugnet per aliam simul terminari.

30 *6. Respõdet Basolius.*

Sexto respondet Basolius: dependentiam naturæ ad suppositum extrinsecum non esse essentialem, sed esse respectum accidentalem, & ex-

trin-

Contra.

trinsecus advenientem. Contra: quod vnio naturæ ad suppositum extrinsecum sit relatio extrinsecus adveniēs, non tollit, quod natura dependeat essentialitèr ab illo quoad subsistere, vt toties dictum est: ergo ruit Basolij solutio. Confirmatur primo, & vrgetur: quod vnio naturæ ad suppositum propriū sit relatio extrinsecus adveniens, non tollit, quod natura dependeat ab illo essentialitèr quoad subsistere: ergo similitèr: quod vnio naturę ad suppositū extrinsecū sit relatio extrinsecus adveniens, non tollit, quod natura depēdeat essētialitèr ab illo quoad subsistere. Deniquè: vnio naturæ humanæ ad Verbum est relatio realis, dicens ordinem essentialem ipsius naturæ vt subsistentificatæ, ad Verbum, vt subsistentificans: ergo optima est Scoti consequentia: quod si subsistentaretur à pluribus, dependeret, & non dependeret à quolibet.

31 7. Respondent Pōtius, & Amicus. Contra 1.

Septimo respondent Pontius, & Amicus: quod in tali casu natura dependeret à qualibet personalitate in adæquatè, & ab omnibus adæquatè. Contra primo: quælibet personalitas est de se sufficiens ad terminandum adæquatè naturam creatam, vt ipsi concedunt, & clarè in personalitate Verbi, quæ de facto terminat adęquatè naturam humanam Christi: ergo quælibet communicata naturæ terminaret adæquatè naturam Probatur consequentia: personalitas terminat in genere causæ formalis, vel quasi formalis: ergo communicata naturæ terminat quantum potest. Atqui per te potest adæquatè terminare: ergo quælibet communicata naturę terminaret adæquate naturam.

32 Contra 2.

Contra secundo: causa formalis, semel applicata subiecto, non potest temperare suum effectum: ergo dat subiecto quantum habet: ergo forma adæquata informat adæquatè subiectum. Atqui quælibet personalitas est per te adequata in terminando, & terminat in genere causæ formalis: ergo semel applicata naturæ, hanc adæquatè terminabit. Consequentiæ, & sumpta sunt veræ. Antecedens verò probatur primo: quia hæc est differētia inter causam efficientē, & formalē; illa enim, quia non causat, se ipsam communicando, sed influendo influxu ab ipsa realitèr distincto potest influxum temperare: formalis verò nequit temperare influxum, quia causat, se ipsam communicando: ergo causa formalis, semel applicata subiecto, nō potest temperare suum effectum. Probatur secundo: effectus formæ est ipsa forma communicata: ergo licèt in alterius potestate sit, illam communicare, vel non communicare subiecto, semel tamen communicata, non potest temperare suum effectum.

33 Contra 3.

Contra tertio: quia cū illa responsione posset etiam defendi: materiam primā posse informari duplici forma, & eundē effectū posse produci à duplici causa totali, & sic de alijs, quia possunt dicere, quod penderet à qualibet inadæquatè, & ab omnibus adæquatè; sed hoc videtur dissonum: ergo dissona est responsio Pontij, & Amici. Cōtra deniquè: quia nequit intelligi, quomodo sit possibilis talis inadęquatio, vel inadæquata subsistentatio: ergo ruit illorum responsio.

Contra 4.

34 Dices cum Pontio.

Dices cū Pontio: quod si Deus vellet non cōservare, nec producere naturā, nisi cū vnione ad tres personas, intuitu talis vnionis dependeret natura ab vnione ad tres personas, & nō dependeret adæquatè ab vnione ad vllā ex illis; sed tantū inadæquatè: ergo facilè concipi potest prædicta inadæquatio.

35 Contra.

Contra: terminatio personalitatis reducitur ad genus causę formalis; sed hoc genus causalitatis nequit à Deo suppleri, nec impediri, nec dimidiari: ergo nequit Deus facere decretum à Pontio imaginatum. Declaratur hoc: quia esse albū est effectus formalis albedinis, nequit Deus facere decretum, quo vellit, albedinē esse in subiecto, & quod illud nō reddat albū: ergo nec decretū, quo vellit, albedinē nō dealbare adæquatè; nā iuxtà axioma: *In cuius potestate non est agere, neque etiā est modus agendi*: ergo paritèr in proposito: nequit Deus facere decretū, quo vellit, personalitatē esse in natura, & illā non reddere personatam, nec decretum, quo vellit, personalitatem non personare adæquatè.

36 Dices cum Amico.

Amicus verò alitèr declarat possibilitatē prædictæ inadæquationis, ait enim, quod persona Divina duplicem effectū confert naturæ assumptæ. Vnū in genere causę formalis, scilicèt, vlti-

mo illā ſubſtantialiter terminare. Alterū ſubſtentativum, quī cum non ſit in genere cauſæ formalis, atemperari valet. Hæc tamen ſolutionis declaratio minoris eſt momenti.

37 *Contra.* Nam quidquid ſit de hoc duplici effectu. Contra: effectus ille, qui eſt in genere cauſæ formalis, nequit atemperari, vt cōcedit Amicus: ergo quælibet perſonalitas adęquate terminaret naturā. ergo à qualibet totaliter penderet, & nō penderet, quod eſt cōtradictio ab Scoto illata: ergo reſpectu huius effectus repugnat inadæquatio: ergo & aſſumptio à tribus: ergo abſolutè repugnat. Probatur hęc conſequentia: vt aliquid abſolutè repugnet, ſufficit, quod repugnet ex aliquo capite, licèt ex alio non repugnet; ſed per te repugnat aſſumptio a tribus ex capite primi effectus: ergo abſolutè repugnat.

§. IV.

Reſponſio Ill. Godoy proponitur, & reijcitur.

38 *Reſpondet Ill. God.* His igitur de cauſis videns Ill. God. has ſolutiones Scotico argumēto nō ſatisfacere, reſpōdet ipſe *n.* 80. cum Capreolo *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Scoti *contra primā cōcluſionē*. Et Cayetan. *in hac quæſt. art.* 6. *§. ad hanc Scoti rationem*, quod licèt nō poſsit vnū, & idē à duobus adæquatè dependere dependēt. ia cauſali, quæ eſt dependētia ſtricta; poteſt tamē dependentia nō cauſali, ſed terminativa, quæ dependentia ſtricta non eſt, vnū, & idēm à duobus dependere adęquatè adęquatione intenſiva, nō tamē adæquatione extenſiva: vnū enim albū vna relatione ſimilitudinis adæquatè intēſivè ab vno albo terminatur, nō tamē adæquatè extēſivè: poteſt enim ex vi eiuſdem relationis ad plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia, cum quibus in graduali intenſione ſimilitudinē habet. Et idē in quantitate palmari in ordine ad alias quantitates eiuſdē magnitudinis invenitur. Pater etiā ex vi eiuſdē relationis, qua ad primū filium refertur, & ab illo terminatur adęquatè intēſivè, refertur ad novū filiū, ſi adveniat; ac proindè dicta relatio non terminatur adæquatè à primo adæquatione extē-ſiva. Natura autē creata, vnita alieno ſuppoſito, nō dependet ab illo dependentia ſtricta, & cauſali, ſed dependētia terminativa, & non cauſali; ac proindè licèt vnita vni ex Divinis perſonis, ab illa adæquatè intenſivè terminetur, non tamē terminatur adęquatè extenſivè, & idcirco vni ex perſonis vnita, poteſt cum alijs vniri.

39 *Cenſura Lorcæ.* Cæterū hæc ſolutio, licèt inter Thomiſtas communis, non placet Lorçæ dicentis: eſſe verba excogitata ſolū ad fugiendū argumētū Scoti. Si ergo hoc dicit Lorca, quid de ipſa nos ſentiemus? Suppoſita igitur hac cenſura.

40 *Reijcitur 1 ſolutio Ill. God.* Reijcitur primo: natura Divina habet triplicē communicabilitatem ex dictis *n.* 8. ſed quælibet ab vna perſonalitate, & triplex à triplici adęquatur intenſivè, & extēſivè ex eodē *n.* 8. ergo quælibet cōmunicabilitas adæquatur intenſivè, & extenſivè ab vnica perſonalitate: atqui natura creata vnicā habet cōmunicabilitatē: ergo intenſivè, & extenſivè adæquatur ab vnica perſonalitate: ergo ruit ſolutio Ill. God.

41 *Reijcitur 2* Reijcitur ſecundo prędicta ſolutio: repugnat, naturā perſonatam totaliter intenſivè, & extenſivè ab vna perſonalitate, poſſe ab alia intenſivè, & extenſivè perſonari: ergo repugnat, naturā perſonatā totaliter intenſivè ab vna Divina perſonalitate, ab alia intenſivè perſonari. Atqui natura perſonata ab vna Divina perſonalitate, totaliter intenſivè ab illa perſonatur: ergo repugnat, quod ab alia intenſivè perſonetur. Tunc ſic, ſed ſi poſſet ab alia perſonari, ab illa intenſivè perſonaretur: ergo repugnat, quod ſemel ab vna perſonata, perſonetur ab alia: Antecedēs eſt certū adhuc apud Ill. God. Cōſequētia eſt legitima. Prima ſuſsūpta etiā eſt vera in ſolutione data, in cuius doctrina tenet etiā conſequentia.

42 *Suſſumpta probat. 1.* Secunda verò ſuſſumpta, in qua vnicè poteſt eſſe difficultas, probatur primo: illa Divina perſonalitas gerit vices perſonalitatis creatæ; ſed hæc intenſivè perſonat: ergo ſi poſſet ab alia perſonari, ab illa intenſivè perſonaretur. Præmiſſæ ſunt veræ. Conſequētia claret, & paritate contra Thomiſtas probatur: Eſſentia Divina gerens vices ſpeciei impreſſæ, facit id, quod ſpecies impreſſa faceret, ſi eſſet, vt dicunt Thomiſtæ; ſed per te illa Divina perſonalitas gerit vices perſonalitatis creatæ: ergo faceret id, quod fa-

ceret

ceret personalitas creata. Atqui per te personalitas creata intensivè personat: ergo si posset ab alia personari, ab illa intensivè personaretur. Probatur secundo: illa Divina personalitas est eiusdem rationis in ratione personandi cū alia personalitate: ergo debet tribuere eundē effectum formalē; sed effectus formalis primæ personalitatis est intēsiva personatio: ergo intēsivè personaret secūda personalitas.

Prob. 2.

43 *Prob. 3 & 3 reijcitur solutio Ill. God.*

Probatur tertio prædicta sussumpta, & simul reijcitur tertio ad hominē contra ipsum: licèt in alterius potestate sit formam applicare, vel non applicare subiecto, semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest: ergo licèt in Dei potestate sit, applicare, vel non applicare personalitatē Patris naturæ personatæ personalitate filij; semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest. Atqui potens est intensivè personare: ergo intensivè personaret. Antecedens est ipsius, illoque vtitur *num.* 67. ad impugnandā solutionem Amici, & illud explicat in calore, vt octo, qui semel subiecto communicatus, dat illi totā suam gradualem intensionem. Consequentia est etiam ipsius *cit.* Sussumpta est innegabilis, & consequentia ex illa illata est evidens.

44 *Probat. 4. sussumpta.*

Ex hac doctrina Ill. Godoy probatur quarto prædicta sussumpta, & simul impugnatur eius solutio perdicta *num.* 31. 32. & 33. servata proportione terminorū, quibus ipse vtitur in sua solutione, quod, vt facilimum sit, probationē, & impugnationē formare, quin nos dicta repetamus, verba Ill. Godoy, quibus *num.* 67. reijcit solutionem Amici, transcribo.

45 *Verba Ill. God. pro probatione referuntur.*

Hæc tamen solutio (ait *num. cit.*) *displicet ob discrimen, quod inter causam efficientem, & formalem versatur. Illa enim non causat, se ipsam communicando subiecto, sed influendo influxu ab illa distincto, & effectū producendo, omnino distinctum ab illa. Ex quo fit, vt ipsa entitativè invariata, possit temperare influxum, & minorem, vel maiorem præstare, vel propter præsentiam alterius similis causæ, simul cū illa influentis, vel quia causa prima illam applicat maiori, aut minori applicatione. Causa autem formalis causat, se ipsam communicando subiecto, imò effectus formalis illius est ipsa forma subiecto communicata: ex quo fit, vt quamvis in alterius sit potestate constitutum, illam applicare, vel non applicare subiecto; semel tamen applicata, dat illi totum, quod potest; vt constat in calore, vt octo, qui semel communicatus subiecto, non potest non dare illi totā suam gradualem intensionem, illudque calidum, vt octo non reddere; sed Divina personalitas sustentat naturam creatam in genere causæ, vel quasi causæ formalis, se ipsam cōmunicando: ergo licèt sit constitutum in arbitrio libero Dei, personalitatem Divinam naturæ creatæ vnire, attamen semel vnita, non potest non dare naturæ adæquatum effectum, quem de se potest præstare; ac proindè, si de se sufficiens est, sustentare adæquatè naturam creatam, cui vnitur, non potest temperare concursum, nec propter præsentiam alterius Divinæ personalitatis, nec ratione Divinæ applicationis illā in actu secundo in adæquatè tantum sustentando.* Nescio quid clarius ad hominem contra ipsum.

46 *Prob. denique sussūpta ad hominem cōtra Ill. Godoy.*

Probatur deniquè prædicta sussumpta ad hominem contra Ill. Godoy: ideò iuxta ipsum potest Pater terminare naturam terminatam à Filio, quia Pater ratione suæ infinitatis habet eandem vim, quā habet Filius ad terminandam, & personandā naturam; sed Filius terminat naturam totalitèr intensivè: ergo Pater potest terminare intensivè naturā terminatam à Filio: ergo si Pater terminaret, terminaret intensivè. Totum est verum, si vera est maior. Maior autem est expressa Ill. God. *num.* 84. dicentis: *Dependentia causalis oritur ex indigentia, qua expleta per vnam causam non potest altera causa indigere; ac proindè nec dependere ab illa: dependentia autem non causalis potest sine indigentia inveniri, vt patet in relativis, quæ in Deo sine indigentia inveniuntur, sicut sine imperfectione; indigentia namquè in suo conceptu formali imperfectionem importat: vndè, quod relatio semel terminata ad vnum, possit terminari ab alio, & consequentèr à primo non sit terminata adæquatè adæquatione extensiva, potest provenire aliundè nempè, quia illud aliud eiusdem rationis est, & habet eandem vim, & rationem terminandi; & sic, inquit Caietanus, in nostro casu contingit. Quod enim Pater v. g. terminare possit naturam terminatam à Filio, non provenit ex eo, quod natura subsistens in Filio imperfectè sit personata, nec quia indigeat Patre, vt existat, sed ex cōditione personæ Patris, quia, nempè, ratione suæ infinitatis habet eandem vim, quam Filius, ad terminandam, & per-*

ſonandā naturā, & aliàs nō ſe excludunt ab ea dem naturā terminanda, cum ſimul naturam Diuinā terminēt. Vera igitur eſt in illius doctrina noſtra ſupra poſita maior.

47 *Reijcitur 4 ſolutio.* Reijcitur quarto ſolutio Ill. Godoy: dependentia naturæ à perſonalitate aliena eſt dependentia cauſalis: ergo intenſivè, & extenſivè adæquatur per vnā. Conſequentia eſt legitima apud Ill. Godoy, ideo in ſolutione aſſerentem: naturā non terminari adæquatè extenſivè ab vna perſonalitate, quia non dependet ab illa dependentia cauſali. *Antecedēs prob. 1. ad hominem.* Antecedens probatur primo ad hominem contra ipſum: iuxta Ill. God. *§ 4. ferè per totum*, & præſertim *num. 67.* perſonalitas Diuina terminat naturam creatā in genere cauſæ, vel quaſi cauſæ formalis, ſe ipſam cōmunicando: ergo, &c. *Secundo.* Probatur ſecundo: ipſe Ill. God. *diſput. 11. §. 7. num. 90.* probat: Verbum ſe ipſo per ſuam intrinſicam entitatem vniri humanitati, quia vnio perſonalitatis ad naturam eſt cauſalitas, qua naturam terminat: ergo, &c.

48 *Si dicas.* Nec valet dicere: non eſſe dependentiam cauſalem in genere cauſæ efficientis, nec formalis intrinſicæ; ſed extrinſicæ. *Contra.* Non (inquam) valet: nam ſicut dependentia in genere cauſæ formalis intrinſicæ adæquatur intenſivè, & extenſivè per vnam formam totalem; ita dependentia in genere cauſæ formalis extrinſicæ adæquatur per vnā formam totalem; nam eadem ex vtraque ſequitur cōtradictio. Imò dependētia in genere cauſæ efficientis intenſivè, & extenſivè adæquatur per vnā cauſam totalem: ergo etiam dependentia in genere cauſæ formalis extrinſicæ. Probatur conſequentia: cauſa formalis extrinſica minus extrinſica eſt, quam cauſa efficiens: ergo ſi per te dependentia in genere cauſæ efficientis intenſivè, & extenſivè adæquatur per vnam cauſam totalem: ergo etiam dependentia in genere cauſæ formalis extrinſicæ.

49 *Reijcitur 5* Reijcitur quinto: licèt dependentia naturæ à perſonalitate aliena non ſit cauſalis, eſt tamen dependentia per ſe, & eſſentialis, vt diximus, & probavimus *num. 17.* ſed hæc dependentia intenſivè, & extenſivè adæquatur per vnā; alioquin ſequerētur contradictio ex Scoto deducta eodem *num. 17* redditque Scoticum argumentū: ergo intēſivè, & extēſivè natura adæquate terminatur ab vna perſonalitate: ergo ruit ſolutio tradita ab Ill. God.

50 *Reſpondet Ill. God.* Reſpondet ipſe *num. 84.* aſsignando differentiā inter dependentiam cauſalem, & non cauſalē. Illa enim oritur ex indigentia, qua expleta per vnā cauſam, non poteſt altera cauſa indigere, ac proindè nec dependere; dependentia vero non cauſalis poteſt ſine indigentia inveniri, vt patet in relationibus, quæ in Deo ſine indigentia inveniuntur. Vndè quod relatio ſemel terminata per vnum poſsit terminari ab alio, & conſequentèr à primo non ſit terminata adæquatè adæquatione extenſiva, poteſt provenire aliundè, nempè, quia illud aliud eſt eiuſdem rationis, & habet eandē vim terminandi, vt contingit in præſenti, quia Pater habet eandem vim, quam Filius ad terminandam naturam. Plura falſa includit reſponſio, ideòque.

51 *Contra 1.* Contra primo: ideò dependentia cauſalis adæquatur intenſivè, & extenſivè per vnā cauſam totalem, quia oritur ex indigentia; ſed dependentia naturæ creatæ à perſonalitate, ſivè propria, ſivè aliena, oritur ex indigentia: ergo per quamlibet totalem adæquatur intenſivè, & extēſivè. Maior eſt ipſius Ill. God. Minor eſt apud omnes certa; alioquin natura creata eſſet fœcunda, ſicut Divina. Conſequentia infertur.

52 *Contra 2.* Contra ſecundo: ideò iuxta Ill. God. natura terminata per Filiationē poteſt terminari per Paternitatem, quia Paternitas habet eandem vim terminandi: ergo effectus productus ab vna cauſa totali poteſt ab alia produci. Probatur conſequentia: ideò natura terminata per Filiationem poteſt terminari per Paternitatem, quia Paternitas habet eandem vim terminandi; atqui alia cauſa totalis eiuſdem rationis habet eandē vim cauſandi: ergo, &c. *Contra 3.* Contra tertio: quia hæc reſponſio Ill. God. probat evidentèr: naturā terminatā totalitèr intenſivè per Filiationem, poſſe intenſivè terminari per Paternitatem, vt contra ipſum ad hominē probavimus *n. 46.* ergo ruit.

53 *Reijcitur 6* Reijcitur ſexto: corpus non dependet à loco dependentia cauſali, ſed terminativa, ſed repugnat in ſenten-

tia

tia D. Thomæ vnum corpus esse in duobus locis circunscriptivè : ergo etsi natura non dependeat à personalitate dependentia causali, sed terminativa, repugnabit, quod vna, & eadē natura à duobus personalitatibus terminetur: nulla ergo est responsio.

54 *Respondet ipse.* Respondet Ill. Godoy *num.* 87. negādo consequentiā. Ratio autem discriminis est: nam vnus locus circunscriptivus adęquatur vni corpori, non solum adæquatione intensiva, verum etiā extensiva, & implicat duplex terminus vtraque ita adæquatione adæquatus: vna autem persona Divina solum est terminus adæquatus intensivè respectu naturæ creatæ; ideòque illam ab alia persona terminabilem relinquit. Ratio autem, cur locus extensivè etiā corpori locato adæquetur, non verò vna persona Divina respectu naturæ creatæ, ea est: quia extensio localis corporis provenit à quantitate, vt effectus formalis secundarius; forma autem non dat effectū formalem primarium, vel secundariū ratione potentiæ obedentialis, sed ratione potentiæ naturalis, quæ cum vno effectu formali, sivè primario, sivè secundario intensivè, & extensivè adæquatur, ita, vt implicet, effectū formalē multiplicari, non multiplicata forma; ac proindè non potest vna, & eadem quantitas, etiam de potentia absoluta, præstare duas extensiones locales; natura verò creata personatur à persona Divina ratione potentiæ obedientialis, & terminatio ab illa nō est effectus primarius, nec secūdarius naturæ, sed personæ terminantis; & ideò, licet a qualibet persona Divina adæquatè intensivè terminetur, à nulla tamen terminatur adæquatè extensivè; ideòque relinquitur terminabilis ab alia.

55 *Contra 1.* Contra primo: etiam si corpus habeat potentiā obedientialem ad esse in loco sibi non connaturali, repugnat apud Ill. Godoy esse in duplici loco circunscriptivè: ergo etiam si natura creata habeat potentiā obedientialem ad personari sibi non connaturali, repugnabit personari à duplici personalitate: ergo intensivè, & extensivè adæquatur per vnā. Hæc consequētia ex prima infertur. Primaverò à paritate rationis videtur manifesta.

Contra secundo: quod dependentia sit secundum potentiā naturalem, vel obedientialem, non importat dependentiam essentialē: ergo nulla est disparitas. Probatur antecedens: dependentia essentialis non oritur à dependentia secundū potentiā naturalem, vel obedientialē: ergo, &c. Probatur antecedens: quod accidens dependeat connaturalitèr à subiecto, & ab illo obedientialitèr non dependeat, non importat dependentiam essentialem; nam dependentia accidentis à subiecto, quando actualitèr est in illo, ita accidentalis est, ac quando actualitèr non est in illo: ergo, &c. 56 *Contra 2.*

Contra tertio: dependentia secundum potentiā naturalem non est maior, quam dependentia secundū potentiam obedientialem, quando iam habet illud „ad quod dicit potentiā obedientialem: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: si accidens accidentalitèr dependet à subiecto secundum inhærentiam actualē, ita, vt possit in subiecto actualitèr non esse; accidentalitèr etiam dependet à subiecto, quando actualitèr non est illo, vt possit esse actualitèr in illo: sed primum convenit accidenti secundum potentiam naturalem, & secundū ratione potentiæ obediētialis: ergo, &c. 57 *Contra 3.*

Contra quarto: quod natura creata personetur à Divina persona ratione potentiæ obedientialis, non obest, vt intensivè, & extensivè adæquetur per vnam: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: quod natura creata existat existentia Divina ratione potentiæ obedientialis, non obest, vt intensivè, & extensivè adæquetur per vnā: ergo pariter. Consequentia paritate contra Ill. Godoy tenente: naturam creatā Christi Domini existere existentia Divina, vrgere videtur. 58 *Contra 4.*

Contra quinto: si persona Divina intensivè, & extensivè terminaret naturam creatam; non ob hoc deficeret naturæ creatæ potentia obedientialis ad terminari per vnā Divinam: ergo quod natura creata personetur à Divina persona ratione potentiæ obedientialis, non est ratio, vt intensivè, & extensivè non adęquetur per vnam: ergo ex omni parte deficit responsio allata. 59 *Contra 5.*

Reijcitur septimo solutio supra po- 60

sita

Reijcitur 7. solutio Ill. God.

ita Ill. God, natura creata personata à Divina personalitate habet (vt terminis ipsius loquar) perfectatem existentiæ, & perfectatem incomunicabilitatis: ergo intensivè, & extensivè adæquatur per illam. Probatur consequentia: si non ita adæquaretur, aliquid præstaret naturæ personatæ alia personalitas superveniens. Quid ergo præstat? Respondeat Ill. Godoy, & in contradictionem necessario incidet: ergo intensivè, & extensivè adæquatur per illam.

61 *Reijcitur 8*

Reijcitur octavo: natura creata adæquate intensivè personatur ab vna persona: ergo si extensivè personaretur ab alia, ab hac extensivè adæquaretur, sicut ab illa adæquatur intensivè: ergo non posset à tertia personari, cum intensivè, & extensivè esset adæquata. Probatur prima consequentia: si per secundam non adæquaretur extensivè, posset extensivè à tertia personari. Inquiro nunc: vel ab hac tertia adæquaretur extensivè, vel non? Si secundum: ergo posset personari extensivè à propria personalitate, quod est falsum. Si primū: cur à tertia, & non à secunda adæquatur extensivè? Sed nulla ratio potest assignari: ergo si extensivè personaretur ab alia, ab hac extensivè adæquaretur, sicut ab illa adæquatur intensivè.

62 *Reijcitur 9*

Reijcitur nono: natura creata intensivè, & extensivè adæquatur propria personalitate: ergo & aliena. Responsiones ad hanc paritatē impugnabimus § 6. & 7. vbi prædictam paritatē pro probatione nostræ conclusionis proponā. Sic itaque reiecta solutione Ill. Godoy ad prædictam Scoti rationem, solum restat reijcere exempla, quibus suam solutionem firmare conatur.

63

Hoc autem in nostra sententia facillimum est, vt ipse Ill. God. fatetur *n.* 81. nam in nostra, & Scoti doctrina, nec in Patre ad plures filios, nec in æquali ad æqualia, nec in simili ad similia datur vna tantū relatio, sed tot relationes quot sunt termini, quia ad multiplicationem terminorum multiplicantur relationes, vt *num.* 22. declaravimus.

***

§. V.

Alijs rationibus probatur Scoti conclusio.

64 *Probatur 3 conclusio.*

PRobatur tertio conclusio: quod arguit infinitatem, non potest cōmunicari creaturæ; sed terminari à pluribus suppositis simul arguit infinitatem in natura: ergo nequit naturæ creatæ communicari, quod à plurib⁹ suppositis simul terminetur. Probatur minor primo: ideò natura Divina est in Tribus personis, quia est infinita: ergo, &c. Secundo: si posset natura creata esse in pluribus suppositis, posset esse in infinitis: ergo, &c. Antecedens claret; quia eadem est ratio plurium, & infinitorū. Consequētia probatur: forma potens informare simul infinitas materias, esset infinita: ergo terminari à pluribus suppositis simul arguit infinitatē in natura.

Minor probatur 1.

Secundo.

65 *Respondet Ill. Godoy. Ad 1. probat. minoris.*

Respondet Ill. God. *num.* 42. negando minorē argumenti, & distinguendo antecedens primæ probationis: ideò est in tribus connaturalitèr, & per identitatē cum illis, quia est infinita concedit antecedens; absolutè, vel per potentiam obedientialem negat antecedens, & consequentiā; nam ideò natura Divina est infinita, quia est in tribus cōnaturalitèr, & per identitatem cum illis, natura vero creata, etiam si esset in pluribus suppositis, nō esset in illis cōnaturalitèr, & per identitatem cum illis, sed solum per potentiam obedientialem; ex quo non sequitur infinitas.

66 *Ad 2. respondet 1.*

Ad secundam probationē respondet primo *num. cit.* negando sequelā: etenim natura creata non potest per alienam subsistentiā creatam subsistere, vt *disputat. sequent.* promittit asserere; sed tantum per subsistentiam Divinam; hæc autē solum est triplex; vndè, ex eo, quod possit esse in pluribus suppositis, non sequitur, posse esse in suppositis numero infinitis, sed tantum in tribus.

67 *Secundo.*

Respondet secundo *num.* 43. concedendo sequelam, quantum est ex parte non repugnantiæ naturæ, & negando consequentiam; si namquè posse obedientialitèr terminari subsistentia per essentiam infinita, non arguit infinitatem in natura terminabili; multo minus argui potest ex terminabili-

tate

tate obedientiali per subsistētias creatas numero infinitas sub conditione, quod non repugnarent. Ad probationem consequentiæ distinguit antecedens: forma potens informare infinitas materias cōnaturalitèr concedit antecedens; obedientialitèr negat antecedens; & distinguit consequens distinctione antecedentis. Solū enim sequitur, naturā potentem connaturalitèr esse in suppositis numero infinitis, fore infinitam; non autem, quod infinita sit natura, quæ solum obediētialitèr potest existere in illis.

68 Contra 1. Contra hanc tamen solutionē insurgo primo: natura creata non habet potentiam obedientialem ad esse simul in tribus suppositis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: natura creata per nullam potentiā potest esse simul in tribus suppositis: ergo, &c. Probatur antecedens: esse simul in tribus suppositis est proprietas Divinæ naturæ, in eius infinitate radicata; sed nulla proprietas radicata in infinitate Dei potest convenire creaturæ: ergo.

Contra 2. Nec valet distinguere maiorē distinctione data; quia in oppositū contra secundo: si per impossibile natura Divina esset in tribus, licèt non per identitatem, esset infinita, vt modò est: ergo esse in tribus absolutè arguit infinitatem. Probatur antecedens: Essentia Divina modò non habet infinitatem à personis: ergo non dicitur infinita, quia est identificata cum illis, sed quia est vna numero in illis: ergo si per impossibile natura Divina esset in tribus, licèt non per identitatem, esset infinita, vt modò est.

69 Contra 3. Contra tertio: identitas Essentiæ cum personis non est ratio infinitatis Essentiæ: ergo esset infinita, etsi non esset identificata cum illis: ergo per hoc, quod est eadē numero in tribus, est infinita: ergo esse in tribus absolutè arguit infinitatē. Probatur antecedens: iuxta opinionem probabilem D. Thomę Paternitas est infinita, quin identificetur cum Filiatione: ergo identitas Essentiæ cum personis non est ratio infinitatis Essentiæ.

Contra 4. Contra quarto: responsione Ill. Godoy potest defendi: Deum posse communicare creaturæ Omnipotentiā, Immensitatem, cæteraque attributa: ergo ruit. Probatur antecedens: potest dici, quod hæc attributa conveniunt Deo connaturalitèr; creaturæ verò per potentiam obedientialē: ergo potest defendi: Deum posse cōmunicare creaturæ Omnipotentiam, Immensitatem, cæteraque attributa.

70 Contra 5. Contra quinto: nullum corpus potest esse cōnaturalitèr in pluribus locis circunscriptivè; sed ex eo, quod per potentiam obedientialem esset in illis, esset iuxta Ill. Godoy infinitum, quia eadem est actio de pluribus, ac de infinitis: ergo ex eo, quod natura creata per potentiam obedientialem esset in tribus personis, esset infinita ob eadē rationem. Hac ratione, & sequenti impugnatur etiā solutio quam ad secundā partem dedit Ill. Godoy, de ipsaque *disput. sequent.* Insurgo denique: nulla forma potest connaturalitèr informare duplicem materiam; sed ex eo, quod per potentiam obedientialem illas informaret, esset infinita ob rationē datam: ergo similitèr. Ill. Godoy aliam solutionē non adducit, & certè vi illius potest defēdi, quod diximus *num. antecedenti.* Contra 6.

71 Probat. 4. Conclusio. Probatur quarto conclusio: implicat naturā creatam sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud; sed si terminata à Verbo posset simul terminari ab alia ex Divinis personis, sisteret in vno supposito, & simul ad aliud transiret: ergo implicat, naturā creatam vnitā vni personæ Divinæ, & in illa subsistentē, simul alteri personæ vniri, & in illa subsistere. Consequentia tenet. Maior videtur certa: nam sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud, est sistere, & non sistere in primo; sistere autem, & non sistere cōtradictoriè opponuntur: ergo sistere in vno supposito, & simul transire ad aliud, contradictionem involuit. Minor autem probatur: nam subsistere in Verbo, idem est, quod sistere in illo, quod videtur ex sola grammaticali terminorum constructione constare; sed humanitas terminata à Verbo subsistit in illo: ergo. &c

72 Respondet 1 Ill. God. Respondet primo Ill. Godoy *n.* 57. concessā maiori, negando minorem; ad probationē negat antecedens: naturā namquè subsistere in alieno supposito non est idem, quod sistere in illo, nec ex grammaticali constructione id colligitur; sicut subsistere in

pro-

proprio ſuppoſito non eſt idem, quod in illo ſiſtere, vt conſtat in natura Divina, quæ ſubſiſtens in Verbo non ſiſtit in illo cum excluſione ſubſiſtendi in alijs Divinis ſuppoſitis: ſubſiſtere ergo in ſuppoſito alieno eſt ab illo ſuſtentari, & terminari, cum qua terminatione ſtat terminari per aliud, vt conſtat in eodē exemplo: natura namquè Divina terminata à Verbo, ſimul terminatur à Patre, & Spiritu Sancto.

Secundo. Reſpondet ſecundo: ſubſiſtere in alieno ſuppoſito eſſe in illo ſiſtere per excluſionē tranſitus ad aliud ſuppoſitum naturæ, quatenùs ſubſiſtentis in primo; non autem per excluſionem tranſitus ad aliud ſuppoſitum naturæ ſecundū ſe. Ex quo tantum ſequitur: humanitatē, v. g. quatenùs ſubſiſtentem in Verbo, & ab illo terminatam, non poſſe vniri alteri Divinæ perſonæ, quod veriſsimum eſt; non autem ſequitur: quod humanitas in Verbo ſubſiſtens, accepta ſecundū ſuam entitatē, non poſsit perſonæ Patris vniri. Quæ doctrina etiam conſtat in natura Divina, quæ terminatur per ſubſiſtentiam perſonalem Verbi; ex quo tantum ſequitur: quod, vt terminata per ſubſiſtentiā Verbi, non poſsit terminari per ſubſiſtentiam Patris; non autem, quod ſumpta ſecundum ſe per illam nequeat terminari.

73 *Neutra ſolutio placet* Neutra tamen ſolutio placet, & cōtra vtramque ſic inſurgo. Primo: nam negare, quod ſubſiſtere in alieno ſuppoſito eſt ſiſtere in illo, eſt negare diffinitionem ſubſiſtentiæ, & cōmunem acceptionē illius. Secundo: nam ſubſiſtere in alieno ſuppoſito eſt ab illo terminari, vt ipſe concedit in ſolutione; ſed terminari ab alieno ſuppoſito eſt ſiſtere in illo; alioquin terminaretur, & non terminaretur ab illo, quæ eſt contradictio, quam cum Scoto deduximus *num.* 17. probando noſtram concluſionē: ergo ſubſiſtere in alieno ſuppoſito eſt ſiſtere in illo, cōſequenterque ruit ſolutio III. Godoy.

74 *Exemplū non valet.* Nec exemplum de natura Divina, quod in favorem ſolutionis ipſe adducit, ipſi fabet; ideò namquè natura Divina terminata à Verbo, ſimul terminatur à Patre, & Spiritu Sancto, quia natura Divina habet triplicem cōmunicabilitatem, vt diximus *num.* 8. quā non habet natura creata. Imò: ſicut cōmunicabilitas naturæ Divinæ ad Filiū terminata per Filiationē, nequit per aliam perſonalitatem terminari, quod eſt idem, ac per illam ſubſiſtere, & in illa ſiſtere; ita communicabilitas naturæ creatæ per vnā perſonalitatem terminata, nequit terminari per aliam, quod idem eſt, ac per illam ſubſiſtere, & in illa ſiſtere. Eſt igitur exemplum in faborem noſtræ doctrinæ.

75 *Probatur 5 Concluſio.* Probatur quinto concluſio, deſtruēdo probationem adductā ab III. God. *num.* 30. quæ ſic ſe habet. *Tres perſonalitates Divinæ ſimul terminant naturam Dei: ergo poſſunt ſimul terminare eandem numero naturam creatam*, quam probationem ſic deſtruo: Tres perſonalitates Divinæ ſimul identificantur cum natura Dei: ergo poſſunt ſimul identificari cum natura creata. Atqui hæc conſequentia eſt falſa: ergo falſa eſt conſequentia III. God. contra nos deducta.

76 *Dices pro III. Godoy* Dices pro ipſo: Tres Divinas perſonalitates identificari cum natura Dei, quia Divina natura eſt infinita, & de ratione infiniti eſt identificare ſecum omne ſecum compoſsibile. Aſt natura creata, cum finita ſit, nequit ſecum identificare perſonalitates Divinas. Sed contra primo: ergo ideò tres Divinæ perſonalitates terminant ſimul naturam Dei, quia eſt infinita: ergo cum natura creata ſit finita, nequit à tribus perſonalitatibus ſimul terminari: nulla ergo eſt ſolutio, & diſparitas. *Contra 1.* Contra ſecundo ad hominem contra III. Godoy: ipſe namquè *num.* 30. ſic conſequentiam, quam contra nos infert, probat paritate rationis: *Si namquè Divina Tribus ſubſiſtentijs ſubſiſtit, in hoc, quod eſt vnam, & eandem naturam ſimul tribus ſubſiſtentijs terminari, nulla involvitur implicatio; ac proindè non implicabit, naturam creatam Tribus Divinis ſubſiſtentijs ſubſiſtere, & ſimul terminari per illas.* *Contra 2. ad hominē.* Nunc verò contra ipſum probo conſequentiā contra illius doctrinam deductam, & ſolutionem impugno. Si namquè natura Divina tribus ſubſiſtentijs identificatur, in hoc, quod eſt vnam, & eandem naturā tribus ſubſiſtentijs identificari, nulla involvitur implicatio; ac proindè non implicabit, naturam creatam tribus Divinis ſubſiſtentijs identificari. Hæc ad hominem ratio, quæ ſolutionem datam

im-

impugnat, impugnare valet quacumque aliam solutionem, quæ pro Ill. Godoy ad nostrā rationē assignetur.

§. VI.

Paritate contra Ill. Godoy, & alios adversarios probatur conclusio.

77 *Probatur 6 conclusio.*

NAtura humana terminata propria personalitate nequit ab alia terminari: ergo terminata per alienā nequit terminari ab alia. Antecedens est sententia adversariorum, quam habet Ill. God. *tom. 2. in 3. part. disput.* 19. Consequentia paritate legitimè infertur; quia personalitas aliena gerit vices personalitatis propriæ, & non minus perfectè terminat, ac propria terminaret. Variè respondēt ad hanc paritatem adversarij. Omnes negant paritatem, sed diversam reddunt disparitatem.

78 *Respondet Lorca.*

Lorca *in 3. p. disp. 25.* ait, disparitatē esse: quod Divinæ personalitates sunt æquivalentes, & eiusdē rationis in ratione terminandi; quare possunt simul eandem terminare naturam. Ast personalitas propria non est eiusdē rationis cum aliena, vndè nequit natura affecta propria personalitate affici aliena. Cæterum hæc solutio se ipsam refellit. Quare.

79 *Contra 1.*

Contra primo: magis repugnat, naturā terminari duplici personalitate eiusdē rationis, quam diversæ rationis; sed per te potest natura terminari duplici personalitate eiusdē rationis: ergo potiori iure poterit terminari duplici personalitate diversæ rationis. Probatur maior primo: magis repugnant duæ formæ eiusdē rationis in eodem subiecto, quam duæ formæ diversæ rationis, nisi habeant ex se specialem incompatibilitatē: ergo, &c. Antecedens est certum: quia magis repugnat, duas naturas humanas esse in eodē supposito, quā naturā humanā, & Divinā. Consequentia infertur.

Maior probatur 1.

80 *Secundo.*

Probatur secundo eadem maior: idem effectus per vos nequit produci à duplici causa eiusdem rationis; sed potest produci à duplici causa diversę rationis; producitur namquè à quadruplici causa, scilicèt, materiali, formali, finali, & efficiente: ergo, &c.

Tertio.

Tertio: idem corpus per vos nequit habere duplicem præsentiā eiusdem rationis, benè verò diversæ rationis, vt claret in corpore Christi in Cœlo, & in Hostia: ergo, &c.

81 *Contra 2.*

Contra secundo: ideò iuxtà hanc solutionē Divinæ personalitates possunt terminare eandem naturā, quia sunt eiusdem rationis in ratione terminandi: ergo duæ personalitates creatæ possunt eandē terminare naturam. Probatur consequentia: ideò iuxtà hanc solutionem Divinæ personalitates possunt terminare eandem naturā, quia sunt eiusdem rationis in ratione terminandi; sed personalites creatæ sunt eiusdem rationis in ratione terminandi: ergo, &c.

82 *Respondet Gonet dupliciter. Primo.*

Gonet ex Suario duplicem reddit disparitatē. Prima est: quod natnra personata propria, & aliena subsistentia, duplici simul existeret existentia; nam cuilibet subsistentiæ sua correspōnderet existentia, quia subsistentia est vltima dispositio, qua natura redditur capax existentiæ; implicat autē naturam simul existere duplici existentia; ast natura personata duplici personalitate Divina non haberet duplicē existentiā, sed vnā tātū increatā.

83 *Contra 1. Contra 2.*

Contra primo: nam falsum est, naturam creatā Christi Domini existere existentia Verbi, vt docet Scotus. Contra secundo: nam hoc admisso, non magis repugnat (supposito, quod natura creata possit existere existentia aliena) naturam creatā existere simul illa duplici existentia, quam personari simul duplici aliena personalitate; sed iuxtà solutionem datam natura creata nequit duplici simul existere existentia: ergo nequit personari simul duplici aliena personalitate. Minor, & consequentia tenent. Maior autem videtur certa; alioquin assignet rationem repugnantiæ.

84 *Contra 3.*

Contra tertio: si repugnantia esset illa duplex existentia, hæc esset ratio repugnantiæ, vt natura propria affecta personalitate non posset ab aliena creata personari; sed hæc non est talis ratio: ergo ratio repugnantiæ, vt natura personata propria personalitate personetur per alienam, non est, quod duplici simul existeret existentia: nulla ergo est solutio. Maior patet: nam ex hac duplici personalitate, duplex etiā sequeretur existentia ob rationem Gonet in allata solutione. Minor est certa; nam ratio à Thomis-

tis tradita, vt nequeat natura personari aliena personalitate creata, est limitatio, & finitas creatæ subsistentiæ; sed hæc etiam limitatio remaneret in creata personalitate, quando natura affecta esset personalitate propria: ergo vera est minor. Consequētia videtur legitima. Hæc replica est cōmunis omnibus ferè responionibus, quas Thomistæ tribuunt, & Iesuitæ.

85 *2. Respondet Gonet.* Secunda disparitas, quam ex Suario tribuit Gonet, est: quod subsistentia propria constituit naturā subsistentē per se, & in se; aliena verò in alio; & implicat naturam simul subsistere in se, & in alio, quia sunt duo modi, ita inter se oppositi, vt vnus saltim virtualitèr dicat negationem alterius; at plures modi essendi in alio non sunt ita oppositi. Hoc explicat exemplo accidentis: implicat enim idē accidens simul esse per se, & in alio, etsi nō implicet esse simul in pluribus subiectis.

86 *Contra 1.* Contra primo: ex responsione sequitur: posse naturam humanā personari duabus proprijs personalitatibus; quia istæ non dicunt inter se illam repugnantiam, quam dicunt propria, & aliena personalitas, vt claret ex ipsa solutione; sed hoc est falsum: ergo ruit solutio.

87 *Contra 2.* Contrà secundo: ideò repugnat, naturā existere per se, & in alio, quia modus existendi per se infert negationem existendi in alio; sed non minus modus, à quo habet natura existere in alio, infert negationē existendi in altero: ergo vel repugnat, naturam affici duabus alienis, vel non repugnat, affici propria, & aliena: ergo nulla est disparitas. Probatur minor: ideò modus, à quo habet natura existere per se, infert illam negationem, quia est simplicitèr incōmunicabilis; sed non minus est simplicitèr incommunicabilis modus, à quo habet natura existere in alio: ergo, &c.

88 *Prob. maior.* Maior patet; nam ideò prædictus modus infert negationē illam, quia tribuit naturæ incōmunicabilitatem simplicitèr, vel saltim in sensu composito; sed ideò tribuit, quia est sic incōmunicabilis; alioquin tribueret, quod non haberet: ergo ideò modus, à quo habet natura existere per se, infert illam negationē, quia est simplicitèr incommunicabilis. Minor claret primo: quia ille modus est personalitas, de cuius ratione est incomunicabilitas simpliciter. Secundo: nam alioquin esset assumptibilis, sicut natura, quod est falsum.

89 *Dices.* Dices esse disparitatem: nam personalitas propria tribuit naturæ tantam incomunicabilitatem, quantam ipsa habet; aliena vero solum tribuit incōmunicabilitatem connaturalem. *Contra 1.* Contra primo: quia hoc est voluntarium; nā ego etiam oppositum dicere valeo. *Secundo.* Secundo: quia non est ratio, cur de propria, & non de aliena, ita dicatur. *Tertio.* Tertio: nam aliena gerit vices propriæ: ergo cum ipsi non deficiat incommunicabilitas simpliciter, hanc debet naturæ tribuere, vt dicitur de Essentia Divina gerente vices speciei impressæ.

90 *Quartò.* Quarto: Paternitas Divina, quæ ex se est simplicitèr incōmunicabilis, tribueret naturæ Divinę incōmunicabilitatē simplicitèr, nisi ex infinita perfectione ipsius naturæ exigeret alijs communicari; sed in natura affecta aliena personalitate non est talis perfectio, exigens communicari alijs: ergo cum aliena sit simplicitèr incommunicabilis, hanc incommunicabilitatem debet tribuere.

91 *Quintò.* Quinto: tam prima, quàm aliena personalitas tribuunt suū effectum in genere causæ formalis, scilicèt, se ipsas cōmunicando: ergo cum in natura creata non sit specialis ratio, vti est in Divina, vtraque personalitas tribuit tantam incommunicabilitatem, quantā ipsæ ex se habent. *Sexto.* Sexto: non est vndè colligatur, personalitatem alienā non tribuere tantam incōmunicabilitatem, quantā tribuit propria, nisi quia ad hanc connaturalitèr sequitur negatio existēdi in alieno supposito; sed cum hoc stare potest, quod de potentia absoluta existat in alio: ergo attenta solutione natura personata propria personalitate, poterit aliena personari. Minor claret in penetratione duorum corporum in eodem loco, in existentia corporis Christi in Cœlo, & in Eucharistia, pluribusque alijs exemplis.

92 *Contra 3. adversus 2 responsionē.* Contra iam tertio adversus prædictā secundam disparitatem: esse per se, & esse in alio nō pugnant contradictoriè: ergo ruit solutio. Probatur

ante-

antecedens exemplo ab ipso Gonet tradito: si idem accidens esset simul in pluribus subiectis, posset esse per se, & in alio simul: ergo esse per se, & esse in alio non pugnant contradictoriè. Probatur antecedens: suppositio, quod esset in pariete, & in hostia, quæ postea consecraretur, tunc esset per se, & in alio simul: ergo, &c. *Vrgetur.* Vrgeo cum ipso exemplo: nō minus pugnant esse in alio exigentialitèr, & esse per se simul non exigentialitèr, ac esse per se exigentialitèr, & esse in alio simul nō exigentialitèr; sed esse in alio exigentialitèr, & esse per se non exigentialitèr possunt simul esse de potentia absoluta, vt constat in allato exemplo accidentis: ergo esse per se exigentialitèr, & esse in alio simul nō exigētialitèr poterunt esse simul de potentia Dei absoluta: ergo & personari simul propria, & aliena personalitate.

§. VII.

Solutiones Ill. Godoy examinantur, & reijciuntur.

93 *Respondet 1* ILl. God. *tom. 2. in 3. part. disp. 19. §. 3.* vbi ex professo hanc disputat quæstionem, duplicē etiam assignat disparitatē. Prima est: quod natura creata per propriā personalitatem adæquatur intensivè, & extensivè; per alienā verò intensivè tantū, cuius rationem assignat dicendo: quod natura constituit propriam personā; non verò alienam. Sic Ill. God. *cit. n. 31.* quam disparitatē sumpsit ex Caietano *quæst. 3. art. 6. ỳ. ad probationem minoris, cum dicitur,* quam defendit, etsi difficilē agnoscat.

94 *Contra.* Contra: natura non constituit propriam personam formalitèr, sed radicalitèr, vel originativè, quatenus radicat personalitatem, quæ constituit formalitèr personam; sed ex hac cōstitutione non sequitur, adæquari cum propria personalitate intensivè, & extēsivè: ergo ex eo, quod natura creata constituat propriā personam, non sequitur, quod intensivè, & extensivè adæquetur per propriā personalitatē. Consequentia liquet. Maior non potest ab Ill. God. negari; cum certum sit apud omnes Theologos, quod personalitas creata realitèr distinguitur à natura, vt docet fides in misterio Incarnationis; sed personalitas est forma constituens personam formalitèr: ergo natura non constituit propriam personam formalitèr, sed radicalitèr, vel originativè. Minor autē probatur: ex eo, quod natura creata constituat propriam personam radicalitèr, solū sequitur, vim radicativam naturalem adæquari cum propria personalitate; sed cum hoc stare potest, quod ratione potentiæ obedientialis terminetur per aliam, vt claret exemplis de duplici corpore in eodem loco, & de corpore Christi in pluribus: ergo ex eo, quod natura constituat personam, non sequitur, adæquari cum propria personalitate intensivè, & extensivè.

95 *Dices cum ipso.* Dices cum ipso *cit. num. 33.* falsam esse minorem; nam eo ipso, quod natura creata propriam personam constituat, radicando à se, & in se propriā personalitatem, non potest natura assumi, non assumpta personalitate, & consequentèr, quin persona propria assumatur, quod implicat. Quod autem sequatur, patet: natura namquè radicat personalitatem, vt modum in illa receptum: ergo non stat assumi naturam, non assumpta personalitate, & consequentèr persona constituta per illam, eo autem ipso, quod natura nequeat assumi, non assumpta personalitate propria, natura adæquatur cū illa intensivè, & extensivè, & consequentèr eo ipso, quod natura prædicto modo constituat propriam personam, sequitur intensiva, & extensiva adæquatio naturæ cum propria personalitate. Hæc est responsio, quam dedit ipse Ill. God. *in præsenti n. 82.*

96 *Reijcitur 1* Hæc tamen solutio reijcitur primo: stat propriam personalitatē esse modum intrinsicè afficientem naturam, & naturam assumi ab alieno supposito, non assumpta propria personalitate, nec persona constituta per ipsam, ergo ex eo, quod natura creata constituat propriam personam, radicando personalitatem in se, vt modum illam afficientem intrinsicè, non sequitur adæquatio intensiva, & extensiva cum propria personalitate. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens ostenditur: natura Divina constituit personā Patris radicando Paternitatem, vt modum, vel quasi modum, illā terminantem intrinsicè, & tamē natura Divina terminari potest per subsistentiam Filij, non terminata per illam Paterni-

tate: ergo paritèr: quamvis personalitas creata sit modus intrinsicè propriã naturam modificans, poterit natura assumi ab alieno supposito, & ab illo terminari, non assumpta, nec terminata ab illo personalitate propria. Hæc est replica, quam vocat argumentum difficile; ad ipsam tamen.

97 *Respondet.* Respondet *n.* 39. negando antecedens, & ad probationẽ concessis maiori, & minori, negat consequentiam. Ratio autẽ discriminis est: nam quod natura Divina communicetur Filio, & per Filiationẽ terminetur, nõ communicata Paternitate, nec terminata per Filiationẽ, provenit ex eo, quod Paternitas, & Filiatio opponuntur relativè inter se; nõ autẽ cũ Essentia Divina; & ideò Divina Essentia potest cũ vtraq; identificari, quin inter illas idẽtitas inferatur; personalitas autẽ creata est modus intrinsicè afficiens naturã, & aliàs nulli alteri opponitur relativè, atque adeò nõ potest natura creata alicui convenire personæ, aut per illã terminari, quin eidẽ personalitas propria conveniat, & ab illa terminetur.

98 Et quidẽ, non posse ex vno ad aliud efficax sumi argumẽtũ, probat (inquit Ill. God.) clarè: nã Paternitas non solũ intrinsicè terminat Divinã naturã, sed etiã identificatur cũ illa, quin ex hoc inferatur, quod, si Divina Essentia cõmunicatur Filio, debeat eidẽ communicari Paternitas, & tamẽ ferè omnes Theologi docent: quod si personalitas creata identificaretur cũ propria natura, non posset natura assumi, quin assumeretur personalitas, & persona creata: ergo ex eo, quod communicetur natura Divina, non communicata Paternitate, etsi illã intrinsicè terminet, malè infertur, posse assumi naturam creatam, non assumpta personalitate propria, illam intrinsicè terminante, & modificante intrinsicè.

99 Imo ex hoc efficax argumentũ pro illius doctrina desumit: nã si personalitas Patris non esset relativè oppositа Filio, non posset natura Patris Filio communicari, & per Filiationẽ terminari, non communicata Filio Paternitate, & per Filiationẽ terminata; sed personalitas propria naturæ creatæ nulli alteri opponitur relativè: ergo non stat communicari, vel assumi naturã creatã, non communicata, & assumpta illius propria personalitate. Hanc solutionẽ sumpsit Ill. God. etsi taceat, ex Durando, & Paludano.

100 *Contra 1.* Sed contra primo: quia non probat Ill. God. cur duæ personalitates absolutæ, aut vna absoluta, & altera relativa nequeant terminare eandẽ naturã, nulla personalitate terminata, & hoc possint facere duæ relativæ. Contra secundo: nã etsi concedatur, personalitatẽ absolutã excludere connaturaliter aliã personalitatẽ; non tamẽ hoc debet admitti de potentia absoluta, supposito, quod hoc possint facere plures relativæ: ergo ruit responsio. *Contra 2.*

101 *Contra 3.* Contra tertio: quod natura Divina, terminata Paternitate, terminetur etiã Filiatione, non terminata Paternitate, non provenit ex eo, quod Paternitas, & Filiatio opponantur relativè inter se: ergo ruit responsio. Probatur antecedens: si personalitates Divinæ essent absolutæ, vt tenuit Ioannes de Ripa, & non improbabilẽ sentit Scotus, adhuc natura Divina terminaretur his personalitatibus, nulla personalitate terminata: ergo, &c. Probatur antecedens: si personalitates Divinæ essent absolutæ, adhuc esset misterium Trinitatis, vt nunc est: ergo, &c. Probatur antecedens: nullus vcusque sententiã Ioannis de Ripa impugnavit argumẽto destructivo Trinitatis: ergo, &c.

102 *Reijcitur 2 suprà data esponsio.* Reijcitur secundo suprà data solutio Ill. God. licet personalitas Verbi non sit modus intrinsicè humanitatẽ informans, tamẽ vnio, qua humanitas vnitur Verbo, est modus intrinsicè illã afficiens, vt tenet ipse *disp.* 11. §. 1. sed potest humanitas de potentia absoluta, retenta vnione ad Verbũ, assumi, & vniri cum personalitate Patris, quin talis vnio assumatur: ergo similitèr: licèt personalitas propria sit modus intrinsicè humanitatem informans, poterit humanitas de potentia absoluta, retenta propria personalitate, assumi ab alia, quin propria assumatur.

103 *Respondet Ill. God.* Respondet Ill. Godoy *n.* 44. duplicitèr; sed non quiescit, ideòque *n.* 45. respondet negando consequentiam. Discrimen est: nam vnio humanitatis ad Verbum, licèt subiectivè non opponatur vnioni eiusdem humanitatis cum Patre, nec cum ipso Patre; opponitur tamẽ illis terminativè relativè, scilicèt, ratione termini ad quem ter-

minatur; nã cum vnio humanitatis ad Verbũ conueniat humanitati per respectum ad personalitatẽ Verbi, & hęc relativè opponatur personalitati Patris, ipsa etiã vnio terminativè opponitur Paternitati. Cęterum personalitas creata est modus intrinsicè afficiens naturã nec formaliter, nec terminativè oppositus relativè supposito extraneo. Hæc tamen responsio eadẽ est cum illa, quam dedit *n.* 39. & nos posuimus *n.* 97. vnde impugnata manet per dicta *n.* 100. & 101.

Responsio hæc impugnata manet.

104 *Reijcitur 3*

Reijcitur tertio solutio III. Godoy tradita *numer.* 95. præsentia localis, qua corpus Christi est præsens in Cœlo, est modus intrinsicè corpus afficiens; sed hoc non obstante, corpus Christi sit prẹsens in Sacramento, quin prædicta præsentia localis modificetur præsentia Sacramentali: ergo stat, propriã personalitatẽ esse modũ afficientem intrinsicè naturam, & naturam assumi ab alieno supposito, non assumpta propria personalitate: ruit ergo supra dicta solutio.

105 *Respondet Ill. Godoy.*

Respondet III. God. *n.* 46. concessis maiori, & minori, negando cõsequẽtiam. Ratio discriminis sumitur ex D. Thom. *in 3. dist. 5. quæst. 1. artic. 3. in corpore*, vbi docet: de ratione personæ esse, quod sit subsistens distinctũ omnia comprehendens, quæ in re sunt; natura autẽ solũ comprehendit prædicata essentialia. Ex quo infert, quod si aliquid est extra illud, quod cõprehendit persona, hoc non est vnitũ rei, nisi fortè secundũ similitudinẽ, vel in genere, vel in specie, vel in accidente. Cum autem persona omnia terminet mediatè, vel immediatè, quæ in se cõprehendit, sequitur, esse de ratione personæ terminare omnia, quæ re vera conveniunt naturæ; ac proinde nõ potest non terminare personalitatem propriam naturæ creatæ, si illam terminet propria personalitate retenta; cum hæc non secundum similitudinem, sed revera conveniat naturæ. Cæterum de ratione præsentiæ Sacramentalis huiusmodi conditio nõ est, quod, nempè, omnia rei conuenientia comprehendat, & omnia, præsentia Sacramentalitèr reddat. Vndè potest non modificare, nec præsentem reddere præsentiã localẽ, quamvis re vera corpori Christi conveniat, illaque modaliter intrinsicè afficiat.

106 *Contra 1.*

Contra primo: non minus præsentia Sacramentalis comprehendit omnia, quæ corpori conveniunt, vt modificabilia ab ipsa, quam aliena personalitas comprehendit omnia, quæ naturæ conveniunt, vt modificabilia, vel terminabilia ab ipsa: ergo solutio ruit. Contra secundo: ideo personalitas aliena comprehendit omnia, quæ naturæ re vera conveniunt, quia subsequitur ad omnia illa; sed non minus præsentia Sacramentalis subsequitur ad localem, quam aliena personalitas subsequitur ad propriã. ergo si hoc nõ obstante præsentia Sacramentalis non modificat localem; nec aliena personalitas terminabit propriam.

Contra 2.

Contra 3.

Contra tertio: ideo præsentia Sacramentalis, etsi subsequatur ad localem, non modificat localẽ, quia hæc est immodificabilis ab illa; sed etiam personalitas propria est ab alia immodificabilis: ergo etsi subsequatur ad propriã, hanc nõ modificabit, vel terminabit: ergo quod cõprehendat, vel non comprehendat, non est ad rem: ergo nec responsio III. Godoy.

107 *2. Responsio Ill. God.*

Secunda disparitas tradita ab ipso *num.* 48. est: quod personalitas propria non tantũ differt à quacumque alia, sivè creata, sivè Divina in ratione personalitatis, sed etiam in ratione subsistentiæ; quarè si natura affecta propria personalitate afficeretur simul aliena, afficeretur duplici subsistentia, quod implicat. At tres Divinæ personalitates non differunt in ratione subsistentię; quarè non implicat, naturam ab illis personari, quia non personatur ab illis, vt plura sunt, sed vt sunt vnum, quod habent ratione subsistentiæ absolutæ, quam non multiplicant. Hanc disparitatem sumpsit ex Durando, & Capreolo, eamque etiam tradit in præsenti *num.* 89. cui magis adhærere videtur.

108 *Reijcitur 1*

Reijcitur 2

Sed reijcitur primo: implicat iuxtà hanc solutionem, eamdem naturam affici pluribus subsistentijs: ergo & pluribus personalitatibus, quia eadem est ratio. Reijcitur secundo: quia iuxtà solutionem tres Divinæ personalitates non differunt in ratione subsistentiæ: ergo nec personalitas propria differt à quacumque alia in ratione subsistentiæ: ergo ruit solutio. Pro-

batur prima consequentia: Paternitas Divina est propria personalitas naturæ Divinæ, sed hæc, licèt propria, non differt ab alijs in ratione subsistentiæ per te: ergo nec personalitas propria differt à quacumque alia in ratione subsistentiæ.

109 *Reijcitur 3* Reijcitur tertio: non minus tres Divinæ personalitates differunt in ratione personalitatis, ac in ratione subsistentiæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non minus est verum dicere: quod sint tres subsistentiæ, quam quod sint tres personalitates: ergo, &c. Probatur antecedens: si non minus esset verum dicere, quod sint tres subsistentiæ, quam quod sint tres personalitates; ita verum esset dicere, quod natura humana Christi esset subsistens subsistentia Patris, ac subsistentia Filij; sed hoc est falsum: ergo, &c. Ex dictis impugnatæ manent responsiones adversariorum ad paritatem, qua contra ipsos ad hominem probavi nostram conclusionem *n.* 77. Nunc autem omnes datæ responsiones, & quæcumque aliæ à contrarijs imaginabiles, ratione hac generali impugnantur.

110 *Quæcũque responsio ad nostram paritatem impugnatur.* Quæcumque sit ratio inassumptibilitatis naturæ humanæ, propria personalitate retenta, est ratio inassumptibilitatis eiusdem naturæ, aliena personalitate retenta: ergo ruit quæcumque solutio. Probatur antecedens: si personalitas aliena ita perficeret, & compleret naturam, sicut personalitas propria, eadem esset ratio inassumptibilitatis; sed ita perficit, & complet naturam personalitas aliena, sicut propria: ergo, &c. Minor est Thomistarum, hac ratione negantium, in humanitate Christi esse appetitum innatum ad personalitatem propriã, vt videri est in Gonet *tom.* 4. *disput.* 9. *artic.* 6. & in Ioanne à Sancto Thoma *de Incarnatione*, *disput.* 7. *artic.* 2. Maior verò probatur: si aliena forma ita perficeret, & compleret materiam primam, ac forma propria, eadem esset ratio implicantiæ informabilitatis ab alia, retenta propria, ac retenta aliena, si cum propria non esset informabilis ab alia: ergo, &c. Antecedens claret. Consequentia paritate est certa.

§. VIII.

Solvitur argumentum Ill. Godoy.

111 *Arguit Ill. Godoy.* ILl. Godoy *n.* 29. arguit contra nostram conclusionem ratione D. Thomæ in præsenti *artic.* 6. ad hanc formam reddacta. Quod enim contradictionẽ non implicat, Omnipotentiæ Dei negandum non est; sed naturam creatam immediatè terminari à tribus Divinis personis contradictionem non implicat: ergo negandum non est Omnipotentiæ Divinæ Maior cum consequentia tenet. Minor autem probatur: non enim repugnat ex parte personarum terminantium, nec ex parte naturæ terminabilis: ergo ex nullo capite repugnat, vel implicationem importat. Antecedens pro prima parte patet: nam personæ Divinæ non se excludunt à convenientia in eadẽ natura, cum omnes simul terminent naturam Divinam: ergo ex parte personarũ terminantium non implicat, omnes simul terminarè eandẽ naturã creatam. Pro secunda parte etiã probatur: natura enim creata est terminabilis à personis Divinis ratione potẽtiæ obedientialis; sed ex hac potentia nulla implicatio, vel repugnantia desumitur, nisi ex parte termini, vel effectus aliqua repugnantia, vel implicatio intercedat: ergo ex parte naturę creatæ non repugnat simultanea terminatio à tribus personis Divinis.

112 *Confirm.* Quod amplius vrgetur, & explicatur ab eadem *n* 30. nam tres personalitates Divinæ simul terminant naturam Dei: ergo possunt simul terminare eandem numero naturam creatam. Probatur consequentia primo: nam quod personalitas Divina possit secundario extendi ad terminandam naturam creatam, illi convenit, quia per se primo terminat naturam Divinam, in qua omnis natura creata eminentèr continetur: ergo si omnes personalitates Divinę simul in natura Dei primo terminanda conveniunt, possunt etiam simul in natura creata secundario terminanda adunari. Secundo probatur à paritate rationis: si nãque natura Divina tribus subsistentijs subsistit, in hoc, quod est vnam, & eandem naturam simul tribus subsistentijs terminari, nulla involuitur implicatio, ac proindè non implicabit, na-

turam

turā creatā tribus Divinis subsistentijs subsistere,& simul per illas terminari.

113 *Respondeo ad argum.* Respondeo ad argumentum negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens pro vtraque parte,& ad probationē primæ partis distinguo antecedens: personæ Divinæ se non excludunt à convenientia in eadem natura, habente triplicem communicabilitatem concedo antecedens; habente vnicam communicabilitatē nego antecedens,& consequentiā. Solutio claret ex dictis *n.* 8. Ad probationē secundæ partis distinguo maiorē: natura creata est terminabilis à personis Divinis ratione potentiæ obedientialis, seorsim,& successivè concedo maiorem; simul nego maiorē; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam, quia sequitur contradictio, quam ex Scoto assignavi *num.* 17.

114 *Ad cōfirm. respondeo 1.* Et consequentèr ad hæc respondeo ad confirmationem negando consequentiā, & ad vtramque eius probationē nego etiam consequentias. Discrimen est: quia natura Divina habet triplicem communicabilitatē; natura verò creata vnicam tantū habet communicabilitatem ex dictis *n.* 8. Hanc solutionem non vidit Ill. God. estque validissima, ipsique adhæreo.

115 *Retorquetur argum. & confirm.* Deindè retorqueo argumentum,& confirmationem: natura Divina subsistit in tribus personis in omnimoda identitate cum illis: ergo nulla est implicantia in hoc, quod eadem natura subsistat in tribus personis in omnimoda identitate cum illis: ergo potest natura creata subsistere in tribus personis in omnimoda identitate cum illis, quod est falsum. Respondeat Ill. Godoy,& pro nobis respondebit.

116 *Respondeo 2 ad confirm.* Sed licèt solutione data, sine alterius indigentia, soluta maneat confirmatio Ill. Godoy; quia tamen sunt aliæ disparitates, quas hic Doctor adducit, & reijcit, eas pro solutione adducamus,& quod contra ipsas adducit, solvamus. Vndè respondeo secundo ad confirmationem negando consequentiam, & aliam assignando disparitatem inter naturam Divinam, & creatam. Divina enim natura est infinita, & ideò est in tribus personis; natura verò creata est finita, ideòque ipsi repugnat esse simul in pluribus suppositis, vt dixi *num.* 64.

Hanc solutionem reijcit Ill. Godoy *n.* 33 nam licèt esse in pluribus personis connaturalitèr ab intrinsico, ex infinitate naturæ,& illius summa fecunditate proveniat; esse tamen in pluribus personis per potentiam obedientialem, & ab extrinsico, infinitatem non arguit; sed non primo, sed secundo modo, constituitur natura creata simul terminabilis à tribus Divinis personis, potensque per illas subsistere: ergo limitatio non obstat, vt possit eadem natura creata simul terminari tribus subsistentijs Divinis, illisque hypostaticè vniri. Minor cū consequentia tenet. Maior autem probatur: terminabilitas connaturalis ab vna personalitate infinita non potest competere naturæ, quæ infinita non sit; & tamen posse obedientialitèr terminari per illam, infinitatem in natura non arguit, sed de facto convenit naturæ limitatæ,& finitæ, nempe, humanitati Christi, de facto terminatæ per subsistentiam Verbi, quæ infinita est: ergo paritèr.

117 *Hanc solutionē reijcit Ill. God.*

118 *Explicatur ab ipso.* Quod amplius explicat, & confirmat in hunc modum: si Deus non esset trinus, sed vnus, vt illum meditantur Gentiles, ita infinitus esset in ratione personæ, sicut sunt modo omnes personæ Divinæ; & tamen tunc casus posset natura limitata, & finita cum Deo hypostaticè vniri, & terminari ab illius personalitate absoluta, non quidem connaturalitèr, sed ratione potentiæ obedientialis: ergo paritèr: nō obstante finitudine naturæ creatæ, poterit simul hypostaticè vniri tribus Divinis personis,& terminari ab illis.

119 *Respondeo 1.* Respondeo primo negando suppositum: supponit enim, quod natura creata habeat potentiam obedientialem ad esse simul in pluribus personis, quod esse falsum, constat ex dictis *numer.* 68. & 69. Respondeo secundo negando maiorem, ad cuius probationem nego paritatem; nam personari ab vna personalitate non arguit infinitatem: benè verò à pluribus, & hoc adhuc si per potentiam obedientialem esset in illis, vt claret ex dictis *n.* 70. ex quo soluta manet confirmatio.

Secundo.

120 *Tertio, & retorqueo.* Respondeo tertio retorquendo argumentum: licèt esse in pluribus personis in omnimoda identitate cum illis connaturalitèr, & ab intrinsico

proveniat ex infinitate naturæ; esse tamen in illis hoc modo per potentiã obedientialem, & ab extrinsico non arguit infinitatem: ergo poterit natura creata esse per potentiam obedientialem in pluribus suppositis in omnimoda identitate cum illis, quod est ita falsum, vt nullus hucusque Theologorum id concesserit.

121 *Quarto, & retorqueo.*

Respondeo quarto alitèr retorquendo: licèt esse Omnipotentẽ, Immensum, Æternum, &c. connaturalitèr, & ab intrinsico, proveniat ex infinitate naturæ; esse tamen Omnipotentẽ, Immensum, Æternũ per potentiam obedientialem, & ab extrinsico, non arguit infinitatem: ergo poterit creatura esse Omnipotens, Immensa, & Æterna per potentiam obedientialem, quin sit infinita. Solvat Ill. Godoy. Retorqueo deniquè ad hominem contra ipsum: corpus esse in pluribus locis circunscriptivè per potentiam obedientialem, & ab extrinsico infinitatem arguit iuxtà Ill. Godoy: ergo esse in pluribus personis per potentiam obedientialem, & ab extrinsico infinitatem debet arguere.

Quinto, & ad hominem contra Ill. Godoy retorqueo.

122 *Respondeo 3 ad confirm.*

Respondeo tertio ad confirmationem negando consequentiam ob aliam disparitatem inter naturam Divinam, & creatam. Divina enim natura non subsistit per Divinas personalitates, quia pro priori ad ipsas est subsistens. Ast natura creata subsisteret per Divinas personalitates; ideòque idem effectus quoad substantiam, & modum tribueretur à tribus ex dictis *num.* 7. quod implicat ex dictis *num.* 17. & 18.

123 *Respondet 1 Ill. Godoy.*

Contra hanc solutionem, cui magis fideret Ill. Godoy, si nostram sententiam defenderet, vt ipse fatetur *num.* 37. insurgit primo *num. cit.* Nam licèt natura Divina non dependeat à subsistentijs relativis dependentia stricta, & à priori, dependet tamen ab illis dependentia largè accepta, quæ dicitur dependentia à posteriori, quatenùs sine illis, vt ad ipsam virtualitèr consecutis, nequit existere: ergo etiam poterit natura creata dependere simul à tribus subsistentijs Divinis dependentia stricta, & à priori. Respondet secundo: nam licèt natura Divina per subsistentias relativas non subsistat primo, & per se, sed hoc habeat ratione subsistentiæ absolutæ; per illas tamen subsistit in Divinis personis, per illasque terminatur, & personatur; & hoc non obstante, simul tribus subsistentijs subsistit: ergo paritèr, quamvis natura creata ab illis subsistentiam accipiat, poterit simul terminari tribus subsistentijs relativis, & subsistere per illas in tribus Divinis personis.

Secundo.

124 *Tertio.*

Deniquè: nam licèt vna numero natura creata simul terminetur tribus subsistentijs Divinis, non datur vnus specie, & numero effectus, vel quasi effectus, simul dependens à pluribus causis adæquatis, & totalibus eiusdem generis, & ordinis; sed ob hanc rationem potest natura Divina simul esse in tribus personis, & illorũ subsistentijs terminari ab intrinsico, & connaturalitèr, vt constat ex doctrina traditæ solutionis: ergo ob eandem poterit natura creata simul existere in tribus personis Divinis, & tribus subsistentijs relativis terminari, non ab intrinsico, & connaturalitèr, sed obedientialitèr, & ab extrinsico.

125 *Respondeo ad 1. & 2.*

Respondeo ad primum ommisso antecedenti, negando consequentiã ob datam disparitatem. Ad secundum respondeo distinguendo maiorẽ: licèt natura Divina per subsistentias relativas non subsistat primo, & per se, per illas tamen subsistit personata in Divinis personis concedo maiorem; subsistit absolutè nego maiorem, & minorem; quia natura Divina pro priori ad personalitates est subsistens.

Instabis pro Ill. God.

Instabis pro Ill. God. ergo natura Divina personatur triplici personalitate: ergo poterit natura creata sic personari. Respondeo negando hanc secundam consequentiam; quia naturam Divinam personari triplici personalitate, est habere triplicem quasi effectum saltim numero distinctum, quod non est contradictio. At naturam creatam personari triplici personalitate, vltra triplicem effectum numero distinctum, haberet etiam ab illis eundem numero effectum subsistentiæ ex dictis *num.* 7. quod repugnat. Hac solutione soluta manet tertia replica Ill. Godoy;

falsa itaque est maior,

vt constat.

Respondeo.

Respondeo ad 3.

***

§. IX.

§. IX.

Solvuntur argumenta Iesuitarum.

126 LIcèt Ill. Godoy aliud contra Scotũ, & nostram sententiã non adducat, alia adducere necessariũ est, vt ex omni capite Scotica veritas appareat; vndè, intento adimpleto, ad alia argumenta solvenda progredimur, quod non est contra intentum, sed supra illud progredi. Ex argumẽtis autem, quæ solvenda veniunt, à Patribus Societatis, qui ab Scoto in hac disputatione discesserunt, incipimus.

127 *Arguitur 2. ex Suario.* Arguitur secundo ex Suario: personalitas Verbi non tollit potentiam obedientialem, quam natura assumpta habet ad personalitatẽ Patris: ergo possunt simul esse in eadem natura.

Respondeo. Respondeo distinguendo maiorem: personalitas Verbi non tollit potentiam obedientialem, quam natura assumpta habet successivè ad personalitatẽ Patris concedo antecedens; quam habet simul nego suppositum, vt negavi *num.* 119. Vndè etsi natura creata habeat simultatem potentiæ ad plures personalitates; non tamen habet potentiam simultatis.

128 *Dices.* Dices: natura creata habet potentiã obedientialẽ ad plures simul personalitates: ergo habet potentiam simultatis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: personalitates Divinæ non sunt invicem incomposibiles; nam simul reperiuntur in Divina natura: ergo, &c.

Respondeo. Respondeo ad replicã negando antecedens, ad cuius probationem distinguo antecedens: personalitates Divinæ non sunt invicem incomposibiles in natura habẽte potentiam simultatis concedo antecedens; in natura habente solum simultatem potentiæ nego antecedens, & ad probationem imbibitam nego paritatem ob triplicem disparitatem assignatam *num.* 114. 116. & 122.

129 *Arguitur 3. ex Amico.* Arguitur tertio ex Amico: ideò per nos non potest natura creata terminari simul tribus Divinis personalitatibus, quia totalitèr penderet, & non penderet ab illis; sed hæc ratio est nulla: ergo potest natura creata terminari simul tribus Divinis personalitatibus. Probatur minor: quotiescumque totalis concursus est minorabilis, potest in partiales dividi, & multiplicari, donec omnes partiales adæquent vnum totalem; sed totalis concursus hypostaticus, quo natura assumpta à Verbo dependet, est minorabilis: ergo potest in partiales dividi, & multiplicari: ergo nulla est ratio prædicta.

Respondeo. Respondeo negando vtramque minorẽ. Primo: quia concursus hypostaticus est in genere causæ formalis, licèt extrinsicæ, & terminativæ, qui nec minorabilis, nec dimidiabilis est, vt claret ex dictis *à n.* 31. *vsque ad* 37. Secundo: quia sicut natura se totam Verbo per vnionem communicat; ita Verbum totam illam cõmunicationẽ terminat, & totalitèr terminat.

130 *Arguitur 4. ex alijs* Arguitur quarto ex alijs: si aliqua esset ratio implicantiç, ea foret, quod, quia persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia, persona reddit naturã incõmunicabilem, saltim in sensu composito; sed hæc ratio est nulla: ergo nulla est ratio implicantiæ. Probatur minor: vel illa est diffinitio personæ creatæ, vel personæ Divinæ, vel personæ vt sic? Si primum: ergo etsi repugnet personatam naturã personalitate creata, personari alia personalitate; non tamen repugnabit, quod natura personata personalitate Divina, alia Divina personetur. Si secundum: hoc est falsum; quia Divina natura tribus communicatur. Si tertium: etiã est falsum; quia convenire debebat personæ Divinæ: ergo nulla est ratio prædicta.

131 *Respondeo* Ad argumentum respondeo negando minorem, ad probationẽ dico: illam diffinitionẽ convenire personæ vt sic, & consequentèr personæ Divinæ, & creatæ. Ad impugnationẽ de Divina distinguo: Divina natura tribus communicatur, sub triplici modo cõmunicabilitatis concedo; sub vno modo communicabilitatis nego. Vndè quælibet Divina personalitas reddit naturã Divinã suo modo incommunicabilem. Solutio claret ex dictis *num.* 8. & retorqueo *ex num.* 40.

132 *Arguitur 5* Arguitur quinto ex alijs: in hoc misterio tota ratio facti est voluntas facientis, & potentia iuxtà D. Augustinum; sed postquam humanitas est assumpta à Verbo, manet eadem potentia in Deo, & eadẽ potentia obedientialis in humanitate; ergo potest

etiam

etiam illa humanitas terminari à Patre, & Spiritu Sancto. Respondeo negando suppositum consequentis; quia supponit, quod humanitas habet potentiã obedientialem, vt à tribus simul assumatur, quod est falsum, quia solum habet potentiã obediẽtialem, vt assumatur ab vna, quæcũque illa sit, & ab omnibus divisim, & successivè

Respondeo.

133 *Arguitur 6*

Arguitur sexto ex alijs: in singulis personis est eadẽ vis terminandi: ergo non est ratio, cur vna persona assumens obstet, vt alia assumere possit: ergo possunt omnes simul assumere. Respondeo negando secundam consequentiã; quia licèt repugnantia non stet ex parte personalitatis, stat tamen ex parte naturæ creatæ. Primo: quia penderet totalitèr, & totalitèr non penderet à qualibet, vt claret ex nostra probatione *num.* 17 Secundo: quia evaderet infinita ex alia probatione *num* 64.

Respondeo.

§. X.

Solvuntur argumenta à paritate.

134 *Arguit 7.*

ARguitur septimo: idem corpus potest adæquatè circunscribi à duplici loco, & duo corpora replere adæquatè eundem locu: ergo poterit natura terminari duplici personalitate. Respondeo negando consequentiã. Disparitas est: nam tàm corpus à loco, quàm locus à corpore dependet accidentalitèr; at natura dependet à subsistentia dependentia per se ordinata ad faciendũ vnum per se subsistens; vel dependet ab illa dependentia essentiali subsistentati ad subsistentans, quatenùs ex sua intrinsica ratione petit subsistere in se; vel in alio, vt dixi *num.* 17.

Respondeo.

135

Hinc fit primo: quod corpus possit habere duplicem præsentiã, seu duo *vbi* ad duplicẽ locũ, & idẽ locus duo *vbi* passiva ad duplex corpus. Ratio est: nam ex Scoto idem fundamentũ potest habere plures relationes, & idẽ terminus terminare plures relationes. Vndè nulla sequitur contradictio ex eo, quod idem corpus sit in duplici loco, nec ex eo, quod idem locus repletur duplici corpore, quia in hoc casu in corpore sunt duo *vbi* activa, quorum quodlibet dependet totalitèr à suo loco; & in loco sunt duo *vbi* passiva, quorum quodlibet totalitèr terminat suam activã replicationem.

136

Fit secundo: quod corpus potest esse sine omni loco, & locus sine omni corpore. Cuius præcisa ratio est: quia est tantum dependentia accidentalis, de cuius ratione est, quod nec tollat multiplicitatẽ, nec destructionem, vt claret in homine habente multiplicationẽ accidentiũ, sine quibus potest esse de potentia Dei absoluta. Cæterum cũ natura dependeat à personalitate depẽdentia per se, vel essentiali modo explicato, nec potest habere plures personalitates, nec esse sine omni; quia talis dependentia tollit multiplicitatẽ, & destructionẽ, ad differentiã dependentiæ accidentalis.

137 *Dices.*

Dices contra solutionem: si corpus adæquatè circunscriberetur à duplici loco (idem dico de loco repleto duplici corpore) ab vno, & non ab eodem, adæquatè circunscriberetur: ergo eadem contradictio, quæ sequitur ex eo, quod natura terminetur duplici personalitate, sequitur ex eo, quod idem corpus circunscribatur à duplici loco: ergo tenet paritas, & solutio ad illã ruit. Hæc consequentia infertur ex prima. Prima autem ex antecedenti. Antecedens verò probatur eo modo, quo nos probavimus *num* 17. naturam dependere totalitèr, & totalitèr non dependere à qualibet personalitate, si à pluribus personaretur.

138 *Respondeo.*

Respondeo negando antecedens, & ad probationẽ nego paritatem; quia in natura ob dependentiã essentialem à personalitate repugnat duplex personatio ex dictis *num. antecedenti*. At in corpore ob dependentiã accidentalẽ à loco non repugnat duplex *vbi*, quorum quodlibet dependeat totalitèr à suo loco, ex quo nulla sequitur contradictio, vt dixi *num.* 135. quia tunc esset duplex affirmatio.

139 *Dices.*

Dices adhuc: ex hac duplici affirmatione sequitur affirmatio, & negatio eiusdem de eodẽ: ergo contradictio. Probatur antecedens: ex duplici terminatione naturæ sequitur affirmatio, & negatio eiusdẽ de eodem: ergo, &c. Probatur consequentia: ideo ex duplici terminatione naturæ sequitur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, quia personalitas est terminus totalis, & adæquatus naturæ; sed etiam locus est totalis, & adæ-

quata

quata corporis circunscriptio : ergo, &c. Respondeo distinguendo maiorem : ideò ex duplici terminatione naturæ sequitur affirmatio, & negatio, quia personalitas est terminus totalis, in linea substantiali concedo maiorem ; in linea accidentali nego suppositum: distinguo similitèr minorem, & nego consequentiam.

Respondeo.

140 *Replicabis*

Replicabis : dependentia accidentalis non impedit contradictionē: ergo solutio ruit. Probatur antecedens: repugnat, quod idē effectus accidentalis producatur à duplici causa ; sed effectus accidentalitèr depēdet à causa accidentali : ergo, &c. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem nego minorē; quia omnis effectus, etsi accidentalis, eo præcisè, quia effectus, dependet essentialitèr à causa, etsi accidentali.

Respondeo.

141 *Instabis.*

Instabis : ita dependet corpus à loco quoad circunscribi, ac natura à personalitate quoad personari : ergo eodē modo discurrendū est de vtroque. Respondeo negando antecedens ob dicta *num.* 136. Item: natura specificativè sumpta dependet dependentia per se substantiali à personalitate, quia est vltimū illius substātiale complementum ; corpus verò specificativè sumptum dependet accidentalitèr à loco, vt omnibus claret. Si autem fiat reduplicatio suprà hoc, quod est circunscribi, hoc est dicere, quod corpus nequit circunscribi sine loco, ex quo nunquam infertur, quod corpus dependeat essentialitèr à loco ; alioquin nulla esset dependentia accidentalis, vt claret discurrendo per omnes. Vndè semper stat magna disparitas intèr dependentiam corporis à loco, & dependentiā naturæ à personalitate.

Respondeo.

142 *Arguitur 8.*

Arguitur octavo: vna persona Divina iuxtà Scotū potest assumere plures naturas : ergo poterit vna natura plures habere personalitates. Respondeo negando consequentiam. Disparitas est : nā vnā personā Divinam assumere plures naturas, est vnā causam habere plures effectus, quod non repugnat; at vnam naturā habere plures personalitates, est vnum effectum dependere à pluribus causis totalibus, quod implicat.

Respondeo.

143 *Dices.*

Dices : ideò iuxtà Scotum vna persona potest assumere plures naturas, quia idem terminus potest terminare plures relationes ; sed etiā iuxtà Scotum idem fundamentū potest habere plures relationes: ergo potest vna natura habere plures. Consequentia claret ; nam naturā habere plures personas, est, naturam fundare plures vniones ad diversas personas ; sed vnio est relatio: ergo vna natura potest habere plures personas. Respondeo concessa maiori explicando maiorē : sed etiam iuxtà Scotum idem fundamentum potest habere plures relationes, dicentes ordinē essentialem, seu dependentiā essentialem fundamenti ad terminū nego minorem ; non dicentes talem ordinē, vel dependentiam concedo minorē, & nego consequentiam; quia vnio naturæ ad suppositum est relatio dicens ordinē essentialem ipsius naturæ, vt substentificatæ ad suppositum, vt substentificans, vt diximus *num.* 17. Solutio est Scoti *in 3. dist. 1. quæst 2. §. ad quæstionem.*

Respondeo.

144 *Arguit. 9.*

Arguitur nono : idem effectus potest procedere à duplici causa totali: ergo eadem personatio à duplici persona. Probatur antecedens : negatio peccati in iustificatione mediāte gratia, vt quatuor, provenit totalitèr à qualibet parte gratiæ : ergo idem effectus potest procedere à duplici causa totali. Probatur antecedens: quælibet pars gratiæ est incompossibilis cū peccato: ergo, &c. Respondeo negando vltimā consequentiam ; quia licèt quelibet pars gratię sit incompossibilis cum peccato, negatio peccati non provenit à singulis eius partibus, sed à tota gratia, quia ratione illius decrevit Deus de facto auferre peccatū.

Respondeo

145 *Dices.*

Dices: si Deus daret gratiā, vt vnum, tolleret peccatum : ergo per quamlibet partem gratiæ tollitur peccatum. Respondeo distinguēdo consequens: per quamlibet partem gratiæ separatim concedo consequentiā; simul cum alijs nego consequentiā; quia quando Deus infundit plures gradus gratiæ, propter illos simul sumptos decrevit Deus condonare peccatum, licèt quilibet seorsim sit sufficiens. Ex quo respondeo alitèr ad argumentum distinguendo antecedens: idem effectus potest procedere à duplici causa totali in actu primo, seu quoad sufficientiā concedo antecedens; in actu secundo,

Respondeo.

Alitèr respondeo ad argum.

seu quoad efficatiã nego antecedens, distinguo similtèr probationem, & consequens replicæ, ex quo nihil cõtra nos, quia personalitates non se habent, sicut gradus gratiæ, quarè, si naturã personarent, in actu secundo, & quoad efficatiam personarent.

146 *Arguitur 10.* Arguitur decimo: duæ causæ instrumentales morales possunt producere eundẽ numero effectum, vt claret in casu, quo duo Sacerdotes consecrarent simul eandem Hostiam: ergo paritèr. Aliqui Scotistæ hoc concedunt de causis instrumẽtalibus moralibus, quia non agunt propria virtute. Alij negant asserendo: esse causas partiales; quælibet solutio est sufficiens, sed magis adhæreo secundæ ex dictis in Physica. Istæ itaquè sunt paritates, quæ possunt contra nos adduci, ex quibus, prima excepta, omnes probant, si aliquid probant, naturalitèr posse naturam personari pluribus personalitatibus, quod nec ipsi concedere audent. Nullæ ergo paritates.

Respondeo.

§. XI.

Solvuntur specialia argumenta.

147 *Specialitèr arguitur 1.* SOluto argumento Ill. Godoy, solutisque argumentis Patrum Societatis, & argumentis à paritate solutis; nunc specialitèr arguitur primo: personæ Divinæ non impediunt vnitatẽ cuiuscumque absoluti; sed natura creata est quid absolutum: ergo per hoc, quod assumatur ab vna persona, non impedit, quod possit assumi ab alia. Probatur maior: personæ Divinæ distinguntur per oppositas relationes: ergo personæ Divinæ non impediunt vnitatẽ cuiuscumque absoluti. Probatur consequentia: distinctio aliquorum per oppositas relationes magis videtur impedire vnitatẽ relationis in sic distinctis, quã vnitatẽ cuiuscumque absoluti; sed licèt personæ Divinæ distinguantur per oppositas relationes, non impediunt vnitatem relationis: ergo, &c. Minor est certa; quia quod Pater, & Filius distinguantur per oppositas relationes, non impedit vnitatem relationis, scilicèt, spirationis activæ in vtroque.

148 *Respondeo 1.* Respondeo primo distinguendo maiorem: personæ Divinæ sub conceptu relationis non impediunt vnitatem cuiuscumque absoluti concedo maiorẽ; sub conceptu subsistentiæ nego maiorem, concedo minorem, & nego consequentiam; quia si natura creata assumeretur à Divinis personis, assumeretur ab illis sub conceptu subsistentiæ, ex quo sequitur contradictio assignata *num.* 17.

Respond. 2. Respondeo secundo alitèr distinguendo maiorẽ: personæ Divinæ sub conceptu relationis non impediunt vnitatem cuiuscumque absoluti concedo maiorẽ sub conceptu personalitatis subdistinguo: no impediunt vnitatẽ cuiuscumque absoluti, habentis triplicem cõmunicabilitatem, vel absoluti infiniti concedo maiorẽ; finiti, vel habentis vnicam communicabilitatem nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam. Claret solutio ex *num.* 113.

149 *Arguit. 2.* Arguitur secnndo: natura humana, in esse naturæ, essentialitèr intrinsicè non dependet à subsistentia: ergo dependet extrinsicè ab illa. Probatur consequentia: ideò dependentia coloris est extrinsica parieti, quia paries, in esse parietis, essentialitèr à colore non dependet; sed per te natura humana, in esse naturæ, essentialitèr intrinsicè non dependet à subsistentia: ergo dependet ab illa extrinsicè. Atqui dependentia extrinsica potest à Deo augeri, & minui, vt constat de dependentia corporis à loco: ergo potest habere plures subsistentias.

150 *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: natura humana, in esse naturæ, essentialitèr intrinsicè non dependet à subsistentia, dependentia causati ad causam concedo antecedens; dependentia sustentati ad sustentans, vel dependẽtia ordinata ad faciendũ vnum per se nego antecedens; & distinguo consequens: ergo dependet extrinsicè ab illa, per oppositionẽ dependentiæ causati ad causam concedo consequentiã; sustentati ad sustentans, vel ordinatæ ad faciendum vnum per se nego consequentiã. Distinguo è contra probationem, ex quo facile distinguitur sumpta. Solutio claret ex dictis *à num.* 134. *vsque ad* 141.

151 *Arguit. 3.* Arguitur tertio: stat, naturam esse determinatã ad certam personalitem qnoad intensionem, & non quoad extensionem: ergo stat, naturã esse personatã adæquatè intensivè per vnam

per-

personalitatem, quin sit per illã adæquatè extensivè personatam. Probatur antecedens: stat, formã naturalem esse determinatam ad certam quantitatem quoad intensionẽ, & non quoad extensionem: ergo similitèr. Antecedens est certum; alioquin non viventia haberent terminũ intrinsicum magnitudinis, & parvitatis, cuius oppositũ habet Scotus *in 2. dist. 2. quæst 9.* & cum ipso docui *lib. 6.* Physicorum.

Respondeo. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationẽ nego cõsequentiam. Disparitas est: nam forma naturalis dependet accidentalitèr à quantitate; natura verò dependet à personalitate dependentia essentiali iam explicata, & totiès repetita. Solutio patet ex dictis *à num. 134. vsque ad 141.* & retorqueri potest per dicta *à n. 40. vsque ad 62.* vbi impugnavi solutionẽ Ill. Godoy ad nostrã probationem.

152 *Arguit. 4.* Arguitur quarto: stat, naturam affecta vna mensura mensurari alia: ergo similitèr, stat, naturã personatam vna personalitate personari alia. Antecedens claret in homine, & in Angelo, qui affectis mensuris, scilicèt, tempore, & ævo, mensurantur æternitate, illi enim coexistunt. Consequentia paritate infertur. Respondeo primo negando consequentiã. Disparitas est: nam rem mensurari duplici mensura, est idem fundamentum habere plures relationes, quod est possibile; at duplici subsistere subsistentia est idem, ac adæquatè dependere à pluribus, vt dixi *num. 143.* quod repugnat. *Respond. 1.* Respondeo secundo: argumentum probare de facto, vt ex ipso claret. *Secundo.* Respondeo tertio retorquendo argumentum: natura retenta propria mensura mensuratur aliena: ergo natura retenta propria personalitate personatur aliena, quo ita falsum est, vt absolutè repugnet adhuc in opinione adversariorũ, & Ill. Godoy. *Tertio, & est retorsio.*

153 *Arguit. 5.* Arguitur quinto: personalitates Divinæ possunt partialitèr terminare eandem numero naturam creatã: ergo eadem numero natura creata potest terminari triplici Divina personalitate. *Antecedẽs probatur 1* Antecedens probatur primo: de facto personalitas Verbi non terminat naturam creatam, quantum potest terminare: ergo, &c. Antecedens patet: nã personalitas Vebi potest terminare naturam infinitã. Consequentia videtur certa. *Secundo.* Probatur secundo idem antecedens: personalitates Divinæ terminant in genere causæ formalis extrinsicæ; sed causæ formales extrinsicæ possunt partialitèr terminare: ergo, &c. Probatur minor: idẽ actus amoris erga Deum productus ob duplex motivum, scilicèt, infinitæ Sapientiæ, & Omnipotentiæ, terminatur ad Sapientiam, & Omnipotentiam partialitèr: ergo causæ formales extrinsicæ possunt partialitèr terminare. Antecedens claret: nam actus terminatur ad obiectum motivum intrinsicũ; sed hæc terminatio est in genere causæ formalis extrinsicæ: ergo idem actus amoris erga Deum productus ob duplex motivum terminatur partialitèr.

154 *Respondeo ad argum. & ad 1. probat. anteced.* Respondeo ad argumentum negando antecedens, ad primam probationem distinguo antecedens: de facto personalitas Verbi non terminat naturam creatã, quantum potest terminare sub conceptu talis personalitatis concedo antecedens; sub conceptu personalitatis tantum nego antecedens, & consequentiam.

155 *Dices.* Dices: de facto personalitas Verbi non terminat naturã creatam, quantum potest terminare sub conceptu personalitatis tantum: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: personalitas Verbi ita de facto terminat naturã creatam, vt in ipsa relinquat aptitudinem ad personari saltim successivè per propriã personalitatem, & capacitatem ad personari per aliam Divinam: ergo, &c. Probatur consequentia: ideò personalitas Verbi de facto terminat naturam Divinã, quantum potest terminare, quia tollit ab ipsa aptitudinẽ, & capacitatem ad personari simul, & successivè per aliam; sed per nos personalitas Verbi ita de facto terminat naturam creatã, vt in ipsa relinquat aptitudinem, ad personari saltim successivè per propriã personalitatem, & capacitatem ad personari per aliam Divinam: ergo, &c.

156 *Respondeo.* Respondeo distinguẽdo maiorem: ideò personalitas Verbi de facto terminat naturam Divinã, quantum potest terminare, quia sub conceptu talis personalitatis tollit ab ipsa aptitudinem, & capacitatẽ ad personari si-

mul,

mul, & succesivè per aliam concedo maiorem; sub conceptu personalitatis tantum nego suppositū; nam de ratione personalitatis tantū est tribuere incommunicabilitatem actualem, vt ostendimus *tom 3. in 1. disput. 80. n. 15.* Concedo minorem, & nego consequentiā. Ratio est: nam personalitatem Verbi sic terminare naturam Divinam, est, quia illam terminat sub conceptu talis personalitatis, scilicèt, realiter identificatæ cum natura Divina; cæterum cum personalitas Verbi terminet naturam creatā sub conceptu personalitatis tantum, de cuius ratione solum est tribuere incōmunicabilitatem actualem, terminat ipsam, quantum potest terminare, etsi relinquat in ipsa aptitudinem ad personari saltim succesivè per propriam personalitatem, & capacitatem ad personari per aliam Divinam.

157 *Ad 2. probat. antecedentis.* Ad secundam probationem argumenti suprà positi respondeo distinguendo maiorem: personalitates Divinæ terminant in genere causæ formalis extrinsicæ, terminando dependentiam essentialē naturæ concedo maiorem; accidentalē nego maiorē. Distinguo minorem: sed causæ formales extrinsicæ, terminantes dependentiam accidentalem, possunt partialiter terminare omitto minorē; terminantes dependentiam essentialem nego minorem, per quod manet responsio ad paritatem; nam illa duo motiva terminant dependentiam accidentalem actus.

158 *Arguit. 6.* Arguitur sexto: quod minus dependet ab aliquo, maiorem pluralitatem admittit, quam quod magis dependet ab aliquo; sed natura humana minus dependet à personalitate, quā natura Divina: ergo natura creata maiorem pluralitatē personarum admittit, quam natura Divina. Atqui Divina natura admittit triplicē personalitatem: ergo potiori iure natura creata admittet triplicem personalitatē. Maior patet: nam quia corpus minus dependet à loco, quam humanitas à personalitate, maiorē pluralitatem locorum admittit corpus, quam humanitas respectu personalitatum. Minor claret: quia natura humana, ita dependet à personalitate, quod possit esse sine illa: Divina verò natura, ita dependet à personalitate, quod sine illa esse repugnet. Consequentia est legitima. Sumptum est de fide. Consequentia infertur.

Ad hoc argumentum, quod aliquando in publicis thæsibus proposui, responderunt mihi negando suppositum minoris; quia supponit: naturam Divinā dependere à personalitate, quod est falsum. Hanc tamen solutionem non sufficere, sic probavi: natura Divina dependet in existendo à personalitate: ergo dependet: ergo verum est suppositum. Probatur antecedens primo: natura Divina connectitur cum personalitate: ergo in existendo dependet à personalitate. Antecedens est certum: quia natura Divina identificatur cum personalitate. Consequentia est legitima: nam connexio vnius cum alio est dependentia ab illo in existendo; hac enim ratione probat Scotus contra Thomistas: Omnipotentiā non connecti cū possibilibus. Probatur secundo idē antecedens: illud dependet ab aliquo in existendo, quod deficit, deficiente illo; sed deficientibus personalitatibus, deficeret natura Divina: ergo natura Divina dependet in existendo à personalitate. Probatur minor: deficiente infinita perfectione, deficeret natura Divina; sed deficientibus personalitatibus, deficeret Divina fæcunditas, quæ est infinita perfectio ex Scoto *in 1. dist. 2. quæst. 7.* ergo deficientibus personalitatibus, deficeret natura Divina.

159 *Responsio ad argum. impugnatur.*

Vndè respondeo primo ad argumentum distinguendo maiorē: quod minus dependet, dependentia diversæ rationis, ordinis, vel generis concedo maiorē; dependentia eiusdem rationis, ordinis, vel generis nego maiorem. Distinguo minorē: sed humana natura minus dependet, dependētia eiusdem rationis concedo minorem; diversæ rationis nego minorē, & consequentiā. Itaquè licèt verissima sit maior argumenti, loquendo de dependentia diversæ rationis, vti est dependentia corporis à loco respectu dependentiæ naturæ à personalitate, quia vna est accidentalis, & alia substantialis; falsa tamen est, loquendo de dependentia eiusdem rationis, vti est dependētia naturæ humanæ, &

160 *Respondeo ad argum. 1.*

Divi-

Divinæ à personalitate, quia vtraque est essentialis.

161 *Replicabis contra solutionem.* Contra hanc tamen solutionem replicabis: ergo natura humana admittere potest triplicem personalitatem. Probatur consequentia: quod minus dependet ab aliquo dependentia eiusdem rationis, admittit saltim æqualē pluralitatem, ac admittit id, quod magis dependet; sed per nos natura humana minus dependet dependentia eiusdē rationis à personalitate, quam natura Divina: ergo admittit saltim æqualem pluralitatem. Atqui Divina natura admittit triplicem personalitatem: ergo natura humana admittere potest triplicem personalitatem.

162 *Respondeo 1* Respondeo primo ad replicam negando consequentiam, ad cuius probationem distinguo maiorem: quod minus dependet ab aliquo dependentia eiusdem rationis admittit saltim æqualem pluralitatem, ac admittit id, quod magis dependet, si non sit specialis ratio in oppositum concedo maiorem; si adsit nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam; quia in natura Divina est specialis ratio ad triplicem personalitatem, scilicet, fæcunditas, infinitas, & triplex communicabilitas; quæ ratio non est in natura creata. Respondeo secundo aliter distinguendo maiorem: quod minus dependet ab aliquo dependentia eiusdem rationis admittit saltim æqualem pluritatem, ac admittit id, quod magis dependet, si habet tot cōmunicabilitates, quot habet id, quod magis dependet concedo maiorem; si non habet nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam ob rationem datam.

Secundo.

163 *Tertio.* Respondeo tertio aliter distinguendo maiorem: quod minus dependet ab aliquo dependentia eiusdem rationis, orta ex eodē principio, admittit saltim æqualem pluralitatem, ac admittit id, quod magis dependet cōcedo maiorē; orta ex diverso principio nego maiorem; concedo minorem, & nego consequentiam; nam dependentia naturæ creatæ à personalitate oritur ex indigentia, ideòque cum vna personalitate totaliter adæquatur; at dependentia naturæ Divinæ à personalitatibus oritur ex infinita fæcunditate, ideòque exigit esse in tribus. His tribus distinctionibus distingui potest argumentum suprà positum.

164 *Arguitur* Arguitur septimo: ex eo, quod natura creata personaretur triplici personalitate, solum sequeretur præcisè, quod dependeret à tribus; non verò quod dependeret, & non dependeret: ergo ruit nostra precipua ratio. Probatur antecedens: causa præcisa dependentiæ naturæ à personalitate est ipsa personatio; sed personaretur a tribus: ergo à tribus præcisè dependeret. Probatur cōsequentia: stāte personalitate in natura non stat non dependentia naturæ à personalitate: ergo à tribus dependeret. Probatur antecedēs: stāte personalitate in natura stat causa precisa dependentiæ: ergo stante personalitate in natura non stat non dependētia naturæ à personalitate. Antecedēs est certum. Consequentiā verò probatur: non ablata causa præcisa dependentiæ, non auffertur dependentia; sed per te stante personalitate in natura stat causa præcisa dependentiæ: ergo stante personalitate in natura nō stat non dependentia naturæ à personalitate. Patet consequentia illo axiomate: *Quando affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*, quod in causis præcisis est verum.

165 *Respondeo* Respondeo ad argumentū negando antecedens, ad cuius probationē concessis præmissis nego consequentiam; ad illius probationē nego antecedens, & ad probationem nego etiā antecedens, ad cuius probationem distinguo maiorē: non ablata causa præcisa dependentiæ non auffertur dependentia per causam formalē concedo maiorē; per causam illativā subdistinguo: absolutè concedo maiorē; in casu dato nego maiorē, concedo minorē, & nego cōsequentiā. Itaque personatio est causa præcisa formalis dependentiæ naturæ à personalitate; Cæterū licèt non personatio sit causa formalis nō dependentiæ, vltra hanc est alia causa illativa non dependentiæ, scilicèt, personatio ab alia personalitate, quia per hanc adæquatè personaretur, & sic ab hac adæquatè dependeret, ex quo infertur: quod non dependeat ab alia.

Explicatur solutio.

Deniquè argumentum probat contra Thomistas: idem corpus posse esse in duplici loco circunscriptivè; eandem materiā posse informari duplici for-

Retorqueo.

ma, & contra omnes eundem effectum posse produci à duplici causa totali, ex quibus fiant contra argumentum retorsiones.

§. XII.

Secunda pars disputationis resolvitur.

166 *2. Pars disput. resolvitur. In affirmativa sententia conveniũt omnes. Ratione D. Thom. probatur.*

CIrca secundum, quod in hac disputatione vocamus in examen, scilicèt, an vna Divina persona possit simul plures naturas assumere; omnes Theologi conveniunt in sententia affirmativa, quã ratione D. Thomæ ad hanc formã redacta probat Ill. God. *n.* 124. sic: nam vis assumptiva, non cõprehensa ab vna natura, potest simul ad aliam extendi; sed vis assumptiva, conveniens Divinæ personæ, non cõprehenditur ab vna natura creata: ergo potest simul cũ illa aliam naturam assumere. Consequentia tenet. Maior est certa; nã eo ipso, quod vis assumptiva non comprehendatur ab aliqua vna natura, non adæquatur cũ illa; ac proindè illã excedit: ex quo vlteriùs fit, vt possit ad aliam assumendam extendi. Minor autẽ probatur: nam vis assumptiva naturæ creatæ convenit personæ Divinæ ratione omnipotentiæ, vt principij assumptionis, & ratione personalitatis, vt termini; sed nec omnipotentia, vt principiũ activũ, nec personalitas, vt terminativa, comprehendi possunt ab vna natura creata; cũ omnipotentia, vt activa, & personalitas, vt terminativa, sint infinitæ, & natura creata finita; infinitum autem à finito comprehendi non potest: ergo, &c.

167 *Ratione Scoti probatur.*

Rationem admitto, & cum Scoto *in 3. dist. 1. quæst. 3.* hac ratione breviùs à nobis probatur: nõ repugnat ex parte personæ Divinę, nec ex parte naturarũ: ergo vna persona Divina potest simul assumere plures naturas creatas. Probatur antecedens quoad primã partẽ: virtus terminativa personæ Divinæ non exhauritur per terminationem vniùs naturę creatę; aliquin non esset infinita: ergo non repugnat ex parte personæ Divinæ assumere plures naturas creatas. Antecedẽs quoad secundã partẽ claret in misterio Incarnationis, in quo natura creata coincidit cũ Divina in eadem persona: ergo coincidere potest cũ alia creata: ergo non repugnat ex parte naturarum.

168 *Dices.*

Dices: virtus generativa in Patre est infinita; sed ad vnicum genitũ terminatur: ergo licèt virtus terminativa personæ Divinæ sit infinita, vnicam tantum naturã terminare potest. Hanc replicam sibi fecit Ill. God. *n.* 127. ad ipsamque respondet *n.* 129. exemplũ non esse ad rem: virtus namquè generativa, sub denominatione potentiæ generativæ, non cõvenit Deo per respectum ad creaturas, quæ infinitè distant ab ipso; & consequentèr nequeũt illi assimilari in natura, vel essentia, similitudine vnivoca, & specifica, quod necessariũ erat, vt ab eo generari possent, & ad illas extendi potentia Dei generativa, sub hac denominatione, sed tantũ competit Deo per comparationẽ ad intra: & cum intra Deum habeat terminũ per essentiã infinitũ, videlicèt, Filiũ genitũ, adęquatur cum illo potentia generativa intensivè, & extensivè, ab illoque cõpræhenditur; sed vis terminativa competens personalitati Divinę in ratione talis, nõ solũ illi convenit per respectum ad intra, sed etiam per comparationem ad extra, nempè, in ordine ad naturas creatas, à quibus, quia finitæ sunt, adæquari, & comprehendi non potest: ergo exemplũ potentiæ generativę in contrariũ adductũ omnino præter rẽ est. *Respõdetur.*

169 *Respondeo in forma.*

Quæ solutio optima est, & vltra illã respondeo ad replicam in forma concessis præmissis distinguẽdo cõsequẽs: ergo licèt virtus terminativa personæ Divinæ sit infinita, vnicã tantũ naturã sibi essentialẽ: vel ad intra terminare potest concedo consequentiã; sibi adventitiã, vel ad extra nego consequentiã. Itaq; licèt persona Divina nequeat terminare aliã naturã sibi essentialem, vel ad intra, quia per hanc exhauritur virtus terminativa illius; potest tamen terminare plures naturas sibi adventitias, vel ad extra, quia in infinitum illas excedit. Nec ampliùs probat exemplum virtutis generativæ, vt claret per sequentes retorsiones.

170 *Retorqueo 1*

Retorqueo primo: potentia productiva Dei non potest iam aliud ad intra producere, quia per productiones ad intra exhauritur eius virtus: sed hoc non obest, vt ad extra tot producat effectus: ergo licèt persona Divina nequeat terminare aliã naturã ad intra,

quia

quia per hanc exhauritur virtus termi nativa illius; poterit tamen terminare plures naturas ad extra. Retorqueo secundo: licèt Essentia Divina sit obiectum adæquatè terminans amorē Divinum; hoc non obest, vt ad creaturas extendatur: ergo licèt persona Divina ad intra neque at terminare aliā naturā; quia per hāc exhauritur virtus terminativa illius; poterit tamē terminare plures naturas ad extra.

171 Maneant ergo rationes D. Thom. & Scoti inconcussæ, & firmum maneat: posse vnam personam Divinam simul assumere plures naturas creatas, in quo, vt diximus, omnes Theologi cōveniūt, nullo, quē viderim, excepto. *Quod autē difficultatē non modicam ingerit, est, an casu, quo vna persona Divina duas, v. g. humanitates assumeret: esset dicenda vnus homo, an duo homines? In qua Ill. God. cū omnibus ferè Thomistis esse tantum vnum hominem affirmat n. 136. Scotistæ verò sunt divisi, quia Scotus est problematicus, vt etiam insinuavit Ill. God. illū referens pro vtraque opinione, vt videri est in ipso n. 135. & 136. vbi Scotistas etiam pro vtraque opinione adducit, & citat.*

Punctus difficultatis explicatur.

172 *Cæterum, quia hæc difficultas dependet ex resolutione illius, scilicèt, vnde sumatur vnitas, & pluralitas concretorum? Ideo ante nostrā resolutionē. Suppono primo ex dictis in logica: quod in concretis accidentalibus vnitas, & pluralitas sumitur ex parte subiecti. Ratio est: nam si eadem albedo esset in pluribus subiectis, dicerentur plura alba, & è contra: si plures albedines essent in eodem subiecto, vnicū duntaxat diceretur album. Sic Scotus in 3. dist. 6. quæst. 1. & quodlib. 11. litt. H.*

Ante resolutionem suppono 1.

173 *Suppono secundo: quod in concretis substantialibus vnitas sumitur ex parte formæ; pluralitas verò ex parte formæ, & suppositi. Primum patet: nā tres Divinæ personæ sunt tantū vnus Deus ob vnitatem formæ, seu naturæ. Secundum est Scoti in 3. dist. 6. quæst. 1. ad 1. & dist. 8. litt. F & quodlib. cit.* dicentis: *Ad multiplicationem concretorum non sufficit sola multiplicatio formarum, sed requiritur multiplicatio suppositorum.*

Suppono 2.

174 Ob hoc enim *in 1. dist. 12. quæst. 1. ad tertium*, negat: Patrem in Divinis esse plura principia producentia, vel duos productores, licèt habeat duo principia producendi, vel duas virtutes productivas, quia licèt adsit pluralitas formæ; deest tamen pluralitas suppositorum. Imò *in 3. dist. 6. quæst. 2.* negat: Christum esse duo, nam licèt habeat duas naturas substantiales, & viventes, dicitur vna substantia, & vnus vivens ob vnitatem suppositi.

Vnde concreta substantialia, & accidentalia differunt in hoc: quod vnitas in accidentalibus sumitur ex parte subiecti; in substantialibus verò ex parte formæ. Differunt etiā, & præcipuè in hoc: quod accidentalia multiplicātur ad multiplicationem subiectorum dumtaxat; ad multiplicationem verò substantialium requiritur multiplicatio formarum, & suppositorum. 175

Ratio huius discriminis est: quod in concretis accidentalibus sola subiecta terminant dependentiam adiectivi numeralis, ideoque multiplicatis subiectis tālia multiplicantur concreta. At in substantialibus, tàm forma, quàm suppositum, terminant dependentiam adiectivi numeralis, ideò ad eorum multiplicationem requiritur vtriusque multiplicatio. Vnde vera vniversalitèr est regula illa Scoti: ad multiplicationem concretorum, sivè substantialium, sivè accidentalium, requiritur multiplicatio suppositorum. 176

Ratio autem, cur in concretis substantialibus vnitas sumatur ex parte formę; pluralitas verò ex parte formę, & suppositi, est: quia vnitas pertinet ad naturam; multitudo autem ad suppositа. Vnde in communi modo loquēdi adiectivum multitudinis tribuitur concreto naturæ, vt supponit personalitèr; adiectivum verò vnitatis, vt supponit simplicitèr, ideòque dixit Porphyrius: plures homines ratione naturæ vnum hominem dici. His suppositis. Sit. 177

§. XIII.

Statuitur conclusio, & mens Scoti explicatur.

178 *Conclusio.* COnclusio: *Data hypotesi, quod vna Divina persona plures assumeret humanitates, esset tantum vnus homo.* Sic Magister Subtilis *in 1. dist. 12. quæst. 1. ad 3. Et in 3. dist 6. quæst. 1. ad 1. Et quæst. 2. Et dist. 8. litt. F. Et quodlib. 11. litt H.* Ratione que Scoti ad hanc formā reddacta *Ratione Scoti probatur.*

probatur: ad multiplicationē concretorū ſubſtantialium requiritur multiplicatio formarū, & ſuppoſitorum ex vcuſque dictis; ſed in data hypoteſi eſſet tantum vnum ſuppoſitum, etſi plures eſſent humanitates: ergo eſſet tantum vnus homo. In hac concluſione ab Ill. Godoy non diſcedimus, ſed vt appareat, quod nec ab Scoto diſcedimus, argumenta contra concluſionem ſolvamus.

179 *Arguit. 1.* Arguitur primo: adiectivum immediatè cadit ſuprà ſubſtantivum, illudque determinat ad vnitatem, vel pluralitatem: ergo adiectivum pluralitatis cadit ſupra naturam, illamque determinat, cum ipſa ſit nomen ſubſtantivum: ergo ad pluralitatem concretorum ſufficit pluralitas naturarum. Atqui in data hypoteſi eſſent plures naturæ humanæ: ergo in hypoteſi data perſona Divina eſſet plures homines. Totum eſt verum, ſi verum eſt antecedens. Antecedens vero eſt regula generalis Scoti *in* 1. *diſt.* 12. *q.* 1.

180 *Reſpondeo.* Reſpondeo ad argumentum explicando antecedens: adiectivum immediatè cadit ſuprà ſubſtantivum, illudque determinat ad pluralitatem non vltimatè, ſeu cū vlteriori dependentia ad ſuppoſitum concedo antecedens; vltimatè, ſeu ſine vlteriori dependentia ad ſuppoſitum nego antecedens, & diſtinguo ſimiliter primum conſequens, negoque ſecundū Solutio claret ex dictis *n.* 176. & roboratur paritate quantitatis: nam ſicut quantitas terminat dependentiam alteriùs accidentis non vltimatè, ſed cum dependentia ad ſubſtantiam, à qua dependet ipſa quantitas; ita concretum naturæ, vt homo; terminat dependentiam adiectivi pluralitatis non vltimatè, ſed cum dependentia ad ſuppoſitum, quod concernit; vndè ſine pluralitate ſuppoſitorum non ſtat concretorum plurificatio.

181 *Arguit. 2.* Arguitur ſecundo: quęcumque differentia ſufficit ad diſtinguendū; non verò quæcumq̄ identitas ad perfectā aliquorum identitatem: ergo plus requiritur ad vnitatem, quam ad pluralitatem: ergo ſi identitas naturæ in pluribus ſuppoſitis ſufficit, vt dicantur vnum concretum, vt patet in Diuinis; pluralitas naturarum in eodem ſuppoſito ſufficiet, vt dicantur plura concreta: ergo in data hypoteſi perſona Divina eſſet plures homines. Omnes conſequentiæ ſunt legitimæ. Antecedens autem eſt Scoti *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 6. *litt.* G.

182 *Reſpondeo.* Reſpondeo: Scotum velle, quod ad concludendū, aliqua eſſe alterius rationis, ſufficit minima differentia alterius rationis, vt patet de ſapientia infinita, & infinita bonitate, quæ formaliter differunt in Divinis; cæterum ad concludendam perfectam identitatem aliquorum, non ſufficit qualiſcumque identitas, vt claret in animalitate, & rationalitate. Hic eſt ſenſus Scoti, vt ibi declarat Lichetus, ex quo non valet inferre vnitas, vel pluralitas concretorū, quod, vt clariùs videatur.

183 *Retorqueo.* Retorqueo argumentum: quęcumque differentia ſufficit ad diſtinguendum: ergo quæcumque pluralitas ad multiplicandum, quia plus requiritur ad vnitatem, quam ad pluralitatem: ergo in concretis accidentalibus ſola formarum pluralitas ſufficiet ad eorum multiplicationem, quia adeſt formarum multiplicatio: ergo, & tres perſonæ Divinæ erunt tres Dij, quia adeſt multiplicatio ſuppoſitorum, quorum vtrumque eſt falſum.

184 *Arguit. 3.* Arguitur tertio: Scotus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 5. *§. ad* 1. arguens contra D. Thomam aſſerentem: in data hypoteſi Verbum Divinum dici vnum hominem, vt habens plures ſcientias dicitur vnus ſciens, inquit Scotus: ſi propter pluralitatem ſuppoſitorum debent dici plura concreta, etiam tres Divinæ perſonæ dici deberent tres Dij: ergo Scotus vniformiter loquitur de vnitate, & pluralitate concretorum: ergo quod ſufficit ad vnitatē concreti, ſufficit pariter ad pluralitatem eiuſdem: ergo in data hypoteſi perſona Divina eſſet plures homines.

185 *Reſpondeo.* Reſpondeo: Scotum ibi loqui iuxta mentem D. Thomæ aſſerentis: ad multiplicationem concretorum ſufficere ſolam pluralitatem ſuppoſitorum, ſicut ad vnitatē eiuſdē ſufficere ſolā vnitatē ſuppoſiti, ex quo optimè infert Scotus; ſed nihil contra nos, cū ipſo aſſerentes: quod ad multiplicationē concretorum ſubſtantialiū non ſufficit ſola pluralitas ſuppoſitorum, ſed vltra hanc requiri pluralitatem formarum, vt diximus *num.* 173.

Ar-

186 *Arguitur 4* Arguitur quarto: adiectivum vnitatis determinat formam vltimatè sine vlteriori dependentia ad suppositum: ergo & adiectivum multitudinis: ergo ad pluralitatem concretorum sufficit pluralitas naturarū. Antecedens claret in vnitate virtutis spirativæ, cuius ratione Pater, & Filius non sunt duo spiratores, licèt sint duo suppositа. *Respondeo.* Respondeo concesso antecedenti negando cōsequentiā, cuius disparitas claret ex dictis *n* 176. & 177.

187 *Retorqueo argum.* Deindè retorqueo argumentū: adiectivū vnitatis determinat formā vltimatè sine vlteriori dependentia ad suppositū: ergo & adiectivū multitudinis: ergo ad pluralitatē concretorū sufficit pluralitas formarū: ergo Pater æternus est duo productores, & Christus est duo. Probatur hæc consequentia: per te ad pluralitatē concretorum sufficit pluralitas formarū; sed in Patre æterno dantur duo principia producendi, & in Christo dantur duæ naturæ: ergo Pater æternus est duo productores, & Christus est duo.

188 *Arguitur 5* Arguitur quinto: si Verbū assumeret naturā Angelicā, & humanā, diceretur homo, & Angelus: ergo si assumeret plures humanitates, diceretur plures homines. *Respondeo, & retorqueo argument.* Respondeo negando consequentiā ob rationē nostræ conclusionis, & retorqueo argumentum: Christus est Deus, & homo, quia habet naturam Divinā, & humanā; sed non est duo, sed vna substantia, & vnus vivens ob vnitatē suppositi, vt cū Scoto diximus *num.* 174. ergo similitèr: licèt Verbū diceretur homo, & Angelus, si naturam humanam, & Angelicā assumeret; non tamen diceretur duo.

189 *Arguit. 6.* Arguitur sexto: differentię aliquod commune dividentes debent cadere suprà idē divisum; sed vnitas, & multitudo concreti hominis dividunt cōcretum hominis: ergo debent cadere suprà idem: ergo si vnitas cadit suprà naturā, paritèr & multitudo. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorē: modo, quo divisum respiciunt concedo maiorē; alio modo nego maiorem; distinguo minorē: diverso modo concedo minorē; eodē modo nego minorē, & cōsequentiā. Diverso itaque modo vnitas & multitudo dividunt concretum hominis; nā vnitas dividit terminādo formā vltimatè sine vlteriori dependentia ad suppositum; multitudo verò non vltimatè, sed cum vlteriori dependentia ad suppositum ex toties dictis. Vnde absque multiplicatione suppositorū non multiplicantur concreta.

Arguitur septimo: nomen substantivum suam vnitatem, aut pluralitatē sumit ab vnitate, aut pluralitate formæ primario, & explicitè importatæ; sed forma primario, & explicitè importata per hoc nomē *homo* est humanitas, non suppositū: ergo homo suam vnitatē, & pluralitatem sumit ab vnitate, aut pluralitate humanitatis. Atqui in data hypotesi essent duę humanitates: ergo in data hypotesi persona Divina esset duo homines. *Respondeo.* Respondeo negando maiorē ob dicta *num antecedenti, & n.* 177. *Retorqueo.* Deindè retorqueo argumentū retorsione facta *n.* 187.

190 *Arguit. 7.*

191 *Arguit. 8.* Arguitur octavo: terminus numeralis tribuit effectū formalē illi, cuius dependentiā terminat; sed sola forma, si est substantialis, vt humanitas, apta est terminare dependentiam termini numeralis: ergo terminus numeralis tribuit effectū formalē soli formę prę dictæ: ergo si naturæ numerantur, numerantur etiā concreta: ergo in data hypotesi persona Divina esset plures homines. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorē: terminus numeralis tribuit effectū formalē illi, cuius dependentiā terminat vltimatè concedo maiorē; non vltimatè nego maiorē; distinguo similitèr minorem, & nego consequentias. *Retorqueo.* Imo retorqueo argumentum per dicta *num.* 187.

192 *Arguit. 9.* Arguitur nono: oppositorum eadē est ratio; sed vnum, & multiplex opponuntur: ergo eadem est de illis ratio. Atqui sola vnitas formæ est præcisa ratio immultiplicabilitatis concreti substantialis: ergo sola formæ multiplicatio erit ratio præcisa multiplicationis talis concreti. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: si eodem modo se habent concedo maiorem; si diverso modo nego maiorem; concedo minorem, & distinguo similitèr consequens. Concedo sussumptam, & nego consequentiam; quia vnitas, & multitudo respectu concreti substantialis diverso modo se habent ex dictis *num.* 189. Denique retorqueo per dicta *num.* 187. *Retorqueo.*

§. XIV.

Occasione vltimi argumenti examinatur, an casu, in quo plures personæ assumerent vnam humanitatem, essent plures homines, vel vnus homo?

193 *Arguitur 10.*

ARguitur decimo: casu, in quo tres personæ Divinæ assumerent vnã, & eandẽ humanitatẽ, essent vnus homo, non plures homines; quia licèt habẽtia essent plura, humanitas habita est vna: ergo pariter: casu, in quo vna persona Divina duas humanitates assũmeret, non esset vnus homo, sed duo homines. Patet consequentia primo: non enim alia ratione tres personæ, vnã humanitatẽ assũmẽtes, essent vnus homo, nisi quia significatum formale termini *homo* esset vnũ, quamvis plura sint suppoſita, humanitatẽ habentia, in illaque subsistentia, & suprà significatũ formale cadit nomẽ vnitatis: ergo eadẽ ratione suprà significatũ formale termini cadere debet nomen numerale pluralitatis; & consequentèr casu, in quo vna persona Divina duas humanitates assumat, non erit vnus homo dicenda, sed duo homines.

Consequentia probatur 1.

Secundo.

Secundo: nã oppositorũ eadẽ est ratio: ergo si, vt *homo* singulariter prædicetur, sufficit vnitas humanitatis, quã de formali significat, quãvis plura sint suppoſita quæ de materiali importat, etiã sufficiet, vt enuntietur pluraliter, humanitatis pluralitas, quãvis vnũ sit suppoſitũ, plures terminans humanitates, & in illis subsistens. Denique: non enim est ratio assignabilis, cur ad vnitatẽ hominis sufficiat vnitas humanitatis, quã ly *homo* de formali significat, & ad hominis pluralitatẽ nõ sufficiat pluralitas eiusdẽ significati: ergo si *homo* dicitur singulariter ex sola singularitate humanitatis, dicetur etiã pluraliter ob solã humanitatis pluralitatẽ; & consequenter, si in casu eiusdẽ humanitatis assumptæ à tribus personis, de illis singulariter homo prædicatur, casu, in quo vna persona plures humanitates assumat, prædicabitur de illa pluraliter.

Tertio.

194 *Punctus difficultatis.*

Hoc argumentum petit, vt explicemus: an in casu eiusdẽ humanitatis assumptæ à tribus personis, personæ illã assumentes, plures homines essent dicẽdæ, an vnus homo? Circa quod plures sunt Theologorũ sententiæ, quas refert Ill. God. *n.* 181, quibus omissis. Vera sententia defendit: in prædicto casu tres personas Divinas esse vnum hominẽ, quã sententiã tenet expresse Scotus *cit. n.* 178 eamq; amplectitur Ill. God. vtpotè, D. Th. *in 3. p. q. 3. art. 6. ad 1.*

Vera sententia.

Scotus, Ill. Goaoy. D. Thom.

Hæc est nostra conclusio, quæ ratione vtriusque Doctoris probãda venit. Ratione Scoti sic: ad multiplicationẽ concretorũ substantialium requiritur multiplicatio formarum, & suppoſitorum; sed in hypotesi data, etsi essent plura suppoſita, esset tantum vna humanitas: ergo casu, quo tres Divinæ personæ assumerent eandẽ humanitatẽ, essent tantũ vnus homo. Minor, & consequentia tenent. Maior autẽ probata manet per dicta *n.* 173. *cum seqq.*

195 *Conclusio. Ratione Scoti probatur.*

Ratione D. Thom. sic probatur: nã tres personæ Divinæ sunt simpliciter vnus Deus, vt fides catholica docet, quia licèt sint plura suppoſita, subsistẽtia in Deitate, natura tamẽ Divina est omninò vna, & indivisa in illis; sed in casu eiusdem humanitatis assumptæ à tribus personis, quamvis suppoſita sub sistentia in humanitate sint plura, humanitas tamẽ ab illis assũpta est vna: ergo non sunt dicendæ plures homines, sed vnus homo simpliciter propter vnitatẽ humanitatis, à tribus personis assumptæ. Patet cõsequentia: nõ enim videtur discriminis ratio assignabilis, cur tres personæ Divinæ ab vna Deitate sint simpliciter vnus Deus, quamvis in ratione personæ sint plures, & ab vna humanitate non dicatur vnus homo simpliciter, quamvis suppoſita in humanitate subsistentia sint suppoſit aliter plura. Quod autem ad hanc rationẽ D. Thom. resp̃ondẽt Thomistæ, oppositũ sentientes, adducit, & soluit Ill. God. *à n.* 187. *vsque ad n.* 203.

196 *Ratione D. Thom. probatur.*

Ex his itaquè ad argumentum suprà positum respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiã, ad cuius primam probationẽ concesso etiã antecedenti nego consequentiam; nam ad vnitatẽ nominis substãtivi sufficit, vel vnitas formæ, vel vnitas suppoſiti. Vndè in quocumque istorum sit vnitas, singulariter prædicatur. Ad pluralitatem autem nominis substantivi non sufficit pluralitas formæ, vel pluralitas suppoſiti, sed

197 *Respondeo ad argum.*

Ad 1. prob. consequentiæ.

vtriusq;

vtriusque pluralitas est necessaria; & ideo, quamvis sint plures humanitates, si suppositа plura non sunt, non dicuntur plures homines, sed vnus homo, & è contra, si humanitas sit vna, quāvis sint plura suppositа, non plures homines, sed vnus homo dicūtur.

198 *Ad 2. & 3.* Ad secundā probationem responsum manet *num.* 192. Ad tertiam probationem consequentiæ, qua petitur ratio discriminis, ob quam ad vnitatem concreti substantivi sufficit vnitas formæ; ad pluralitatem autē pluralitas formæ non sufficit, sed vlteriùs requiritur multiplicatio suppositorū; relictis aliorū rationibus, & omissa responsione Ill. Godoy, quia potiùs exemplis probat, quam ratione convincat; ratio discriminis à nobis assignata manet *num.* 177.

199 *Quædam dubitatio, & eius resolutio.* Pro complemento autem disputationis dubitari solet: an casu, quo Verbum assumeret naturas, Angelicam, scilicèt, & humanā, esset communicatio idiomatum inter has naturas? Respondeo affirmativè, & ratio est: quia vtraque natura esset sibi invicem hypostaticè vnita in eadē persona: ergo sicut in misterio Incarnationis dicitur: homo est Deus, & Deus est homo ratione vnionis, ita in data hypotesi homo diceretur Angelus, & Angelus homo; natura Angelica Incarnata, & humana Angelicata.

200 *Dices.* Dices tamen contra hanc resolutionem: licèt istæ naturæ essent Verbo vnitæ; non tamen essent inter se vnitæ: ergo in prædicto casu non esset cōmunicatio idiomatum inter naturas prædictas. Respondeo concesso antecedeeti negando consequētiam; quia licèt albedo, & dulcedo non sint inter se vnitæ, sed solum in lacte, hoc sufficit, vt dicatur: album est dulce, & è contra. Similitèr ergo: licèt natura humana, & Angelica non essent inter se vnitæ, sed solum in persona Verbi, hoc sufficiet, vt dicatur: homo est Angelus, Angelus est homo: natura Angelica est Incarnata, & humana Angelicata.

201 *1. Corollarium.* Ex dictis sequitur primo: quod si Verbum humanitatē assumptā relinqueret, & aliam numero distinctam assumeret, esset *vnus homo*, non *plures homines*, absolutè, & simplicitèr dicendum. Quod patet: nam licèt humanitates essent distinctæ, esset vnum suppositum in illis subsistens; sed ad pluralitatem hominis, & vt nomen *homo* pluralitèr prædicetur, tàm formæ, quàm suppositi pluralitas est necessaria, vt habetur ex dictis: ergo in illo casu, quamvis humanitates essent distinctæ, Verbum in illis subsistens non esset plures homines, sed vnus homo absolutè, & simplicitèr.

202 *Corollarium 2.* Secundo colligitur: quod si Verbū humanitatem relinqueret, quo in casu, propria subsistentia humanitati ab intrinsico debita resultaret; suppositum creatū ex humanitate, & propria subsistentia constitutum, esset vnus homo cum Verbo antecedentèr in humanitate subsistente. Quod patet eadem ratione: nam licèt suppositа in humanitate subsistentia realitèr distinguerentur, humanitas esset vna: ergo homo de Verbo, & de suppositо creato non posset pluralitèr dici; ac per consequens de illis deberet singulariter prædicari.

203 *3. Corollarium.* Denique infertur ex dictis: quod si tres personæ Divinæ assumerent simul tres humanitates distinctas, dicēdæ essent *plures homines* simplicitèr, provt subsistentes in tribus humanitatibus, & *vnus homo* simplicitèr, provt subsistentes in vna humanitate. Primum patet: nam provt subsistentes in tribus humanitatibus esset in illis pluralitas ex parte formæ, & pluralitas ex parte suppositi; sed hoc sufficit, vt concretum substantivum absolutè, & simplicitèr pluralitèr prædicetur: ergo personæ assumentes humanitates distinctas, provt in illis subsistentes, simplicitèr essent tres homines.

1. Pars probatur.

204 *2. Pars probatur.* Secunda pars probatur ratione sæpè assignata: nam tres personæ Divinę consideratæ, provt in vna humanitate subsistētes, licèt sint plura suppositа; non tamen in illis sunt plures humanitates sub hac cōsideratione; sed vt nomē *homo* pluralitèr prædicetur ex vtroque capite est necessaria pluralitas: ergo nomē *homo* de illis consideratis, provt in vna humanitate subsistentibus, nō posset dici pluralitèr, ac per cōsequens deberet de illis, sub hac cōsideratione inspectis, singulariter prędicari. Et hæc de ista disputatione applicāda litterę Magistri *in* 3. *d.* 4. *§.* 3. ad illa verba: *Si verò quæritur, an Pater, &c.*

DIS-

DISPVTATIO DECIMA SEPTIMA.

Vtrum persona creata possit de potentia absoluta alienam terminare naturam?

§. I.

Quibusdam suppositis eligitur vera sententia.

Num. 1
1. *Suppositum.*

SVpponimus quatuor in hac disputatione, & vnum in examẽ vocamus. Primum, quod supponimus est, difficultatem esse de sustentatione formali, ac terminativa; non autẽ effectiva; nam effectivè sustentare naturam est, producere in illa realem vnionem, qua sit formalitèr vnita supposito, quod repugnat personæ creatæ respectu alienæ naturæ, vt omnes fatentur. Est igitur quæstio de sustentatione terminativa, an, scilicèt, persona creata possit terminare alienam naturam?

2
2. *Suppositum.*

Secundum, quod supponimus, est: non posse personam creatam, etiam de potentia absoluta, sibi assumere naturam alienã, vt principiũ assumptionis, tanquam causa principalis illius, in quo omnes Theologi conveniunt, nullo dissentiente, quem viderim; id adeò certum sentientes, vt rationem eius probativam assignare non curaverint; forsam tamen inferiùs à nobis obitèr examinabitur ratio huius veritatis.

3
3 *Suppositum.*

Tertium quod supponimus, est: nec etiam per modum termini, posse personalitatem creatã alienæ naturæ vniri, potentia sibi connaturali, in quo nullus Theologorum dissentit. Et patet primo: nam id ad minus convincunt rationes infrà adducẽdæ ad probandum: repugnare de potentia absoluta, personalitatem creatã alienæ naturæ vniri, illam terminare, subsistentemque, & personatam constituere. Patet secundo: nam accidens non potest connaturalitèr extraneo subiecto inhærere. Passio vnius naturæ non potest connaturalitèr alteri naturæ competere. Punctum vnã lineã terminans, non potest naturali potentia aliam lineã terminare, nec modus alicuius subiecti potest extraneũ subiectum modificare: ergo pariter: personalitas creata non potest, saltim de lege ordinaria, & potentia sibi connaturali, vniri alienæ naturæ, illã personare, subsistentemque constituere.

4
4. *Suppositum.*

Quartum, quod supponimus, est: quod si personalitas creata, non in positiva entitate, sed in negatione consistat, vt probabilius cum Scoto docuimus *tom 3. in 1. disp. 80. à §. 3. vsque ad finem disput.* non potest de potẽtia absoluta terminare naturã alienã, illamque reddere subsistentem, quod licèt aliqui Scotistæ negent, nostram tamen suppositionẽ cum Theologis communitèr tenet Ill. Godoy *num. 3.* & relictis varijs aliorum rationibus, rationibusque, quibus prædictam suppositionem probat Ill. God. *num. 5. 6. & 7.* à nobis sic primo probatur: negatio nequit esse ratio formalis terminandi relationem realem prædicamentalẽ; sed vnio hypostatica est talis relatio: ergo supposito, quod persona creata sit mera negatio, nequit esse ratio formalis terminãdi illã vnionẽ: ergo nec subsistẽtare alienã naturã.

Suppositio probat. 1.

5
Probatur 2.

Secundo probatur allata suppositio: fundamentum alicuius nequit esse minoris entitatis, quã sit ipsum fundatum; sed illa vnio, quæ esset inter naturam assumptam, & personam assumentem, est ens reale, & positivum: ergo fundamentũ illius nequit esse minoris entitatis, quã ipsum fundatum. Atqui prædicta vnio fundaretur in persona: ergo supposito, quod persona nõ sit ens reale, & positivum, nequit esse fundamentum illius: ergo persona creata non potest absoluta Dei potentia terminare naturam alienã, illamque subsistentem reddere. Sumpta patet: quia illa

vnio esset mutua ob limitationem vtriusque extremi, consequenterque vtrumque esset fundamentum illius. Consequentia infertur.

6 *Arguitur 1 contra 4. suppositionem.*

Contra suppositionem prædictam arguunt primo Scotistę ex Scoto *in 3. dist. 1. quæst. 4.* maior est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quam ad increatum; sed hoc potest terminare naturam creatam: ergo & illud. *Respondeo.* Respondeo distinguendo maiorem: maior est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quam ad increatū, in ratione finitatis concedo maiorem; in ratione terminandi nego maiorem; quia suppositū increatum, vtpotè, quid positivum, potens est terminare vnionē extrinsicæ naturæ; non verò suppositum creatum, vtpotè, quid negativum. Imò argumentum procedit, suppositā sententia, quod personalitas creata consistat in positivo, ex quo nihil contra nostram suppositionem.

7 *Arguitur 2.*

Arguunt secundo ex Scoto *in 3. dist. 1. quæst. 1.* vt suppositum terminare possit dependentiam naturæ, sufficit, quod sit independens independentia opposita dependentiæ naturæ, licèt non sit simplicitèr independens; sed quodlibet suppositum creatū est prædicto modo independens: ergo quodlibet suppositum creatum potest terminare alienam naturam. Maior patet in quantitate Eucharistiæ, quæ terminat dependentiam albedinis, & tamen ipsa nata est dependere à substantia corporea. *Respondeo.* Respondeo: hoc etiā argumentū procedere, suppositā sententia de positivo; vndè distinguo maiorem: si suppositū dicat quid positivum concedo maiorem; si sit mera negatio nego maiorem; distinguo similitèr minorem, & nego consequentiā. Exemplū verò de quantitate Eucharistiæ nihil probat contra nos.

8 *Arguitur 3.*

Arguunt tertio: relatio realis terminari potest ad terminum non realem, nec actu existentem: ergo & ad negationem: ergo etiam si personalitas creata in negativo consistat, poterit alienam terminare naturam. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: relatio transcendentalis terminari potest ad terminum non realē, nec actu existentem concedo antecedens; relatio realis prædicamentalis nego antecedens, & distinguo similitèr primum consequens; vndè nihil contra nos; quia illa vnio esset prædicamentalis ex dictis *disput. 11. §. 5.*

9 *Arguit. 4.*

Arguunt quarto: negatio, in qua cōsistit personalitas, est ens reale, saltim negativum: ergo potest terminare relationē realem. *Respondeo.* Respondeo distingnendo consequens (quidquid sit de antecedenti, quod negat Mastrius *disput. 11. Methaph. quæst. 4. artic. 1. numer. 66.*) ergo potest terminare relationem realem negativā omitto consequens; positivā nego cōsequentiā.

10 *Arguit. 5.*

Arguunt quinto: carentia vnitatis est ratio formalis terminandi relationes reales diversitatis primi generis; sed talis carentia est mera negatio: ergo mera negatio potest terminare relationem realem: ergo etsi personalitas creata in negativo consistat, poterit terminare alienam naturam. *Respondeo* Respondeo negando maiorem: quia ratio formalis terminandi tales relationes est positivum, ad quod sequitur illa carentia.

11 *Arguit. 6*

Arguunt sexto: de facto personalitas creata terminat naturam; sed talis personalitas est mera negatio: ergo mera negatio terminat naturam: ergo quod personalitas creata in mera negatione consistat, non obest, vt possit alienam terminare naturam. *Respondeo.* Respondeo negando maiorem: quia personalitas creata non terminat naturam, sed tantū vltimo terminat, quatenùs eā interminabilē reddit, vt diximus *tom. 3. in 1. disput. 80. num. 126.*

12 *Replicabis*

Replicabis: de facto natura communicatur propriæ personalitati: ergo vnitur ipsi: ergo terminat illam vnionem: ergo terminare potest alienam naturā. *Respondeo.* Respondeo distinguendo antecedens: de facto natura communicatur propriæ personalitati per vnionem, vti natura humana Christi communicatur Verbo nego antecedens; communicatur per connaturalē resultantiam negationis communicationis concedo antecedens, & nego consequentiam. Natura namquè triplicitèr potest communicari supposito. Primo: per identitatem, vt natura Divina suis personis. Secundo: per vnionem, vti natura humana Christi communicatur Verbo Divino. Tertio: per connaturalem resultantiam

ne-

negationis communicationis, quomodo natura creata proprio communicatur supposito.

13 *Arguit. 7.* Arguunt deniquè: non repugnat ex parte naturæ; nam hæc est separabilis à propria subsistentia, & ab aliena sustentabilis, vt claret in natura humana Christi; sed nec ex parte suppositi; quia ad hanc terminationem, nec indiget infinitate, nec omnimoda independentia: ergo suppositum creatũ, etsi in negativo consistat, terminare potest alienam naturam. *Respondeo.* Respondeo negando minorem: quia licèt suppositum creatum non indigeat infinitate, nec omnimoda independentia ad terminandum alienam naturam, indiget tamen aliquo positivo incommunicabili, quod sit ratio terminandi dependentiam realẽ, & positivam, quod non habet suppositum creatum, dato, quod in negativo consistat. Vndè supposito, quod persona creata in negativo consistat, repugnat alienam subsistentare naturã, & ratio repugnantiæ ponitur præcisè in eo, quod negatio, nec potest esse fundamentum entitatis realis, & positivæ, nec ratio formalis terminandi dependentiam realẽ, & positivã, quæ sunt rationes nostræ suppositionis.

14 Quod igitur restat disquirendum, & examinandum, est: an supposito, quod personalitas creata in positiva entitate consistat, possit de potentia Dei absoluta alienam terminare naturam? Qua in re duplex è regione opposita versatur sententia. Prima negans est, quam cum discipulis D. Thomæ tenet Ill. Godoy *num.* 9. *1. Sententia. Ill. Godoy.* Secunda, & vera sententia affirmat: id esse possibile de potentia Dei absoluta, hypotesi data. *2. Sententia. Scotus.* Sic Scotus *in 3. dist. 1. quæst. 1. & 4.* & ego cum ipso.

§. II.

Statuitur conclusio, & probatur evertendo fundamentum Ill. Godoy.

15 *Conclusio. Probatur evertendo fundamentum principale Ill. Godoy.* CONclusio: *dato, quod personalitas creata in positivo consistat, potest de potentia Dei absoluta alienam terminare naturam.* Hæc conclusio probatur primo evertendo fundamentum principale Ill. Godoy: Divina personalitas, prout ab essentia distincta, infinita non est; & tamen terminat plures naturas de facto, nempè, humanam, & Divinam, potestque infinitas terminare: ergo terminatio naturæ alienæ infinitatem in personalitate terminante non exigit, etiam si, quantum est de se, ad naturas numero infinitas terminandas sufficienter extendatur; & consequẽter perperam ex isto capite negatur posse ibi is terminatio naturæ alienæ personalitati creatæ, quia, nempè, infinita non est. Minor cum consequẽtia tenet. Maior autem probatur: si personalitas Divina ratione sui, prout ab essentia distinguitur, & ratione illius, quod addit supra lineam absolutam, esset infinita formaliter, sequeretur, aliquam infinitatem convenire Patri, quæ Filio non conveniret, & è converso; nam Patri conveniret infinitas Paternitatis, & non Filio, & Filio conveniret infinitas Filiationis, quæ non convenit Patri; consequens est falsum; aliàs nec Pater, nec Filius essent in omni linea infiniti: ergo, &c.

16 *Notat pro solutione Ill. Godoy.* Pro solutione huius rationis notat Ill. God. *num.* 61. personalitatem Divinam duo præstare naturæ, quã terminat, & modificat, scilicèt, perfeitatem independentiæ, & perfeitatẽ incommunicabilitatis, quorum primũ, quia perfectio est, & personalitas in propria linea, & secundum explicitũ personalitatis conceptum perfectionem non dicit, non præstat ratione illius, quod explicat, sed ratione subsistentiæ Divinæ absolutæ, quam in se implicitè includit; hæc autem infinitæ perfectionis est; ac proinde personalitas Divina ratione illius potest infinitum effectum præstare, & infinitas terminare naturas: nec sequitur infinitam aliquam perfectionem convenire vni personæ, quæ alteri non conveniat; nam subsistentia absoluta vna, & omnino indivisibilis est, quamvis reali transcendentia in tribus personalitatibus includatur; & consequentèr est tribus personis communis.

Secundum, scilicèt, perfeitatem incommunicabilitatis, præstat personalitas Divina ratione illius, quod explicat, additque supra lineam absolutam; quia hoc perfectionem non dicit: ac proinde præstari potest à personalitate Divina ratione proprij cõceptus expliciti, ad lineam absolutam

superadditi, quamvis ratione illius perfectionem non dicat; adhuc tamē sub hac secunda consideratione personalitas Divina habet quandam rationem infinitudinis, non quidem perfectionis, sed in ratione terminandi naturam. Tum: quia primo terminat naturam Divinam, quę infinita est; ac proindè ipsa debet esse aliqua ratione infinita. Tum: quia in ordine ad naturam creatam., quā secundario terminare potest, habet vim terminandi syncathegorematicè in infinitam, & inexhauribilem à natura creata terminabili per ipsam, quod sine aliqua ratione infinitudinis subsistere nequit.

17 *Respondet.* Iuxta quam doctrinam respondet *num.* 62. distinguendo maiorem: personalitas Divina, quatenus ab essentia distincta, infinita non est, infinitudine perfectionis concedit maiorem; infinitudine terminativa in linea incommunicabilitatis negat maiorem, & concessa minori, negat consequētiam. Ad probationem maioris, quatenus distinctioni traditæ obstare potest, distinguit consequens: aliqua infinitas perfectionis negat sequelam; infinitas aliqua in ratione terminationis, quæ infinitas perfectionis non est concedit sequelam; & sub eadem distinctione minoris negat consequētiam; nā licèt sit inconveniens, quod aliqua infinita perfectio, Filio competens, nō conveniat Patri, aut è contra; quod autem infinitas aliqua in linea non dicente perfectionem conveniat vni, & non alteri ex personis Divinis, nullum inconveniens est: sicut, quamvis inconveniens censeatur a pluribus, quod perfectio aliqua, Patri conveniens, non competat Filio, aut è contra; quod autem entitas aliqua, aut aliqua realitas, Filio conveniens, non conveniat formalitèr Patri, nempè, Filiatio, inconveniens non censetur, sed necessario debet ab omnibus, vt veritas catholica admitti: si namquè Filiatio sub conceptu proprio Filiationis conveniret Patri, prædicaretur de Patre esse Filium, & confunderentur Divinæ personæ.

18 *Respondet ad sequelā.* Ad id autem, quod in probatione additur, nempè, sequi ex doctrina illius: Patrem non esse in omni linea infinitum, respondet *num. cit.* Patrem ratione Paternitatis non esse infinitū in omni linea, sed tantum in propria, scilicèt, Paternitatis: vndè ex hac parte nullum inconveniens est, quod illi infinitas filiationis non competat; ratione vero naturæ, & essentiæ Divinæ, esse infinitum formalitèr in linea naturæ, & essentiæ, & identicè in omni alia linea, quę reperitur in Deo; quia natura Divina cū omnibus, quæ in Deo sunt, sivè absolutis, sivè relativis summam habet identitatem: vndè etiam est identicè infinita infinitudine filiationis; quia tamen hanc infinitatem non petit natura Divina, provt in qualibet persona, necessariū non est, vt illam communicèt Patri: sicut nec infinitatem propriā Paternitatis, cum qua etiam natura identificatur, communicat Filio, quin ex hoc aliqua imperfectio in Patre, vel in Filio sequatur; quia infinitas Filiationis non debetur naturæ Divinæ, vt in Patre, nec infinitas Paternitatis illi debetur in Filio.

19 *Solutio Ill. God. impug natur.* Hæc tamen solutio impugnatur: nā infinitas terminativa personalitatis Divinæ, nec dicit, nec supponit infinitam perfectionem: ergo non est ratio, cur prædicta infinitas repugnet personalitati creatæ. Antecedens est Ill. Godoy in solutione. Consequentia autem probabitur reijciendo responsionem, quam ad hanc replicam adducit hic Doctor.

20 *Respondet.* Respondet itaque *num.* 67. negando consequentiam. Tum: quia personalitati creatæ, non solum infinitas perfectionis repugnat, sed etiam infinitas entitativa, non dicens imperfectionem; licèt autem infinitas terminativa conveniens personalitati Divinæ non sit infinitas perfectionis, est tamen infinitas entitatis, & aliàs imperfectionem non dicit, & consequētèr personalitati creatæ repugnat. Tū etiam: nam infinitas terminativa petit in personalitate, cui convenit, infinitatem etiam sustentativam, vel illi convenientem ratione sui, vel ratione prædicati in ipsa inclusi, & identificati cum illa, quæ perfectionis infinitas est: & quia personalitati creatæ repugnat includere in se infinitam perfectionem, vel cum infinita perfectione identificari, fit consequens, vt etiam illi repugnet infinitas ter-

mi-

minativa, quamvis infinitudinem perfectionis non explicet.

21 *Contra 1.* Contra primo: nulla infinitas, quæ perfectio non est, repugnat creaturæ: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: infinitas in linea locandi, & terminandi, quæ perfectio non est, non repugnat creaturæ: ergo nulla infinitas, quæ perfectio non est, repugnat creaturæ. Probatur prima pars antecedentis; idem locus potest de potentia Dei absoluta circunscrivere duo corpora, vt tenent omnes Thomistæ cum generali omnium Doctorum opinione: ergo potest circunscrivere infinita: ergo infinitas in linea locandi non repugnat creaturæ. Hæc consequentia ex prima infertur. Prima autem constat. Primo: eadem namquè est ratio plurium, ac infinitorũ. Secundo: quia vt docet ex Caietano Ill. Godoy *num.* 31. vbi pluralitas differentiam non facit, nec illam infinitas faceret, si infinitas possibilis esset: ergo si idem locus potest circunscribere duo corpora, poterit & infinita, si infinita possibilia essent.

Probat. 1. pars antecedentis.

22 *2. pars probat.* Probatur secunda pars antecedentis exemplis sequentibus. Primo: nam vnum, & idem subiectum terminare potest dependentiã plurium accidentium, vt patet in lacte, in quo sunt dulcedo, & albedo: ergo terminare põ. est dependentiam infinitorum ob rationem proximè datam: ergo esset infinitum in terminando: ergo infinitas in linea terminandi non repugnat creaturæ. Secundo: idem obiectũ terminat plures visiones: ergo terminare potest infinitas: ergo infinitas in linea terminandi non repugnat creaturç. Tertio: vna Paternitas iuxta Thomistas terminare potest plures, & infinitas filiationes: ergo idẽ, quod prius.

23 *Contra 2.* Ex hisque contra secundo, reijciendo primam rationem solutionis datæ: nam infinitas in linea locandi, & terminandi, quæ infinitas perfectionis non est; alioquin omni creaturæ repugnaret, vel est infinitas entitatis, vel non? Si primum: ergo non repugnat creaturæ infinitas entitatis, & consequentèr, nec personalitati creatæ; ruit quæ allata solutio. Si secundum: ergo sicut stat infinitas in linea locandi, & terminandi, quin sit infinitas entitatis, stabit infinitas terminativa in personalitate creata, quin sit infinitas entitatis: ergo nulla est solutio prędicta.

24 *Contra 3.* Contra tertio, reijciendo secundam rationem solutionis prædictæ: vel infinitas locandi, & terminandi petit in loco, & Paternitate, quibus convenit, infinitatem etiam substentativã, illis convenientem ratione sui, aut ratione prædicati in ipsa inclusi, & cũ illis identificati, vel non? Si primum: ergo prædictam infinitatem habent locus, & Paternitas: ergo eandem infinitatẽ habere potest personalitas creata, & consequentèr ruit solutio. Si secundum: ergo sicut infinitas locandi, & terminandi non petunt in loco, & Paternitate illam infinitatem, nec illã petet infinitas terminativa personalitatis creatæ: nulla igitur ex omni capite est suprà data solutio.

§. III.

Probatur secundo conclusio evertendo idem fundamentum Ill. Godoy.

PRobatur secundo conclusio: persona potens de se subsistere in duabus naturis, non esset in subsistendo infinita: ergo potest persona creata ratione suæ personalitatis subsistere in duabus naturis, & consequentèr nõ implicat persona creata, quæ alienam possit naturã terminare. Secunda consequentia ex prima evidentèr colligitur: nã si potest persona creata in duabus naturis subsistere, cum vna ex illis necessario sit aliena, non implicat persona creata, quæ alienã possit terminare naturam. Prima consequentia ex antecedenti infertur. Antecedens autem, in quo tota est difficultas, probatur. Primo: locus potens de se circunscribere duo corpora nõ est in locando infinitus: ergo paritèr.

25 *Probat. 2. cõclusio idẽ fundament. evertendo.*

Antecedens probat. 1.

Probatur secundo antecedens: persona potens de se subsistere in duabus naturis est persona potens de se terminare dependentiam duarum naturarum; sed persona potens de se terminare dependentiam duarum naturarum non esset in terminando infinita: ergo, &c. Probatur minor primo: subiectum potest de se terminare dependentiam plurium accidentium non est in terminando infinitum: ergo similitèr, &c. Secundo: obiectum potens de se terminare plures visio-

26 *Prob. 2.*

nes non est in terminando infinitum: ergo pariter.

27 *Prob. 3.* Probatur tertio antecedens suprà positũ: Paternitas potens de se terminare plures filiationes nõ est in terminando infinita: similiter: ergo persona potens de se terminare dependentiã duarum naturarum non esset infinita in terminando. Antecedens est communis Thomistarum doctrina, vt diximus. Consequentia est paritate certa.

28 *Probatur 3 cõclusio aliter evertẽdo prædictum fundamentum.* Probatur tertio conclusio, aliter evertendo prædictum fundamentum Ill. God licèt persona potens per naturalem, & innatam virtutem subsistere in duabus naturis, esset in subsistendo infinita; tamen persona potens per potentiam, virtutemque obedientialem subsistere in duabus naturis, non est in subsistendo infinita; atqui, dato casu, quod persona creata posset subsistere in duabus naturis, hoc non posset per naturalem, & innatam virtutem, sed solum per potentiam, virtutemque obedientialem: ergo persona creata potens subsistere in duabus naturis nõ esset in subsistendo infinita. Consequentia est legitima.

29 *Maior ostenditur 1. paritate notoria.* Maior autem ostenditur primo paritate notoria: nam licèt natura potens per naturalem, & innatam potentiam terminari ab vna subsistentia infinita, esset infinita in ratione terminabili; tamen natura potens per potentiam obedientialem terminari ab vna subsistentia infinita non esset infinita in ratione terminabili: ergo pariter. Probatur antecedens: natura humana Christi Domini de facto subsistens per subsistentiam infinitam Verbi non est infinita in ratione terminabili; sed hoc non alia ratione, nisi quia subsistere per subsistentiam infinitam Verbi non convenit naturę per naturalem, & innatam potentiam, sed tantum per obedientialem: ergo, &c.

30 *Ostenditur 2. paritate ex Ill. God. deducta.* Ostenditur secundo dicta maior paritate ad hominem ex Ill. God. deducta: licèt natura potens per naturalem, & innatam potentiam terminari triplici personalitate, esset infinita in ratione terminabili; tamen natura potens per potentiã obedientialẽ terminari triplici personalitate nõ est infinita in ratione terminabili: ergo, &c. Antecedens est Ill. God. *disp. præc. num.* 42. Cõsequentia paritate videtur legitima.

Ad hanc probationem nostrę conclusionis respondet Ill. God *n* 44 negando minorem, imo & suppositum negabit; cuius ratio est: nam forma effectum, quem præstat in genere causæ formalis, non potest præstare per potentiam obedientialẽ, sed solum per virtutem sibi innatam, & potentiam connaturalem; cum ergo terminare, & sustentare naturam proveniat à per sonalitate in genere causæ, vel quasi formalis; non potest talem effectum præbere ratione potentiæ obedientialis, sed solum ratione virtutis sibi connatæ, & potentiæ sibi connaturalis. Et fortè hac doctrina respondebit ad secundam probationem, & ad paritates, quas in ea adduximus.

31 *Respondet Ill. God.*

Cæterum hæc solutio, quam multotiès repetit in præsenti Ill. God. vt ex dicendis apparebit, in falsa omnino nititur intelligentia; nos enim, nec dicimus, nec dicere imaginamus, personalitatem creatam tribuere suum effectum formalem per potentiam obedientialẽ; alioquim posset forma causare effectum proprias vires excedentem, quod est impossibile. Quod autẽ dicimus, est, quod personalitas creata est in potentia obedientiali, vt vniatur naturæ alienæ, semelque vnita, per propriam, sibique innatam virtutem terminare naturam, vt clarebit ex dicendis in discursu disputationis. Sicque potentia obedientiali intellecta.

32 *Solutio Ill. God in falsa nititur intelligentia.*

Impugnatur primo solutio: licèt nequeat forma in genere causæ formalis effectũ præstare per potentiã obedientialem; potest tamen forma esse in potentia obedientiali ad aliquod requisitum, quo posito, effectum formalem præstet per potentiam sibi connaturalem: ergo licèt personalitas creata nequeat terminare alienam naturam per potentiam obedientialem, poterit tamen esse in potentia obedientiali ad aliquod requisitũ, quo posito, naturã alienã terminet per virtutẽ sibi connaturalẽ. Atqui hoc est, quod in præsenti asserimus, vt declaratum manet *num. antec.* ergo vera est nostra probatio, & nulla solutio Ill. Godoy.

33 *Impugnatur 1 illius solutio.*

Antecedens quoad 2. part. probatur. Probatur antecedens quoad secundam partem: reunio animæ rationalis cum corpore; vnio luminis gloriæ cũ intellectu creato, gratiæ habitualis cũ natura intellectuali creata, & vnionis

hypostaticę cum humanitate, est quid requisitum, quo posito, anima rationalis, lumen gloriæ, gratia habitualis, & vnio hypostatica effectum formalem præstent per potentiam sibi connaturalem: ergo potest forma esse in potentia obedientiali ab aliquod requisitum, quo posito, effectum formalem præstet per potentiam sibi connaturalem. Antecedens pro prima parte, scilicèt, quod predicta vnio sit quid requisitum, vt præfatæ formæ effectum formalem præbeant, est manifestum, & fatetur Ill. God. *n.* 48. Quoad secundam verò partem probatur: posita prędicta vnione anima rationalis animat corpus per virtutem, & potentiã sibi connaturalem, vt fatetur hic Doctor *n.* 83. Lumen gloriæ informat intellectum creatum, & gratia habitualis naturam intellectualem creatam per potentiam etiam sibi connaturalem, vt habet *n.* 96. & deniquè humanitas per potentiam sibi connaturalẽ constituit Verbum in esse hominis, vt docet *n.* 103. ergo posito requisito, scilicèt, vnione, anima rationalis, lumen gloriæ, gratia habitualis, & vnio hypostatica effectum formalem præstant per potentiã sibi connaturalem.

34 *Impugnatur 2. solutio.*

Eadem solutio impugnatur secundo: potest forma præstare effectum, quem formaliter causat, non solũ ratione potentiæ sibi connaturalis, sed etiam ratione potentię obedientialis: ergo quamvis personalitas terminet naturã in genere causæ, vel quasi causæ formalis, poterit terminare naturã per potentiam obedientialem: ex quo vlteriùs sequitur, terminationem naturæ alienæ non arguere infinitatem in persona terminante. Secunda consequentia ex suprà dictis infertur: indè namquè infinitatem infert Ill. God. quia non potest personalitas terminare alienam naturam per potentiam obedientialẽ: ergo si hoc est posibile, ex terminatione alienæ naturæ nõ arguitur infinitas in persona terminãte.

Antecedens probatur 1.

Prima consequentia ex antecedenti colligitur. Antecedens autem ostenditur primo: nam anima rationalis à corpore separata est in potentia obedientiali, vt iterum vniatur; non enim est reunibilis corpori per potentiã sibi connaturalem; aliàs resurrectio corporum naturaliter esset posibilis: ergo ad animandum corpus, cui per resurrectionem vnitur, est anima rationalis in potentia obedientiali; animatio autem corporis provenit ab illa in genere causæ formalis; & consequentèr forma ad suum effectum formalem potest concurrere per potentiam obedientialem.

35 *Probat. 2.*

Secundo probatur idem antecedẽs: nam forma cœlestis potest materiam sublunarem informare, & forma sublunaris potest de potentia absoluta informare materiam cœlestem; sed hoc non est posibile prędictis formis per potentiam ipsis connaturalem; aliàs posset naturalitèr contingere, & cœli corruptibiles essent, quod est contra Ill. God. & omnes Thomistas: ergo potest forma effectum formalẽ prędare ratione potẽtię obediẽtialis.

36 *Prob. 3.*

Probatur tertio dictũ antecedens: nã accidens connaturale vni subiecto potest in alio sibi non connaturali recipi de potentia absoluta, vt fatetur Ill. God. *n.* 78. ergo potest accidens cõ naturale vni subiecto, aliud sibi nõ cõnaturale informare, illique suum effectum formalẽ tribuere; sed hoc prędare non potest ratione potentiæ connaturalis; aliàs naturalitèr esset posibile: ergo id præstare potest per potẽtiam obedientialem; & consequentèr potest forma effectum, quem causat in genere causę formalis, causare ratione potentiæ, & obedientialis capacitatis.

37 *Prob. 4.*

Deniquè antecedens suprà positum probatur: humanitas namquè Verbum constituit hominem in genere causæ formalis; & tamen Verbo huiusmodi effectum non præstat per virtutem sibi connaturalem; aliàs Incarnatio naturaliter esset posibilis, & ordinem naturæ non transcenderet, & humanitatem Verbo vniri suprà naturam non esset: ergo verum est antecedens, quod nempè, forma effectum, quem causat in genere causæ formalis, prędare potest per potentiam obedientialem; & consequentèr quamvis personalitas terminet naturam in genere causæ, vel quasi causæ formalis, poterit ad terminandum concurrere ratione potentiæ obedientialis.

38 *Respondet Ill. Godoy ad 1. probationem antecedentis.*

Respondet Ill. God. *n* 83. negando antecedens. Ad primam probationẽ dicit: animam rationalem in ordine ad reunionẽ cum corpore esse in po-

ten-

tentia non naturali, sed obedientiali; in ordine autē ad animandū corpus, præsuppositā reunione cū illo, nō esse in potentia obedientiali, sed id præstare ratione potentiæ sibi connaturalis: ex quo nō sequitur, ad effectū, quem præstat in genere causæ formalis, cōparari per potentiā obedientialē; nam in ordine ad reunionē, ad quam se habet in potentia obedientiali, nō concurrit in prædicto genere causæ, sed in genere causæ subiectivæ, & materialis: in ordine verò ad animandū corpus, præsuppositā reunione cum illo, quem effectū præstat in genere causæ formalis, nō se habet in potentia obedientiali, sed in connaturali potentia. Neque ex hoc sequitur, esse resurrectionē naturalitèr possibilē: nā ad hoc requirebatur, quod reunio animæ ad corpus naturalitèr possibilis esset.

39 *Contra.* Contra: ex ista solutione III. Godoy manifestè sequitur: posse personalitatē creatā esse in potentia obedientiali ad vnionē cum aliena natura, quamvis illam terminet, & sustentet ratione virtutis sibi connaturalis: ex quo vlterius sequitur, quod licèt possit per virtutē sibi connaturalem alienā terminare naturam, indè non inferatur, terminationem naturę alienę esse per causas naturales possibilē. Patet vtraque consequentia à paritate rationis: potest namquè anima rationalis, vt fatetur in solutione III. Godoy, esse in potentia obedientiali ad reunionem cum corpore, & in potentia naturali ad animandū corpus, præsuppositā reunione, quin ex hoc inferatur, resurrectionē esse naturalitèr possibilem, quia reunio cum corpore naturalitèr possibilis nō est: ergo paritèr: poterit personalitas creata esse in potentia obedientiali, vt naturæ alienæ vniatur, & in potentia naturali ad terminandū, & sustentandū naturā alienā, præsuppositā vnione cū illa, quin ex hoc colligatur, posse prædictā terminationē effici per causas naturales, eo, quod vnio, quā præsupponit, supernaturalis est, & excedēs vires omnis naturalis agētis.

40 *Respondet III. God.* Respondet III. God. *n.* 85. negando consequentiā. Ratio discriminis est: nam vnio personalitatis creatæ cū natura aliena est supernaturalis quoad substantiam; non autē potest effectus naturalis dependere à modo substantialitèr supernaturali: connexio enim essentialis cum ente supernaturali entitati naturali repugnat: sicuti repugnat enti supernaturali, quod ab entitate naturali exigatur; ideòque non stat; vnionem personalitatis creatæ cū natura aliena esse supernaturalē, & quod terminatio naturę alienę à personalitate creata naturalis sit, & quod ipsi conveniat ratione sibi innatæ, & connaturalis virtutis; reunio autē animæ rationalis ad corpus solū est supernaturalis quoad modū, & animatio corporis ab anima rationali nō dependet à prædicta reunione essentialitèr, cum animatio prima corporis, quæ eiusdē rationis est cū secunda animatione, ab anima rationali præstetur media vnione naturali; ideòq; potest optimè componi, quod anima rationalis sit in potentia obedientiali ad reunionem sui cum corpore, & quod animationem corporis præstet ratione virtutis sibi connaturalis.

Hęc tamen solutio reijcitur primo: vnio personalitatis creatæ cum natura aliena non est super naturalis quo ad substantiam: ergo ruit solutio III. Godoy. Probatur antecedens: de ratione entis supernaturalis quoad substātiā est, quod superexcedat exigentiā omnis naturæ creatæ, & creabilis; sed vnio personalitatis creatæ cum natura aliena non superexcedit exigentiā omnis creatę naturę, & creabilis: ergo, &c. Consequentia est legitima. Maior est III. God. in præsenti *n.* 46. *& tom.* 1. *in* 1. *part. disp.* 13. *n.* 11. Minor autem, in qua est tota difficultas, probatur: vnio personalitatis cum natura aliena superexcedit solū exigentiam naturæ alienæ; non verò superexcedit exigentiam naturæ propriæ; sed hoc non est superexcedere exigētiam omnis naturæ creatæ, & creabilis: ergo, &c.

41 *Reijcitur solutio hæc* 1

Cōfirmatur, & vrgetur primo: ideò species debitæ Angelo superiori, (quas cū suis admittit III. God.) non sunt supernaturales quoad substantiam, quia licèt sint suprà exigentiā Angeli inferioris, non tamē sunt suprà exigentiā omnis naturæ creabilis; sed vnio personalitatis creatæ cum natura aliena, licèt sit suprà exigentiā naturę alienę; non tamen est suprà exigentiā omnis naturæ creabilis, quia nō est suprà exi-

42 *Confirm.* 1.

sentiã naturæ propriæ: ergo vnio personalitatis creatæ cũ natura aliena nõ est supernaturalis quoad substantiam. Maior est Ill. God. *tom. 1. cit.* Minor, & consequentia tenẽt. Idem argumentũ efformari valet de proprietatibus cũiuscumque Angeli respectu reliquarum substantiarum creatarum.

43 *Confirm. 2.* Confirmatur, & vrgetur secundo: ideo reunio animæ rationalis ad corpus solũ est supernaturalis quoad modũ, quia animatio corporis ab anima est quid naturale, supposita reunione; atqui terminatio naturę ab aliena per sonalitate est quid naturale, suppositа vnione personalitatis cũ natura: ergo vnio personalitatis creatæ cũ natura aliena est solũ supernaturalis quoad modũ: ruit igitur solutio. Probatur minor: ita propriũ, intrinsecũ, & essẽtiale est personalitati terminare naturã, ac est propriũ, intrinsecũ, & essentiale animę animare corpus; sed iuxtà concessa animatio corporis ab anima est quid naturale, suppositа reunione: ergo.

44 *Confirm. 3.* Confirmatur, & vrgetur tertio: vnio animæ rationalis Petri ad corpus Pauli est solũ supernaturalis quo ad modum: ergo vnio personalitatis creatæ cũ natura aliena est solũ supernaturalis quo ad modũ. Antecedens patet: nã ratio probans, revnionẽ animæ rationalis Petri ad corpus Pauli esse solũ supernaturalẽ quoad modũ, convincit etiã vnionẽ animæ rationalis Petri ad corpus Pauli esse solũ supernaturalẽ quoad modum. Consequentia verò probatur: sicut vnio personalitatis cum natura aliena est vnio formę, vel quasi formę cũ materia, vel quasi materia aliena; ita vnio animæ rationalis Petri ad corpus Pauli est vnio formę cũ materia aliena; sed hoc non obstante vnio animæ rationalis Petri ad corpus Pauli est solum supernaturalis quoad modum: ergo, &c.

45 *Reijcitur 2 solutio allata.* Quod si hæc non placuerint, alitèr impugnatur secundo prędicta solutio: dato, quod vnio personalitatis creatæ cum natura aliena sit supernaturalis quoad substantiã: quod vnio personalitatis creatæ cũ natura aliena sit supernaturalis quod substantiã, non tollit, quod personalitas, suppositа vnione, naturaliter terminet naturã alienã, ergo ruit solutio allata. Probatur antecedens: quod productio luminis gloriæ sit supernaturalis quoad substãtiã, non tollit, quod lumẽ gloriæ, suppositа illius productione, naturaliter inhæreat subiecto: ergo pariter. Antecedẽs est manifestũ: omni namque accidẽti naturaliter cõvenit inhærere; alioquin accidens esse sine subiecto non esset quid supernaturale; & consequenter miraculũ nõ esset Eucharisticu Sacramentũ. Consequentia vero probatur: ideo, quod productio luminis gloriæ sit supernaturalis quoad substantiã nõ tollit, quod lumen gloriæ, suppositа illius productione, naturaliter inhæreat subiecto, quia inhærere est omnino accidenti naturale; sed terminare naturam est omnino personalitati naturale: ergo, &c.

46 *Alia impugnatio.* Ex hacque impugnatione alia efformari potest de vnione hypostatica, quę licèt sit supernaturalis quoad substantiã, suppositа tamẽ illius productione, naturaliter, in nostra sententia asserente: esse accidẽs relativũ, inhæret, & refert; & in opinione Ill. God. docentis: esse modũ, naturaliter est subiecto affixa; & deniq; in sententia omniũ asserentiũ: esse vnionẽ; suppositа illius productione, naturaliter vnit. Quæ doctrina latiùs patebit, dũ primũ argumentum Ill. God solvamus.

47 *Ad 2. probationẽ anteced. respondet.* Ad secundã probationẽ antecedẽtis positã *n.* 35. respõdet Ill. God. *n.* 88. negando maiorẽ quoad vtrãque partẽ: sicut enim repugnat, potẽtiã intellectivã suũ obiectũ specificativũ excedere, quod etiã potẽtiæ vitivæ repugnat, & alijs potẽtijs vitalibus; quo circa potentia vitiva nequit percipere Angelũ, etiã de potentia absoluta, nec intellectus creatus posset intuitivè Deũ videre, nisi Deus, vt intuitivè, & clarè visibilis contineretur intra ambitũ obiecti specificativi illius. Ita pariter repugnat cuilibet formæ potentiã aliquam actuare, non contentã intra ambitum sui specificativi essentialis: forma autẽ cœlestis specificatur adæquatè à materia cœlesti, & forma sublunaris a materia sublunari; ideòque nec forma cœlestis potest informare materiam sublunarem, nec forma sublunaris actuare materiam cœlestem, etiam de potentia absoluta.

48 *Contra 1.* Sed contra primo: forma cœlestis non specificatur adæquate à materia cœlesti, nec forma sublunaris à mate-

ria

ria sublunari. ergo ruit solutio. Probatur antecedens: si forma cœlestis specificaretur adæquatè à materia cœlesti, & forma sublunaris à materia sublunari, materia prima cœlestis esset diversæ speciei à materia prima sublunari; sed materia prima cœlestis nō est diversæ speciei à materia prima sublunari: ergo, &c. Maior patet ex terminis. Consequentia est legitima.

Minor verò, in qua est difficultas, est Scoti *in 2. distinct. 1. quæst. 1.* & probatur contra Thomistas omnes ad hominem: si materia prima cœlestis esset diversæ speciei à sublunari, vna esset perfectior alia; quia species sunt sicut numeri; nulla enim est æqualis perfectionis cum alia; sed omnis perfectio est ab actu: ergo nulla erit pura potentia, contra ipsos. Confirmatur: omnis specifica distinctio ab actu provenit specifico; sed materia prima secundum Thomistas nullum habet actum: ergo nec distinctionem specificam: ergo est vna intrinsicè specificè in omnibus.

49 *Contra 2.* Contra secundo: materia prima appetit naturaliter omnes formas: ergo quacumq̃ valet informari: ergo materia prima cœlestis potest informari forma sublunari, & materia prima sublunaris forma cœlesti, & consequentèr ruit prædicta solutio. Omnia sunt vera, si verum est antecedens. Antecedens autem expressè habet Scotus *in 4. dist. 49. quæst. 10. §. respondeo*, vbi tenet, quod datur in homine appetitus naturalis ad claram Dei visionē, quod contra Ill. Godoy demonstravimus *tom. 1. in 1. Sentent. disput. 8.* Idem habet Philosophus 1. *Physicorum textu* 81. dicente: *Materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & fœmina virum*, vltrà quod ratione probatur: quodlibet perfectibile appetit naturaliter suum perfectivum; sed per quamcumq̃ formam est perfectibilis materia prima: ergo materia prima appetit naturaliter omnes formas. Confirmatur: appetitus naturalis est inclinatio, seu propensio ab Authore naturæ insita in suam perfectionem absque vlla prævia cognitione; sed in materia prima datur talis inclinatio, vt claret; ergo materia prima appetit naturaliter omnes formas.

50 *Contra 3.* Denique quando negetur, materiā primam naturaliter appetere omnes formas, quod negabit Ill. Godoy cōtra quod videantur dicta *tom. & disput. cit.* negari nequit, quod in materia prima est capacitas ad quamcumque formam, sicut in natura humana est capacitas ad claram Dei visionem, quod cum omnibus Theologis fatetur Ill. God. *tom. 1. in 1. part. disp. 8. n. 2.* Ex quo contra tertio: in materia prima est capacitas ad quācumque formam: ergo quacumque valet informari: ergo materia prima cœlestis potest informari forma sublunari, & materia prima sublunaris forma cœlesti: ruit igitur allata solutio. Antecedens videtur certum ratione paritatis naturæ humanæ respectu claræ Dei visionis, & hoc modo probatur: maior distantia est inter naturale, & supernaturale, quam inter naturale, & naturale; sed non obstante distantia inter naturale, & supernaturale, qualis reperitur inter naturā humanam, & claram Dei visionem, datur in natura humana capacitas ad clarā Dei visionem: ergo in materia prima inter quam, & formam naturalē datur solum naturalis distantia, erit capacitas ad quamcumque formam naturalem, & consequentèr in materia prima sublunari erit capacitas ad formam cœlestem, & in materia prima cœlesti erit capacitas ad formā sublunarem; cum in eis reperiatur tantum distantia inter naturale, & naturale.

51 *Contra 4.* Contra deniquè: forma supernaturalis informare valet potentiam naturalem: ergo forma naturalis informare potest potentiam naturalem. Antecedens patet in clara Dei visione respectu naturæ humanæ. Consequentia patet: nam magis proportionatur forma naturalis cum potentia naturali, quam forma supernaturalis cum naturali potentia; sed hoc non obstante, potest forma supernaturalis informare potentiam naturalem: ergo forma naturalis informare valebit potentiā naturalem. Sumo nunc: atqui forma cœlestis, & sublunaris: earumquè materiæ, sunt quid naturale: ergo fórma cœlestis informare potest materiam sublunarem, & forma sublunaris materiam cœlestem; consequentèrque nec forma cœlestis specificatur adæquatè à materia cœ-

lesti, nec forma sublunaris à materia sublunari, quæ fuit responsio III. God.

52 *Respondet ad 3.* Ad tertiam probationem antecedentis positam *n.* 36. respondet primo III. Godoy *n.* 91. prætermisso antecedenti, negando consequentiam. Ratio discriminis est: nam accidens dicit duplicem habitudinem ad subiectum, secundum quarum vnam respicit subiectum, vt effectus illius in genere causæ materialis: & quia causa materialis potest per potentiam obedientialem effectum sibi non connaturalem causare, hinc est, quod possit subiectum in se recipere accidens non sibi connaturale, illudque causare materialiter: non per potentiam naturalem, sed ratione potentiæ obedientialis: secundum alium respectū comparatur accidens ad subiectum, vt forma, & in genere causæ formalis, prout, scilicet, ipsum informat, eique præstat suum effectum formalē: & quia in hoc genere causæ non potest effectum proprias vires excedentem causare, & consequenter nec potest per potentiam obedientialem influere; consequens fit, vt non possit accidens subiectum sibi non connaturale informare, quamvis possit recipi in ipso, quæ duplex habitudo ab aliquibus in gratia habituali distinguitur, ita, vt quatenus informans, actum contritionis præcedat, ipsumque efficienter causet, & vt recepta in subiecto, actum contritionis subsequatur, ab illoque in genere causæ materialis, & dispositivæ causetur.

53 *Contra.* Contra: licèt hæc duplex formalitas, duplexque conceptus, seu duplex habitudo in accidenti distinguatur, implicat tamen, quod vnum ex his conceptibus reperiatur sine alio: ergo implicat, posse accidens recipi in subiecto sibi nō connaturali, & quod ipsum non informet: ergo si non implicat, quod accidens, vni subiecto connaturale, in altero recipiatur, neque impleabit, quod informet, & actuet subiectum sibi non connaturale.

54 *Respondet.* Respondet III. Godoy *n* 93. negando antecedens: plures enim docent: posse qualitatem corpoream recipi in subiecto spirituali; cui tamen non potest præstare suum effectum formalem, in quo accidentis informatio consistit: ergo est separabilis de potentia absoluta informatio accidentis ab illius receptione in subiecto.

55 *Contra.* Sed contra: ideo in Angelo componitur posibilitas receptionis accidentis corporei absque informatione ab ipso, & absque eo, quod recipiat illius effectum formalem, quia est incapax talis effectus; sed Petrus v.g. capax est effectus formalis albedinis, quæ est connaturalis Paulo; ergo non stat in Petro capacitas, etiā obedientialis, ad recipiendam albedinē, Paulo connaturalem, sine capacitate, vt ab illa effectum formalem recipiat, albusque constituatur; ac proindē non stat in vno subiecto capacitas ad recipiendū accidens, alteri connaturale, absque capacitate, vt informetur ab ipso. Probatur minor: est enim in Petro capacitas ad effectū formalē albedinis sibi connaturalis; sed albedo cōnaturalis Petro est eiusdē speciei cum albedine Paulo cōnaturali: ergo, &c.

Probatur minor.

56 *Respondet.* Respondet III. Godoy *n.* 95. concessa maiori negando minorem: non enim stat capacitas in subiecto ad recipiendum effectum formalē formæ, absque eo, quod forma habeat vim, ad tribuendum tali subiecto suum effectum formalem; albedo autē connaturalis Paulo non est potens dare effectum formalem Petro, & ideo in Petro non est capacitas receptiva effectus formalis albedinis conuenientis connaturaliter Paulo.

57 *Ad prob. minoris.* Ad probationem minoris concessis maiori, & minori, negat consequētiam; sicut ista consequentia non tenet: *Albedo Petri est eiusdem speciei cum albedine Pauli; est in Petro naturalis capacitas ad propriam recipiendam albedinem: ergo est in illo capacitas naturalis ad recipiendam albedinem Pauli.* Cuius præmissæ sunt veræ, conclusio autem falsa est; alias posset accidens connaturaliter recipi in subiecto extraneo. Ratio est: quia, nempè albedo in ordine ad proprium subiectum comparatur per potentiam naturalem; respectu autē extranei subiecti non habet vim naturalem informativam; alias posset illud naturaliter informare: & cum repugnet formæ, præstare suum effectum in genere causæ formalis, per potentiam obedientialē, fit consequens, vt quamvis albedo Pauli sit eiusdem speciei cum albedine Petri, & hæc

pos-

possit Petro suum effectum formalē tribuere, albedo Pauli non possit Petro suum effectum formalem præstare: ac proinde, nec in Petro sit potentia, adhuc obedientialis, ad recipiendum in se effectum formalem albedinis, convenientis Paulo naturaliter.

58 *Solutio refellitur 1.*

Contra hanc tamen solutionem sic insurgo. Primo: non stat in Petro capacitas ad recipiendam albedinem connaturalem Paulo, quin stet capacitas ad recipiendum effectū formalē illius albedinis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens: non stat in Petro capacitas ad recipiendam albedinē, quin stet in ipso capacitas ad recipiēdum effectū formalē illius: ergo, &c. Antecedens patet: alioquin Petrus non esset capax effectus formalis albedinis ipsi connaturalis. Consequētia probatur: ideò non stat in Petro capacitas ad recipiendam albedinē, quin in ipso stet capacitas ad recipiēdum effectum formalem illius, quia ad vtrumque absolutè est capacitas in Petro; sed hoc ipso, quod in Petro sit capacitas ad vtrumque absolutè, scilicet, ad recipiendam albedinem, & effectum formalem illius, non stat in Petro capacitas ad recipiendam albedinem connaturalē Paulo, quin stet capacitas ad recipiendum effectū formalem illius albedinis: ergo, &c.

59 *Probatur minor.*

Probatur minor: hoc ipso, quod in Petro sit capacitas ad recipiendā albedinem, & effectum formalem illius absolutè, quæcumque albedo Petro communicata reddet illum formaliter album: ergo, &c. Probatur antecedens: effectus formalis albedinis est ipsa albedo subiecto capaci communicata: ergo, &c. Antecedens est certum: nam albedo est forma, cuius formalis effectus est ipsa subiecto capaci communicata. Consequentia legitima apparet, & manifestabitur sequenti impugnatione.

60 *Refellitur 2.*

Insurgo secundo contra prędictam solutionem: si namquè in Petro cum capacitate ad recipiendam albedinem, connaturalem Paulo, non stat capacitas ad recipiendum effectum formalem illius albedinis, Petrus ita est incapax recipiendi effectum formalem albedinis connaturalis Paulo, ac Angelus est incapax recipiendi effectum formalem accidentis corporei, Francisco connaturalis, & lapis recipiendi effectum formalem intellectionis, connaturalis Ioanni. Atqui hoc consonum non videtur: ergo nō stat in Petro capacitas ad recipiendā albedinem connaturalē Paulo, quin stet capacitas ad recipiendum effectū formalem illius albedinis, suppositā capacitate ad recipiendum effectum formalem albedinis ipsi connaturalis: ruit ergo solutio III. Godoy. Maior, & consequentia tenent.

Minor vero probatur: Angelus ita est incapax recipiendi effectū formalē accidentis corporei, Francisco connaturalis, & lapis recipiendi effectum intellectionis, Ioanni connaturalis, vt Angelo repugnet omnis effectus formalis cuiuscumque accidentis corporei, & lapidi repugnet omnis effectus formalis cuiuscumque intellectionis; atqui Petrus non est ita incapax recipiendi effectum formalem albedinis, Paulo connaturalis; alioquin omnis effectus cuiuscumque albedinis Petro repugnaret, quod experientia falsum apparet: ergo non ita Petrus est incapax recipiendi effectum formalem albedinis, Paulo connaturalis, ac Angelus est incapax recipiendi effectū formalē accidentis corporei, Francisco connaturalis, & lapis recipiendi effectum formalem intellectionis, Ioanni connaturalis.

61 *Probatur minor.*

Ratio autem sumitur ex dictis: nam in Petro datur capacitas ad recipiendum effectum formalem albedinis absolutè; at in Angelo non datur capacitas ad recipiendum effectum formalem accidentis corporei absolutè, nec in lapide ad effectum formalem intellectionis absolutè. Hæc autem differentia necessario debet inferre in Petro capacitatem ad recipiendū effectum formalem cuiusqumque albedinis, ad distinctionem Angeli, in quo est incapacitas ad recipiendū quemcumque effectum formalem cuiuslibet accidentis corporei, & ad distinctionem lapidis, in quo etiam est incapacitas ad recipiendum quemcumque effectum formalem cuiuslibet intellectionis, adhuc concessa, vel suppositā in Angelo capacitate ad recipiendum accidens corporeum, & in lapide ad recipiendam intellectionem.

62 *Ratio assignatur.*

Et ex hoc insurgo tertio contra

63

præ-

Reſſellitur 3.

prædictam ſolutionem: licèt iſta conſequentia non teneat: *Albedo Petri eſt eiuſdem ſpeciei cum albedine Pauli; ſed eſt in Petro naturalis capacitas ad propriam recipiendam albedinem: ergo eſt in illo capacitas naturalis ad recipiendam albedinem Pauli*; bona tamen eſt iſta conſequentia: *In Petro eſt capacitas ad effectum formalem albedinis ſibi connaturalis; ſed albedo eſt eiuſdem ſpeciei cum albedine, Paulo connaturali: ergo eſt in Petro capacitas ad effectum formalem albedinis, quæ Paulo eſt connaturalis*; atqui hæc eſt conſequentia, quam negat Ill. Godoy in reſponſione: ergo nulla eſt illius reſponſio. Minor, & conſequentia tenent. Maior autem, in qua vnicè poteſt eſſe difficultas, probanda venit, & pro illius probatione ſuppono: quod omnes perſonalitates ſunt eiuſdem ſpeciei in ratione perſonalitatis, quod, vt verius iudico, & quando Ill. Godod hoc neget, ſuppoſitionem tamen admittere debet. Hoc itaque ſuppoſito.

64 *Probatur maior.*

Maiorem ſic probo: licèt iſta conſequentia non teneat: *Perſonalitas naturæ Petri eſt eiuſdem ſpeciei cum perſonalitate Verbi; ſed eſt in natura Petri naturalis capacitas ad propriam perſonalitatem: ergo eſt in illa capacitas naturalis ad perſonalitatem Verbi*; bona tamen eſt iſta conſequentia: *In natura Petri eſt capacitas ad effectum formalem perſonalitatis ſibi connaturalis; ſed perſonalitas connaturalis naturæ Petri eſt eiuſdem ſpeciei cum perſonalitate Verbo connaturali: ergo eſt in natura Petri capacitas ad effectum formalem perſonalitatis, quæ eſt Verbo connaturalis*: ergo paritèr. Antecedens eſt certum, & de fide, vt conſtat in natura humana Chriſti, quæ ſi non eſſet capax effectus formalis perſonalitatis, quæ eſt Verbo connaturalis, non eſſet per illam perſonata. Cõſequentia paritate evidẽs apparet.

65 *Dices pro Ill. Godoy.*

Dices tamen pro Ill. Godoy, & cum doctrina illius: quod ideo perſonalitas Verbo connaturalis poteſt perſonare naturam Petri, ſicut de facto perſonat naturam Chriſti, quia eſt infinita, quod non habet aliqua perſonalitas creata. Sed licèt hæc ſolutio iam per dicta impugnata maneat, & per infrà dicenda latiùs impugnabitur; nunc tamen brevitèr, & meo videri efficacitèr, contra ipſam inſurgo: ſi in natura Petri non eſſet capacitas ad effectũ formalem perſonalitatis, quæ eſt Verbo connaturalis, etſi perſonalitas Verbi eſſet infinita, non tribueret ſuũ effectum formalẽ naturæ Petri, vt de ſe eſt manifeſtum: ergo quod perſonalitas, Verbo connaturalis, ſit infinita, nõ tollit efficatiam noſtræ rationis; & conſequenter ſolutio non eſt ad rem.

Contra.

Reſpondet ſecundo Ill. Godoy ad tertiam probationem antecedentis n. 96. negando antecedens: nam licèt ſubiectum poſsit per potentiam obedientialem recipere in ſe ipſo, & cauſare materialiter accidens ſupernaturale: ſicut anima ratione potentiæ obedientialis recipit gratiam habitualem, illamque materialiter cauſat; indè tamẽ non colligitur, dari in vno ſubiecto potentiam obedientialẽ receptivam accidentis, alteri connaturalis. Ratio diſcriminis eſt: nã potentia obedientialis eſt in ordine ad id, quod contradictionem non implicat; non autem implicat, accidens ſupernaturale recipi in ſubiecto, cuius exigentiam excedit, imò hoc ipſum eſt de eſſentia accidentis ſupernaturalis; nam licèt ſubiectũ non poſsit exigere accidens ſupernaturale; aliàs ſupernaturale non eſſet, cum non excederet exigentiam naturæ; accidens tamẽ ſupernaturale ab intrinſico petit ſubiectum, cui eſt ſupernaturale, & cuius exigentiam excedit, habetque vim ſibi connaturalem informativam illius, v.g. lumen gloriæ habet ab intrinſico vim informativam intellectus creati, & gratia habitualis ab intrinſico habet vim informativam naturæ intellectualis creatæ, vt ſibi connaturalẽ; ideoque datur in nobis obedientialis capacitas ad recipienda ſupernaturalia accidentia.

66 *Reſpondet 2. ad 3. probat. antecedentis.*

Implicat autem, quod accidens cõnaturale vni ſubiecto ſubiectum ſibi extraneum informet: quia hoc præſtare debet ratione potentiæ obedientialis, quæ formæ convenire non poteſt in ordine ad ſuum effectũ formalẽ: & quia in veriori ſententia, receptioni formæ in ſubiecto eſt annexa eſſentialiter eiuſdem ſubiecti informatio, & quod forma illi præſtet ſuũ effectum formalem; ideò non eſt capacitas obedientialis in vno ſubiecto ad recipiendum accidens, quod alteri ſubiecto convenit naturaliter.

Cæterum hæc ſolutio, vel eſt eadem

67

cum

cum præcedenti, vt ita esse, apparet ex ipsa, & sic sicut præcedens impugnatur; vel si in aliquo distinguitur, vti esse deberet, facilioris esset impugnationis. Vnde contra primo: in vno subiecto est capacitas obedientialis ad recipiendū accidens, quod alteri subiecto convenit connaturalitèr: ergo ruit solutio. Probatur primo antecedens: ex eo, quod accidens non sit cōnaturale alicui subiecto, nequit inferri, quod in illo subiecto non sit capacitas obedientialis ad illud recipiēdum: ergo, &c. Probatur antecedens: ex eo, quod accidens sit connaturale alicui subiecto, solum valet inferri, quod in illo subiecto non sit capacitas naturalis ad illud recipiendum; sed ex eo, quod in aliquo subiecto non sit capacitas naturalis ad aliquid recipiendum, nequit inferri, quod in illo subiecto non sit capacitas obedientialis ad illud recipiendum: ergo, &c. Consequentia est legitima, eorumque præmissæ notoriæ apparent ex diffinitione connaturalitatis.

Contra 1.

68 Probatur secundo dictum antecedens, & contra secundo: accidens, quod est connaturale vni subiecto, potest de potentia Dei absoluta alteri subiecto convenire: ergo in vno subiecto est capacitas obedientialis ad recipiendum accidens, quod alteri subiecto cōnaturalitèr convenit. Probatur antecedens: penetrabilitas actualis est accidens, quod connaturalitèr convenit cuicumque rei spirituali; sed actualis penetrabilitas potest de potentia Dei absoluta convenire rei corporeæ: ergo, &c. Consequentia est bona. Maior est apud omnes certa. Minor eadem ferè gaudet veritate, quam profitetur Ill. Godoy, cum suis asserentibus: posse duo corpora de potentia Dei absoluta esse in eodem loco circunscriptivè, quod sine actuali penetratione repugnat.

Contra 2.

69 Tertio probatur suprà positum antecedens, & contra tertio ad hominē contra Ill. Godoy: in vno subiecto est capacitas obedientialis ad recipiendam formam, quæ alteri convenit connaturalitèr: ergo similitèr, &c. Probatur antecedens: in natura humana Christi Domini est capacitas obedientialis ad recipiendam personalitatem Patris æterni, & Spiritus Sancti, vt habet ipse *disputation. præcedent.* Item: in quacumque natura humana est capacitas obedientialis ad recipiendas tres Divinas personalitates, vt ipse etiam fatetur; atqui Divinæ personalitates sunt tribus Divinis personis connaturales: ergo, &c.

Contra 3. ad hominē contra Ill. Godoy.

Confirmatur etiam ad hominem contra Ill. Godoy: in natura Angelica, & irrationali est capacitas obediētialis ad recipiendam personalitatem Verbi, vt fatetur ipse *tom. 2. in 3. part. disp. 18. num. 4. & 54.* sed personalitas Verbi solum Verbo est connaturalis: ergo in vno subiecto est capacitas obedientialis ad recipiendum accidens, quod alteri subiecto convenit connaturalitèr. Confirmatur secundo: in accidenti, & in forma corruptibili, & materiali, separata à materia, est capacitas obedientialis, vt immediatè vniantur cum Divina existentia, vt ipse defendit *tom. & disput cit. num. 174. & 252.* atqui existentia Divina solum Deo est connaturalis: ergo idem, quod prius.

70 *Confirm. 1. ad homin. etiam.*

Confirm. 2.

Probatur denique prædictum antecedens, & contra tandem: quod in vno subiecto sit capacitas obedientialis ad recipiendum accidens, quod alteri subiecto convenit connaturalitèr, nullum est inconveniens: ergo verum est antecedens suprà positum. Probatur antecedens: si esset aliquod inconveniens, esset, quod forma illi præstaret suum effectum formalē; sed hoc nullū est inconveniens: ergo, &c. Maior est solutio Ill. Godoy, tenentis cum veriori sententia, quod receptioni formæ in subiecto est annexa essentialitèr eiusdem subiecti informatio, ideoque forma illi præstaret suum effectum formalem. Minor verò probatur: nam vel subiectum, in quo illud accidens reciperetur, esset capax effectus formalis illius, vel nō? Si primum: nullum est inconveniens, quod forma illi præstet suum effectū formalem. Si secundū: inconveniens non est, quod forma illi non præstaret suum effectū formalem: ergo nullum est inconveniens. Probatur hoc: nā receptioni formæ in subiecto esse annexam essentialitèr eiusdē subiecti informationē, solum est verū, quando subiectum est capax effectus formalis formæ, vt omnes communitèr

71 *Contra 4.*

do-

docent, & explicant: ergo si subiectum non esset capax effectus formalis formæ, inconveniens non esset, quod forma illi non præstaret suum effectum formalem.

72 *Respondet ad 4 prob. antecedentis.* Ad quartam antecedentis probationem positam *num.* 37. respondet Ill. Godoy *num.* 100. concessa maiori de forma non partiali, sed totali, non de forma, Verbū informante intrinsicè, sed de forma, constituente Verbum in ratione hominis, absque illius intrinsica informatione, negando minorem; nam licèt sustentari à Verbo, illique hypostaticè vniri, supernaturale humanitati sit, illique conveniat ratione potentiæ obedientialis; sustentatione tamen, & vnione præsuppositis, Verbum hominem constituere non convenit humanitati ratione potentiæ obedientialis, sed ratione sibi innatæ, & connaturalis virtutis; nam Verbum constituit hominem ratione eiusdem virtutis, per quam nos constituit homines, nec ratio hominis competens Verbo Divino est supra humanitatis naturam, licèt illi vniri, abeoque sustentari, humanitatis naturā excedat: vndè semper manet verum: formam ad suum effectum formalem non posse concurrere per potentiam obedientialē; nam humanitas in ordine ad vnionē, & sustentationem à Verbo, ad quæ se habet obedientialitèr, non concurrit, vt causa formalis; in ordine vero ad constituendum Verbum in ratione hominis, quod præstat, vt forma, non se habet obedientialitèr, sed connaturalitèr, vnione indebita, & supernaturali suppositā.

73 *Reijcitur solutio.* Reijcitur tamen hæc solutio: nam iuxta Ill. Godoy potest humanitas in ordine ad vnionem cum Verbo cōparari obedientialitèr, & in ordine ad constituendum ipsum in ratione hominis comparari naturalitèr, hoc est, ratione potentiæ sibi connaturalis: ergo etiā personalitas creata poterit ratione potentiæ obedientialis alienæ naturæ vniri, semel tamen illi vnita vnione sibi supernaturali, ratione potentiæ connaturalis illā terminare, personare, & sustentare. Probatur consequentia primo paritate rationis. Secundo: quia illa doctrina admissa, cōceditur in humanitate vis naturalis informativa, subconditione vnionis indebitæ, & supernaturalis formæ cum subiecto informando: ergo dari etiam poterit vis naturalis terminativa, & sustentativa naturæ, sub simili conditione, scilicèt, vnionis indebitæ, & supernaturalis personalitatis cum natura terminanda.

Consequentia probatur 1. Secundo.

74 *Tertio:* Tertio probatur consequentia prędicta: nam eadem doctrina humanitatis suppositā, conceditur effectus formalis formæ, qui supernaturalis non est, exigens essentialitèr vnionē indebitam, & quo ad substantiam supernaturalem: ergo poterit terminatio naturæ alienæ esse naturalis quo ad substantiam, & exigere essentialitèr, atque essentialitèr præsupponere vnionē personalitati non debitā, & supernaturalē quoad substantiā.

75 *Respondet Ill. Godoy.* Respondet Ill. Godoy *num.* 102. negando consequentiam, ad cuius primam probationem negat paritatem rationis; nā in humanitate est duplex comparatio cum Verbo: prima terminabilis, sustentabilisque ab ipso, & ex hoc capite se habet obedientialitèr ad vnionem cum Verbo. Secunda comparatio est formæ constituentis Verbum in ratione hominis, ex qua præcisa ratione non potest se habere in potentia obedientiali, ob rationem sæpè inculcatam, quia, nempè, forma ad effectum suum formalē nō potest concurrere ratione potentiæ obedientialis. Quæ duplex consideratio in personalitate creata in ordine ad alienam naturam distinguibilis non est, & ideò consequentia facta non tenet.

76 *Contra.* Contra: illa duplex comparatio humanitatis cum Verbo, proportione servata, distinguitur etiam in personalitate creata in ordine ad alienā naturam: ergo tenet paritas, & solutio ruit. Probatur antecedens: prima comparatio personalitatis creatæ in ordine ad alienam naturam est, esse vnibilem cum illa, & ex hoc capite se habet obedientialitèr ad vnionem cū illa. Secunda comparatio est formæ constituentis naturā in esse personæ, ex qua præcisa ratione non potest se habere in potentia obedientiali, ob rationem datam *num.* 32. & sæpè ab Ill. Godoy inculcatam; sed hæc est illa duplex comparatio hu-

ma-

manitatis cum Verbo, proportione ſervata: ergo illa duplex comparatio humanitatis cum Verbo, proportione ſervata, diſtinguitur etiam in perſonalitate creata in ordine ad alienā naturam. Probatur minor: ſicut humanitas, quia terminabilis, & ſuſtentabilis à Verbo, ſe habet obedientialitèr ad vnionē cum Verbo, ita perſonalitas creata, quia vnibilis cum natura aliena, ſe habet obedientialitèr ad vnionē cum illa; & ſicut humanitas, quia conſtituit Verbum in ratione hominis, habet rationem formæ; ita perſonalitas creata, quia conſtituit naturā alienam in eſſe perſonæ, habet rationē formæ: ergo duplex comparatio perſonalitatis creatæ in ordine ad alienam naturā eſt illa duplex comparatio humanitatis cū Verbo, proportione ſervata.

77 *Ad 2. probat conſequentiæ reſpondet.*

Ad ſecundam probationem conſequentiæ reſpondet III. God. *num.* 103. negando conſequentiā; nam humanitas non poteſt Verbum in ratione hominis conſtituere, niſi ab ipſo terminata, & ſubſtentata: & quia ad hanc ſuſtentationem humanitatis à Verbo, vnio ſupernaturalis exigitur, fit conſequens, vt non poſsit exercere vim formalem conſtitutivam Verbi in eſſe hominis, niſi præſuppoſita vnione ſupernaturali cum illo, exacta ab humanitate, vt ſuſtentata à Verbo, quod eſt aliquid ſuprà eius naturam: non autē exacta formalitèr ab ipſa, vt potente hominem conſtituere in genere cauſę formalis, quod ſuprà illius naturam non eſt: in terminatione autem naturæ alienæ à perſonalitate creata nihil datur, niſi effectus formalis perſonalitatis terminantis, qui reſpectu illius ſupernaturalis eſſe non poteſt, ſed naturalis; ac proindè nec poteſt cōnecti cum vnione ſubſtantialitèr ſupernaturali, nec illā ab intrinſico exigere; eſt enim de ratione entis ſupernaturalis omnis naturæ exigentiā excedere.

78 *Contra.*

Contra: nam, quod de humanitate reſpectu Verbi fatetur III. Godoy in ſolutione, de perſonalitate creata reſpectu alienæ naturę, proportione ſervata, verificatur: ergo tenet paritas, & ſolutio ruit. Probatur antecedens, formando de perſonalitate, quod de humanitate format III. Godoy: nā perſonalitas creata non poteſt alienā naturam in ratione perſonæ conſtituere, niſi cum ipſa vniatur, & quia ad hanc vnionem perſonalitatis creatæ cū natura aliena, vnio ſupernaturalis exigitur, ſit conſequens, vt nō poſsit exercere vim formalē conſtitutivam alienæ naturæ in eſſe perſonæ, niſi præſuppoſita vnione ſupernaturali cum illa, exacta à perſonalitate, vt vnibili cum natura aliena, quod eſt aliquid ſuprà eius naturam; non autem exacta formalitèr ab ipſa, vt potente alienam naturam terminare, quod ſuprà naturam illius non eſt: ergo quod de humanitate reſpectu Verbi ipſe fatetur in ſolutione, de perſonalitate creata reſpectu alienæ naturæ verificatur.

79 *Confirm. & vrgetur.*

Confirmatur, & vrgetur: in terminatione naturæ alienæ à perſonalitate creata aliquid datur præter effectū formalem perſonalitatis terminantis, qui naturalis eſt: ergo nulla eſt ſolutio. Probatur antecedens: in terminatione naturæ alienæ à perſonalitate creata datur vnio cum illa, effectum formalem terminationis præcedens, vt eſt manifeſtum: ergo in terminatione naturæ alienæ à perſonalitate creata aliquid datur præter effectum formalem perſonalitatis terminantis, qui naturalis eſt.

80 *Ad 3. reſpondet.*

Ad tertiam eiuſdem conſequentiæ probationem reſpondet *num. cit.* negando antecedens: nam effectus formalis humanitatis, ſcilicèt, hominis conſtitutio, quem naturalem eſſe aſſerit, non exigit eſſentialitèr ſupernaturalem vnionem, nec humanitas illam ab intrinſico exigit, provt formalitèr conſtitutiva hominis, ſed provt ſuſtētabilis à Verbo Divino, quod ab humanitate, vt à cauſa formali non eſt, neque effectus formalis illius; ex qua doctrina non ſequitur, dari effectum formalem intrinſicè naturalem, exigentem aliquid ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & cum illo connexum.

81 *Contra.*

Sed licèt hæc doctrina vera ſit, noſtram tamē non infringit, quin potiùs probat. Vndè ſolutionem admitto, & idem de perſonalitate reſpectu alienæ naturæ formo: nam effectus formalis perſonalitatis, ſcilicèt, naturæ perſonatio, quem naturalem eſſe aſſerimus, non exigit eſſentialitèr ſupernaturalem vnionem, nec perſonalitas illam ab intrinſico exigit, provt formalitèr terminativa naturæ, ſed provt

vni-

vnibilis cū natura aliena, quod à personalitate, vt à causa formali non est, neque effectus formalis illius: ergo ex nostra doctrina non sequitur, dari effectum formalē intrinsicè naturalem, exigentē aliquid supernaturale quoad substantiā, & cum illo connexum.

§. IV.

Probatur quarto conclusio evertendo secundum fundamentum Ill. Godoy.

82 *Probat. 4. concl. evertēdo 2. fundam Ill. Godoy.*

PRobatur quarto conclusio, evertendo secundū fundamentum Ill. Godoy: terminatio alienæ naturæ non petit infinitatem in personalitate terminante: ergo quamvis personalitas creata non infinita, sed limitata sit, poterit alienam terminare naturam, & consequentèr malè ex isto capite talem terminationem impossibilem iudicat Ill. Godoy. Consequentia tenet ex dictis. Antecedens ostenditur primo: nam terminatio alienæ naturæ non est infinitus effectus: ergo non petit infinitatem in forma, illum potente præstare.

Antecedens probatur 1.

83 *Secundo.*

Secundo probatur idem antecedens: sustentatio alieni, & extranei accidentis non petit infinitatem in subiecto sustentante; anima enim rationalis gratiam recipit, & sustentat, quæ accidens alienum est, hoc est, non cōnaturale, sed suprà naturam illius. Potest etiam substantia creata recipere, & sustentare, nedum connaturalia, & sibi propria accidentia, sed etiam illa, quæ sibi propria non sunt, sed alteri subiecto debentur; & consequentèr sunt extranea substantiæ, ipsa recipiēti, & sustentanti: ergo paritèr: terminatio, aut sustentatio alienæ, & extraneæ naturæ infinitatem non arguit in personalitate terminātē, & sustentātē.

84 *Respondet Ill. Godoy.*

Ad hanc rationem respondet Ill. Godoy *num. 77.* negando antecedens, ad primam illius probationem distinguit antecedens: terminatio alienæ naturæ non est infinitus effectus in ratione entis concedit antecedens; in ratione effectus formalitèr negat antecedens, & consequentiam: vt enim in causa ex effectu arguatur infinitas, & ab effectu petatur, non requiritur, quod effectus sit infinitus entitativè: sed sufficit, quod in ratione effectus sit infinitus, vt in termino creationis constat, qui entitativè infinitus non est, & tamen in causa creante arguit, petitque infinitatem. Constat etiam in gratia habituali, quæ finita est in genere entis; & tamen in causa principalitèr sui effectiva infinitatem per essentiam exposcit. Vnio etiam hypostatica in linea entis finita, & limitata est; & tamen in ratione effectus est infinita; quo circa nulla creatura potest illam principalitèr efficientèr causare. Denique constat in ipsa terminatione alienæ naturæ, quæ efficientèr principalitèr non potest causari ab aliqua causa creata, & consequentèr in ratione effectus causæ efficientis infinita est, quamvis entitativè finita, & limitata sit. Idem ergo asserit Ill. Godoy de tali terminatione in ordine ad causam formalem, nempè, quod licèt entitativè sit finita; in ratione tamen effectus est infinita, & ideò in personalitate terminante arguit, petitque infinitatem.

85 *Solutio, & illius exempla non sunt ad rem.*

Video solutionem Ill. Godoy, & nifallor, video non esse ad rem; quia ad rem non sunt exempla, quibus solutionem firmare conatur. Ratio est: nam terminus creationis, gratia habitualis, vnio hypostatica, ipsaque terminatio alienæ naturæ, dato, quod infinita sint in ratione effectus, sunt infinita in ratione effectus causæ efficientis, de quo hic non loquimur; loquimur enim determinatione alienæ naturæ in ratione effectus causæ formalis, vel quasi formalis: ergo nec solutio, nec exempla sunt ad rem. Sed quia Ill. God. idem asserit determinatione alienæ naturę in ordine ad causam formalē, ac in ordine ad causam efficientem, solutio illius.

86 *Impugn. 1.*

Impugnatur primo: stat, quod effectus sit infinitus in ratione effectus causæ efficientis, quin sit infinitus in ratione effectus causæ formalis: ergo stat, quod terminatio alienæ naturæ sit infinita in ratione effectus causæ efficientis, quin sit infinita in ratione effectus causæ formalis: ergo ruit solutio. Probatur antecedens primo paritatibus ipsius Ill. Godoy: sanctificare proveniens à gratia habituali, & vnire proveniens ab vnione hypostatica, sunt effectus infiniti in ratione effectus causæ efficientis, quin sint

Antecedens probatur 1.

in-

infiniti in ratione effectus causæ formalis: ergo, &c.

Prima pars antecedentis probatur: ideò iuxtà III. God. terminatio alienæ naturæ est infinita in ratione effectus causæ efficientis, quia efficientèr principalitèr non potest causari ab aliqua causa creata; atqui sanctificare, & vnire hypostaticè nequeunt efficientèr principalitèr causari ab aliqua causa creata, vt ipse etiam fatetur: ergo &c. Secunda pars antecedentis claret; alioquin gratia habitualis, & vnio hypostatica tribuerent in genere causæ formalis effectum infinitum, quod est omninò falsum.

87 *Prob. 2.* Probatur secundo dictum antecedens: animatio corporis, proveniens ab anima reunita corpori, est effectus infinitus in ratione effectus causę efficientis, quin sit infinitus in ratione effectus causæ formalis: ergo, &c. Consequentia est legitima. Antecedens est III. Godoy *n.* 83. *Prob. 3.* Probatur tertio prædictũ antecedens exemplo occuli cæco restituti, quod adducit III. Godoy *num.* 46. & omitto alia plurima, quæ facilè ex dictis invenire possunt, & iuxtà dicta formari.

88 *Impugn. 2. solutio.* Impugnatur secundo allata III. Godoy solutio: terminatio alienæ naturæ est effectus infinitus in ratione effectus causę formalis: ergo terminatio alienæ naturæ est effectus infinitus in ratione entis. Antecedens est solutio III. Godoy. Consequentia probatur: nullus effectus est infinitus in ratione effectus causæ formalis, qui non sit infinitus in ratione entis: sed iuxtà concessa terminatio alienæ naturæ est effectus infinitus in ratione effectus causæ formalis: ergo, &c. Probatur maior: nullus effectus est infinitus in ratione effectus causæ formalis, qui non proveniat in genere causæ formalis à forma infinita in esse entis; sed omnis effectus proveniens in genere causæ formalis à forma infinita in esse entis, est infinitus in ratione entis: ergo, &c. Syllogismus perfectus apparet in forma, ideò legitima est consequentia.

89 *Maior patet 1. paritate.* Ex præmissis autem maior patet primo hac paritate: nullus effectus est infinitus in ratione effectus causę efficientis, qui non proveniat in genere causæ efficientis ab agente infinito, vt patet exemplis ab III. Godoy in solutione adductis: ergo paritèr. Secundo patet ratione: si aliquis effectus esset infinitus in ratione effectus causæ formalis, qui non proveniret in genere causæ formalis à forma infinita in esse entis, posset forma in genere causæ formalis causare effectum, proprias vires illius excedentem, quod est contra III. Godoy *num.* 91. & alibi; multotiès enim hoc in præsenti repetit: ergo. *Patet 2. ratione.*

Minor patet primo exemplis: nam Deum esse intelligentem, volentem, æternum, immensum, &c. qui sunt effectus, vel quasi effectus, provenientes in genere causę formalis à forma infinita in esse ētis, sunt infiniti in esse entis: ergo, &c. Patet secundo ad hominem contra III. God. omnis effectus proveniens in genere causæ formalis à forma infinitâ morali, est infinitus in esse moris: ergo paritèr. Consequentia constat paritate rationis. Antecedens verò est III. Godoy in præsenti *disp. 1. per tot.* asserentis: ideò peccatum mortale in ratione offensę esse simplicitèr infinitum in esse moris, quia persona offensa gravificat offensam, vt forma moralis infinita, idemque asserit ibi, & in proprijs locis de satisfactione, merito, & qualibet Christi operatione, scilicet, quod est infinita in esse moris, quia persona Verbi valorat omnes Christi operationes per modum formę moralis infinitę. Deniquè ratione patet: nam omnis effectus proveniens in genere causæ formalis à forma infinita in esse entis, est ipsa forma communicata: ergo, &c.

90 *Minor patet 1. exemplis.* *Patet 2. ad hominem.* *3. Patet ratione.*

Impugnatur tertio prædicta solutio III. God. terminatio alienæ naturæ nõ est infinitus effectus in ratione effectus formalitèr: ergo ruit solutio. Antecedens probatum manet *à n. 25. vsque ad n 30.* & vltrà ibi dicta ostenditur: non requiritur infinitas ad personandam alienam naturam: ergo, &c. Probatur antecedens: ad hoc, quod est personare, sufficit, quod personalitas creata habeat, quod habet in se; sed quod in se habet, non est infinitum: ergo, &c. Consequentia optima apparet. Maior videtur certa; nam ad hoc, quod est personare, sufficit, quod personalitas sit vltimũ complementũ naturę, quod in se habet, creata personalitas. Minor cõstat; alioquin propriâ naturâ personando esset infinita, quod est falsum.

91 *Impug. 3.*

92 *Ad 2. prob. anteced. respondet.*

Ad secundam antecedentis probationem respondet Ill. Godoy *num.* 78. concesso antecedenti de receptione accidentis supernaturalis, illiusque sustentatione, & permissio quoad receptionem, & sustentationē accidentis extranei, negat consequentiam. Ratio discriminis est: nam subiectum sustentare, & recipere potest accidentia ratione potentiæ obedientialis: nam potest materialitèr causare formas supernaturales, penès ordinem ad quas potentia obedientialis constituitur; ex effectu autem ab aliqua causa præstabili per potentiam obedientialem, non arguitur infinitas in causa, illum potente præstare; forma verò, cum non possit in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalē causare, non potest id, quod præstat in genere causæ formalis, præstare per potentiam obedientialem: sed necessario ad omne, quod causat formalitèr, concurrit per virtutem sibi innatā, & per potentiam sibi connaturalem: vndè, cum personalitas in ordine ad terminationem, & sustentationem naturæ concurrat in genere causæ formalis, si alienam terminaret naturam, id præstaret, nō ratione potentię obedientialis, sed per virtutem sibi innatam, & sibi connaturalem: ex quo infinitatē colligi in persona terminante, manet probatū ab ipso, inquit Ill. God.

93 *Reijcitur 1 responsio.*

Hanc tamen solutionem non esse ad rem, ostendimus *num.* 32. & per sequentia, vsque ad finem illius §. illam impugnavimus, & nunc brevitèr reijcitur primo: subiectum potest recipere formas, sivè naturales, sivè supernaturales ratione potentiæ obedientialis: ergo ruit solutio. Consequentia patet: nam natura se habet, vt subiectum respectu personalitatis creatæ, quæ se habet, vt forma illius. Antecedens pro prima parte probatur: Corpus est subiectum animæ, quæ est forma naturalis, & oculus est subiectum visus, qui est forma oculo naturalis; sed corpus mortuum potest ratione potentiæ obedientialis recipere animam, & oculus cæcus visum: ergo subiectum potest recipere formas naturales ratione potentiæ obedientialis. Pro secunda parte conceditur antecedens ab Ill. Godoy in responsione, & patet in natura humana, quæ ratione potentiæ obedientialis recipit vnionem hypostaticam, quæ est forma supernaturalis.

94 *Reijcitur 2*

Reijcitur secundo: licèt, vt forma præstet suum effectū in genere causæ formalis, requiratur aliquando vnio supernaturalis illius cū subiecto, numquam tamen forma præstat in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalē: ergo licet, vt personalitas creata præstet suū effectū in genere causæ formalis, requiratur aliquādo vnio supernaturalis illius cū subiecto, nempè cū natura aliena, numquā tamē præstat in genere causæ formalis effectum sibi supernaturalē: ergo falsum supponit solutio data. Omnia constāt in anima reunita corpori, visu restituto cæco, & in humanitate constituente Verbum hominem, in alijsque pluribus, in discursu disputationis traditis.

§. V.

Primum argumentum Ill. Godoy diluitur.

95 *Arguit 1.*

OMisso argumento, quod ex D. Thom. Autoritate adducit Ill. God. *n.* 23. arguit primo principalitèr *n.* 31. ratione Durandi, & Caietani ad hanc formā redacta: Persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistēdo infinita; sed implicat persona creata infinitæ subsistentiæ, vel in subsistendo infinita: ergo implicat persona creata potens ratione suę personalitatis subsistere in duabus naturis; & consequentèr implicat, persona creata, quæ alienam possit naturam terminare.

Secunda consequentia ex prima evidentèr colligitur; nam persona in natura aliena subsistens, cum etiam subsistat in propria, subsistit necessario in duabus naturis: ergo si implicat persona creata potens ratione suę personalitatis simul in duabus naturis subsistere, implicat persona creata potens subsistere in aliena natura. Prima consequentia ex prēmissis infertur. Minor est certa. Maior probatur: persona potens de se subsistere in duabus naturis, potest subsistere in infinitis, sub conditione, quod essent; sed persona potens de se subsistere in infinitis naturis, est in subsistendo infinita: ergo persona potens de se subsistere in duabus naturis, est infinita in subsistendo.

Ma-

96 Maior autem probatur: nam vbi pluralitas differentiam non facit, nec illam infinitas faceret, si infinitas possibilis esset: ergo si pluralitas naturarum non obstat, vt persona ex vi vnius subsistentiæ subsistat in illis, nec infinitas naturarum obstabit, si possibilis esset, vt in infinitis subsisteret; & consequenter persona potens de se subsistere in duabus naturis est etiã potens de se subsistere in infinitis.

Probatur minor. Minor autem, quod, scilicet, posse quantum est de se in infinitis naturis subsistere, infinitatem exigat in subsistentia, non probat Caietanus, sed tanquam notam supponit; potest tamen efficacitèr satis probari: nam subsistentia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita, est infinita in ratione subsistentiæ, cum in nullo alio subsistentia consistat, quam in vi terminativa, & sustentativa naturæ; sed subsistentia personæ potentis de se subsistere in naturis infinitis, necessario gaudet vi terminativa, & subsistentativa infinita: sicut virtus effectiva potens, quantum est de se in effectus syncathegorematicè infinitos, necessario est infinita in ratione virtutis effectivæ: ergo persona potens, quantum est de se, subsistere in infinitis naturis, necessario est infinitæ subsistentiæ, & consequentèr in subsistendo infinita.

97 *Respondeo 1* Respondeo primo ad argumentum distinguendo maiorem: persona potens de se per naturalem, & innatam virtutem subsistere in duabus naturis, esset in subsistendo infinita concedo maiorem; persona potens per potentiam, virtutemque obedientialem subsistere in duabus naturis, esset in subsistendo infinita nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo maiorem: persona potens de se subsistere in duabus naturis potest subsistere in infinitis, sub conditione, quod essent, eomodo, quo posset subsistere in duabus concedo maiorem; alio modo nego maiorem; distinguoque minorem: persona potens de se per naturalem, & innatam virtutem subsistere in infinitis naturis, esset in subsistendo infinita concedo minorem; persona potens per potentiam, virtutemque obedientialem subsistere in infinitis naturis, esset infinita in subsistendo nego minorem, & distinguo consequens, vt distinxi.

98 *Ad probat. minoris.* Ad probationem autem minoris distinguo maiorem: subsistentia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita naturali, & innata est infinita in ratione subsistentiæ concedo maiorem; subsistentia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita per virtutem, & potentiam obedientialem est infinita in ratione subsistentiæ nego maiorem; distinguoque minorem: subsistentia personæ potentis de se subsistere in naturis infinitis, necessario gaudet vi terminativa, & sustentativa, per virtutẽ naturalẽ, vel obedientialẽ concedo minorem; per virtutẽ naturalẽ præcisè subdistinguo: subsistentia personæ potentis per virtutem naturalem subsistere in naturis infinitis concedo minorem; potentis per virtutem obedientialem nego minorem, & distinguo consequens, vt distinxi.

99 Ex hisque ad paritatem de virtute effectiva potente, quantum est de se, in effectus syncathegorematicè infinitos, concedo, quod esset infinita in ratione virtutis effectivæ, & nego paritatem de virtute terminativa. Disparitas igitur (alijs pro nunc omissis) est: quia virtus effectiva ad effectus syncathegorematicè infinitos est naturalis, & innata causæ; ideoque esset infinita; at virtus terminativa infinitarũ naturarũ non est naturalis, & innata personalitati creatę, ideòq; nõ esset infinita.

100 *Replicat Ill. God.* Contra hanc solutionem replicat Ill. Godoy *num* 44. forma namquè effectum, quem præstat in genere causæ formalis, non potest præstare per potentiam obedientialem, sed solum per virtutem sibi innatam, & potentiam connaturalem; sed terminare, & sustentare naturam provenit à personalitate in genere causæ, vel quasi causæ formalis: ergo non potest talem effectum præbere ratione potentiæ obedientialis, sed solum ratione virtutis sibi congenitæ, & potentię sibi connaturalis. Minor cum consequentia tenet. Maiorem probat: nam potentia obedientialis est in ordine ad illa, quę sunt supernaturalia, & excedunt facultatem naturæ; sed effectus ab aliqua forma proveniens in genere causæ formalis non potest illius facultatem naturalem excedere, nec respectu

illius esse supernaturalis : ergo , &c.

Maior,& consequentia probatione non indigent. Minor autem probatur: effectus enim formalis non potest propriam formam excedere excessu essentiali,vel graduali intensione;quo circa,calor, vt quatuor, nec de potentia absoluta potest formaliter constituere calidum,vt quinque,quia calidum,vt quinque,excedit in graduali intensione calorem,vt quatuor;nec albedo,v. g. quæ inferior est essentialiter forma substantiali,potest effectum formalem præstare in essentiali perfectione adæquantem effectum,à forma substantiali formaliter proveniente : ergo nec potest effectus formalis excedere excessu ordinis formam, à qua provenit formaliter, & consequenter non potest illius facultatem excedere , nec respectu illius esse supernaturalis.

101 *Respondeo.*

Respondeo ad replicam distinguendo maiorem : forma effectum , quem quoad substantiam præstat in genere causæ formalis,nō potest præstare per potentiam obedientialem , sed solum per virtutem sibi innatam,& potentiā connaturalem concedo maiorem;effectum, quem præstat quoad modum nego maiorem ; ad cuius probationē distinguo etiam maiorem : potentia obedientialis est in ordine ad illa,quę sunt supernaturalia,&excedunt facultatem naturæ quoad substantiam , & quoad modum concedo maiorem; quoad substantiam præcisè nego maiorem; distinguo minorem : effectus quoad substantiam ab aliqua forma proveniens in genere causæ formalis non potest illius facultatem naturalē excedere,nec respectu illius esse supernaturalis concedo minorem ; quoad modum nego minorem;ad cuius probationem concesso antecedenti nego consequentiam. Disparitas est:nam excessus essentialis , vel gradualis in intensione in effectu formali est excessus quoad substantiam;excessus tamen ordinis potest esse excessus quoad modum,vt in præsenti contingit.

102 *Explicatur solutio.*

Itaquè potentia obedientialis non solum est respectu effectuum supernaturaliū quoad substantiam , sed etiam comparatione supernaturaliū quoad modum;licèt autem effectus formalis formæ non possit esse supernaturalis quoad substantiā per comparationem ad formam,cuius est effectus formalis, nec quoad substantiā illius facultatem excedere,quod replica III. God. convincitur;potest tamen esse comparativè ad illa supernaturalis quoad modū, vt cōtat in reanimatione corporis ab anima rationali, quæ est supernaturalis quoad modum:reunio etenim animæ cum corpore non est illi connaturaliter debita;aliàs resurrectio esset per vires agentis naturalis possibilis; & tamen reanimatio corporis provenit ab anima rationali in genere causę formalis: sicut corporis animatio ab illa in genere causæ formalis præstatur:potest ergo forma ratione potentiæ obedientialis formalem aliquem effectum præstare ; ac proindè, quod terminatio alienæ naturæ præstanda sit à personalitate creata in genere causæ formalis,nō probat, nō posse ab illa præstari per obedientialē potētiā.

103 *Retorque replicam.*

Ex hacque solutione retorqueo replicā : forma namque effectum, quem præstat in genere causæ formalis,non potest præstare per potentiā obedientialē,sed solū per virtutē sibi innatā,& potentiā connaturalē; sed reanimatio corporis ab anima rationali in genere causæ formalis provenit: ergo nō potest talē effectū præbere ratione potētiæ obedientialis,sed solū ratione virtutis sibi congenitæ , & potentiæ sibi connaturalis. Minor,& consequentia tenet. Maior probatur:nam potentia obedientialis est in ordine ad illa,quę sunt supernaturalia,&excedunt facultatē naturæ;sed effectus ab aliqua forma proveniens in genere causæ formalis non potest illius facultatem naturalem excedere, nec respectu illius esse supernaturalis:ergo,&c.

Maior,& consequentia probatione non indigent. Minor probatur:effectus formalis non potest propriam formam excedere excessu essentiali, vel graduali intensione ; quo circa calor, vt quatuor , nec de potentia absoluta potest formaliter constituere calidū, vt quinque,quia calor,vt quinque excedit in graduali intensione calorem, vt quatuor; nec albedo, quæ inferior est essentialiter forma substantiali,potest effectum formalem præstare in essentiali perfectione adæquantem effectum à forma substantiali formaliter provenientem:ergo nec potest effectus

fectus formalis excedere excessu ordinis formam, à qua provenit formaliter, & consequenter non potest facultatem illius excedere, nec respectu illius supernaturalis esse.

104 *Replicat Ill. Godoy.* Replicat Ill. God. *n.* 46. nam saltim verum est, formam non posse præstare effectum formalem ratione potentiæ obedientialis, respicientis supernaturale quoad substantiam; sed si personalitas creata posset alienam terminare naturam, deberet esse ratione potentiæ obedientialis, respicientis terminum supernaturalem substantialiter: ergo nullatenùs potest alienam naturam terminare. Maior constat ex doctrina traditę solutionis. Cōsequentia tenet, & probatur minor: terminatio alienæ naturę est supernaturalis quoad substantiam, & non solum quoad modum: ergo, &c.

105 *Antecedens probat. 1.* Antecedens, in quo solo potest esse difficultas, ostenditur primo: id enim est supernaturale quoad substantiam, quod excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatę, quàm creabilis; sed terminatio per alienam subsistentiā excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatæ, quàm creabilis: ergo est supernaturalis substantialiter. *Secundo.* Secundo: nā cui essentialiter repugnat fieri ab agēte creato per naturalem virtutem, est substantialiter supernaturale; sed terminatio naturæ per alienā subsistentiam huius conditionis est; implicat enim agens creatum illam per virtutem sibi naturalem efficiens: ergo est supernaturalis quoad substantiam. *Tertio.* Tertio: quod est supernaturale solum quoad modum, aliquando sine tali modo invenitur effectum ab agente naturali per suam naturalem virtutē, vt constat in oculo restituto cæco, & in anima rationali corpori per resurrectionem vnita; nā oculus, licèt non, vt restitutus, quoad suum tamen esse absolutè ab agente naturali producitur, & anima, quamvis non, vt reunita, vt tamen absolutè corpori vnita, & vt absolutè corpus informans per virtutem agentis naturalis efficitur; sed terminationi naturæ per alienam subsistentiam repugnat aliquando fieri virtute naturalis agentis: ergo non est tantum quoad modū supernaturalis.

106 *Respōdetur* Respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem distinguo maiorem: id est supernaturale quoad substantiam, quod excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatæ, quàm creabilis, quoad substantiā concedo maiorem; quoad modum nego maiorem; distinguo minorem: terminatio per alienam subsistentiam excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatæ, quàm creabilis, quoad modū concedo minorem; quoad substantiā nego minorem, & consequentiam. Solutio claret in reanimatione corporis ab anima rationali, ex quo retorqueo contra Ill. God. id est supernaturale quoad substantiam, quod excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatæ, quàm creabilis; sed reanimatio corporis ab anima rationali excedit exigentiam omnis naturæ, tàm creatæ, quàm creabilis: ergo est supernaturalis substantialiter, quod est contra ipsum. Solutio ad retorsionem erit solutio ad replicam.

Ad 1. prob. antecedentis.

Retorquetur.

107 *Ad 2.* Ad secundam antecedentis probationem respondeo distinguendo maiorem: quod essentialiter repugnat fieri quoad substantiā ab agente creato per naturalem virtutem, est supernaturale substantialiter concedo maiorem; quod essentialiter repugnat fieri, quoad modum ab agente creato per naturalem virtutem, est substantialiter supernaturale nego maiorem; & hac distinctione distinguo minorē cum probatione, & nego consequentiam. Hæc solutio patet etiam in reanimatione corporis ab anima rationali, & terminis Ill. Godoy retorqueo: quod essentialiter repugnat fieri ab agente creato per naturalem virtutē, est substantialiter supernaturale; sed reanimatio corporis ab anima rationali huius conditionis est; implicat enim agens creatum illam per virtutē sibi naturalem efficiens: ergo est supernaturalis quoad substantiam, quod est contra ipsum. Responsio ad retorsionem erit solutio ad replicam.

Retorquetur.

108 *Ad 3.* Ad tertiam probationem antecedentis, respondeo distinguendo maiorem: quod est supernaturale quoad modum, aliquando sine tali modo invenitur effectum ab agente naturali per suam naturalem virtutem, si modus est separabilis ab effectu concedo maiorem; si modus est ab effectu inseparabilis nego maiorem; & concessa

minori nego consequentiã. Vt enim personalitas creata alienam naturam terminet, semper est necessaria vnio cum natura aliena; non enim, nisi media vnione potest illam terminare; hæc autem vnio non potest fieri ab aliquo agente creato per virtutem sibi innatam, sibique connaturalem; ac proindè terminatio alienæ naturæ habet inseparabiliter sibi coniunctum modum supernaturalem: ex quo vlteriùs fit, vt numquam possit effici ab agente creato ratione sibi innatæ virtutis, & potentiæ sibi connaturalis, quin ex hoc inferri possit, prædictam terminationem esse supernaturalem quoad substantiam.

109 *Replica: Ill. God.* Aduersus hanc solutionem, supposito, quod vnio personalitatis creatæ cum aliena natura est realiter à personalitate distincta, in hunc modum insurgit Ill. God. *n.* 48. vnio illa, qua personalitas creata vnitur naturæ alienæ, supernaturalis est quoad substantiam; sed terminatio alienæ naturæ, præstita à personalitate creata, vnionem illam essentialiter petit: ergo talis terminatio est quoad substantiam supernaturalis. Minor continet solutionis doctrinam. Consequentia patet: nam entitas, vel formalitas naturalis quoad substantiam, & solum supernaturalis quoad modum, non potest essentialiter exigere entitatem substantialiter supernaturalem, nec cum illa connecti; ens enim supernaturale est suprà exigentiam naturæ: ergo si vnio prædicta est supernaturalis quoad substantiam, & exigitur essentialiter à terminatione naturæ alienæ, præstita à personalitate creata, huiusmodi terminatio nõ est quoad substantiã naturalis.

110 *Maior ostenditur 1.* Maior autẽ ostenditur primo: vnio personalitatis creatæ cum natura aliena, essentialiter sumpta, est suprà exigentiam personalitatis terminantis: ergo essentialiter substantialiter est supernaturalis. *Secundo.* Secundo: nam prædicta vnio excedit activitatẽ omnis agentis creati, & creabilis; imo & vim activam Dei, vt Authoris naturalis, Conditorisque naturæ: ergo est supernaturalis substantialiter, & non solũ quoad modum. *Tertio.* Tertio. non enim alia ratione vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis substantialiter, nisi quia est suprà exigentiam omnis naturæ creabilis, & suprà activitatẽ omnis naturalis agentis; sed vnio personalitatis creatæ cum natura aliena his conditionibus gaudet: ergo talis vnio non quoad modum, sed quoad substantiam est supernaturalis.

111 *Retorqueo replicam 1* Hæc replica Ill. God notorias contra ipsum initãtias patitur. Retorqueo primo: vnio, qua anima rationalis reunitur corpori, supernaturalis est quoad substantiam; sed reanimatio corporis præstita ab anima rationali vnionẽ illam essentialiter petit: ergo talis reanimatio est quoad substantiam supernaturalis. Consequentia patet: nam entitas, vel formalitas naturalis quoad substantiam, & solum supernaturalis quoad modum, non potest essentialiter exigere entitatem substantialiter supernaturalem, nec cum illa connecti; ens enim supernaturale est suprà exigentiam naturæ: ergo si vnio prædicta est supernaturalis quoad substantiam, & exigitur essentialiter à reanimatione corporis, præstita ab anima rationali, huiusmodi reanimatio non est quoad substantiam naturalis. Minor patet: nam ita est necessaria reunio animæ rationalis cum corpore, vt anima reanimet corpus, ac est necessaria vnio personalitatis creatæ cum natura aliena, vt personalitas creata naturam alienam terminet: ergo si terminatio alienæ naturæ, præstita à personalitate creata, vnionem illam essentialiter petit; reanimatio corporis præstita ab anima rationali vnionem prædictam essentialiter petit.

112 *Maior ostenditur 1.* Maior autem ostenditur primo: vnio, qua anima rationalis reunitur corpori, essentialiter sumpta, est suprà exigentiam omnis naturæ creatæ, & creabilis, & suprà exigentiam animæ reanimantis: ergo essentialiter substantialiter est supernaturalis. Antecedens constat; alioquin reunio animæ rationalis cum corpore esset illi connaturaliter debita, & consequenter resurrectio esset per vires agentis naturalis possibilis, quod est apud omnes falsum. *Secundo.* Secundo probatur: nã prædicta vnio excedit activitatẽ omnis agentis creati, & creabilis; imò & vim activã Dei, vt Authoris naturalis, Conditorisque naturæ, vt patet ratione proximè data: ergo est supernaturalis substantialiter, & non solũ quo-

ad-

admodum. Tertio: non enim alia ratione vnio humanitatis ad Verbū est supernaturalis substātialitèr, nisi quia est suprà exigentiā omnis naturę creabilis, & super activitatē omnis naturalis agentis; sed reynio animæ rationalis cum corpore his conditionibus gaudet, vt manet probatum: ergo talis reynio non quoadmodū, sed quoad substantiam est supernaturalis.

113 *Retorqueo 2.* Retorqueo secundo: vnio, qua humanitas vnitur Verbo, est supernaturalis quoad substantiam; sed constitutio Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, vnionē istam essentialitèr petit: ergo talis constitutio est quoad substantiam supernaturalis, quod est contra Ill. Godoy *num* 102. & 103. asserentem: talē constitutionē esse humanitati naturalem. Consequētia patet: nam entitas, vel formalitas naturalis quoad substantiam nō potest essentialitèr exigere entitatem substantialitèr supernaturalem, nec cum illa connecti; ens enim supernaturale est supra exigentiam naturæ: ergo si vnio prędicta est supernaturalis quoad substantiā, & exigitur essentialitèr à constitutione Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, huiusmodi constitutio non est quoad substantiā naturalis. Minor claret: nam ita est necessaria vnio humanitatis cum Verbo, vt humanitas Verbum hominē constituat, ac est necessaria vnio personalitatis cum natura aliena, vt personalitas creata naturam alienam terminet: ergo si terminatio alienę naturæ, prę stita à personalitate creata, vnionem illam essentialitèr petit, constitutio Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, vnionem prædictā essentialitèr petit. Maior est expressa Ill. God.

114 *Respondet Ill. Godoy.* Ad hanc retorsionem respondebit Ill. Godoy, quod iā habet responsum *num.* 103. & nos posſuimus *num.* 80. negando, scilicèt, minorē: nam effectus formalis humanitatis, scilicèt, hominis constitutio, quem naturalem esse asserit, non exigit essentialitèr supernaturalē vnionem, nec humanitas illā ab intrinsico exigit, provt formalitèr constitutiva hominis, sed provt sustentabilis à Verbo Divino, quod ab humanitate, vt à causa formali non est, neque effectus formalis illius; ex qua doctrina non sequitur, dari effectum formalē intrinsicè naturalē, exigentem aliquid supernaturale quoad substantiam, & cum illo connexum.

115 *Reijcitur solutio ad hom. contra ipsum.* Optima certè solutio pro responsione ad replicā, quam contra nos facit, vt apparebit infrà, dum in forma ad ipsam respondeamus. Sed insufficiens solutio in illius doctrina pro solutione nostræ retorsionis. Reijcitur itaquè ad hominē contra ipsum: terminatio, & sustentatio humanitatis à Verbo est supernaturalis quoad substantiam; sed constitutio Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, istam terminationē, & sustentationē essentialitèr petit: ergo talis constitutio est supernaturalis quoad substantiam, quod est contra solutionē. Consequentia patet: nam entitas, vel formalitas naturalis quoad substantiam non potest essentialitèr exigere entitatem substantialitèr supernaturalē, nec cum illa connecti; ens enim supernaturale est suprà exigentiā naturæ: ergo si terminatio, & sustentatio prędicta est supernaturalis quoad substantiā, & exigitur essentialitèr à constitutione Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, huiusmodi constitutio nō est quoad substātiā naturalis.

116 *Maior probatur 1.* Ex præmissis autem maior probatur. Primo: terminatio, & sustentatio humanitatis à Verbo, essentialitèr sumpta, est suprà exigentiā omnis naturæ creatæ, & creabilis: ergo essentialitèr substantialitèr est supernaturalis. *Secundo.* Secundo: nam prædicta terminatio, & sustentatio excedit activitatē omnis agentis creabilis, & creati, imò & vim activam Dei, Authoris naturalis, conditorisque naturæ: ergo est supernaturalis substātialitèr. *Tertio.* Tertio probatur: non enim alia ratione vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis substantialitèr, nisi quia est suprà exigentiam omnis naturæ creabilis, & suprà activitatem omnis naturalis agentis; sed terminatio, & sustentatio humanitatis à Verbo his conditionibus gaudet, vt est manifestū: ergo talis terminatio, & sustentatio est quoad substātiam supernaturalis.

117 *4. Prob. ad hom. contra Ill. Godoy.* Prætèr has autem probationes, quas ex Ill. God. desumimus, probatur quarto ad hominē contra ipsum: entitas, vel formalitas naturalis quoad substantiā non potest essentialitèr exige-

re entitatem ſubſtantialitèr ſupernaturalem; ſed terminatio, & ſuſtentatio humanitatis à Verbo eſſentialitèr exigit vnionẽ humanitatis cum illo, quæ vnio eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo terminatio, & ſuſtentatio humanitatis à Verbo non eſt quoad ſubſtantiam naturalis: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiã. Secunda conſequentia ex prima legitimè infertur. Prima autem expræmiſſis. Præmiſſæ verò ſunt expræſſæ III. Godoy; nam maior docetur ab ipſo *num.* 48. quam ex ipſo multotiès inculcavimus. Minor ab eodẽ traditur *num* 103. his verbis: humanitas non poteſt Verbum in ratione hominis conſtituere, niſi ab ipſo terminata, *& quia ad hanc ſuſtentationem humanitatis à Verbo vnio ſupernaturalis exigitur, fit, &c.*

118 *Minor ſuprà poſiti ſyllogiſmi probatur ad homin contra ipſum.*

Probatur iam minor ſyllogiſmi ſuprà poſiti ad hominem etiam contra ipſum: humanitas non poteſt Verbũ in ratione hominis conſtituere, niſi ab ipſo terminata, & ſuſtentata: ergo cõſtitutio Verbi in eſſe hominis, præſtita ab humanitate, petit eſſentialitèr prædictam terminationem, & ſuſtentionẽ. Antecedens ad litteram eſt III. God. *num* 103. cuius verba tranſcripta ſunt *num. anteced.* Conſequentia probatur: ex eo præciſè, quod perſonalitas creata non poſsit terminare alienã naturam, niſi media vnione perſonalitatis creatę cum aliena natura, infert III. Godoy *num.* 48. quod terminatio alienæ naturæ, præſtita à perſonalitate creata, vnionẽ illam eſſentialitèr petit; atqui iuxtà ipſum humanitas non poteſt Verbum in ratione hominis conſtituere, niſi ab ipſo terminata, & ſuſtentata: ergo, &c.

119 *Retorqueo 3.*

Retorqueo tertio: vnio, qua lumen gloriæ vnitur intellectui creato, & gratia habitualis naturæ intellectuali creatæ, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiã; ſed informatio intellectus creati præſtita à lumine gloriæ, & informatio naturæ intellectualis creatæ præſtita à gratia habituali, petunt eſſentialitèr prædictam vnionem: ergo informatio intellectus creati præſtita à lumine gloriæ, & informatio naturæ intellectualis creatæ præſtita à gratia habituali ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam. Aliter efformatur retorſio: vnio, qua lumen gloriæ vnitur intellectui creato, & gratia habitualis naturæ intellectuali creatæ, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiã; ſed inhærentia in ſubiecto præſtita à lumine gloriæ, & gratia habituali petit eſſentialitèr prædictam vnionẽ: ergo inhærentia in ſubiecto præſtita à lumine gloriæ, & gratia habituali eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam.

Aliter formatur retorſio.

120

Conſequentia retorſionis vtroque modo formatæ eſt legitima iuxtà replicam III. Godoy contra nos factam, & eſt contra ipſum *num* 96. & contra veritatẽ, vt probavimus *num.* 45. Maior oſtenſa manet quadruplici ratione poſita *num.* 116 & 117. Minor autem probatur: intellectus non poteſt informari lumine gloriæ, nec lumen gloriæ inhærere intellectui, quin lumen gloriæ vniatur cũ intellectu, & eſſẽtialitèr natura intellectualis creata nõ poteſt informari gratia habituali, nec gratia habitualis naturæ intellectuali creatæ inhærere, quin gratia habitualis vniatur cũ natura intellectuali creata: ergo informatio intellectus, &c. Antecedens eſt ex terminis notoriũ. Cõſequẽtia probatur: ex eo præciſè, quod perſonalitas creata non poſſit terminare alienam naturã, niſi media vnione perſonalitatis creatæ cum aliena natura, infert III. God. *num* 48. quod terminatio alienæ naturæ, præſtita à perſonalitate creata, vnionem illam eſſentialitèr petit; ſed iuxtà cõceſſa, & veritatẽ intellectus non poteſt informari lumine gloriæ, nec lumẽ gloriæ inhærere intellectui, quin lumen gloriæ vniatur cũ intellectu, & eſſentialitèr natura intellectualis creata non poteſt informari gratia habituali, nec gratia habitualis naturæ intellectuali creatæ inhærere, quin gratia habitualis vniatur cum natura intellectuali creata: ergo, &c.

Minor probatur.

121 *Retorqueo 4.*

Retorqueo quarto: vnio hypoſtatica eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam; ſed inhærentia in ſubiecto, præſtita ab vnione hypoſtatica, vnionem hypoſtaticã eſſentialitèr petit: ergo inhærentia in ſubiecto, præſtita ab vnione hypoſtatica, eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Conſequentia eſt legitima iuxtà replicã III. Godoy contra nos factam, in ſe tamen eſt falſa, cuius rationẽ dedimus *num.* 45. Maior eſt manifeſtè ab ipſo confeſſa

num. 48 & ab omnibus concessa. Minor verò probatur: vnio hypostatica non potest inhærere subiecto, quin sit vnio hypostatica: ergo, &c. Probatur cōsequentia: ex eo præcisè, quod personalitas creata non possit terminare alienā naturā, nisi media vnione personalitatis creatæ cum aliena natura, infert Ill. Godoy *num. cit.* quod terminatio alienæ naturæ, præstita à personalitate creata vnionē illam essentialitèr petit; atqui iuxtà concessa, & veritatem vnio hypostatica non potest inhærere subiecto, quin vnio hypostatica sit: ergo, &c.

122 *Firmatur retorsio in opinione Ill Godoy.*

Hæc retorsio, quæ formata est iuxtà nostrā opinionem asserentē: vnionem hypostaticā esse accidens, quod docuimus *disp* 11. *num.* 60. & ad hominem contra Ill. Godoy ostendimus *num.* 61. formatur nunc in opinione huius doctoris: vnio hypostatica est supernaturalis quoad substantiam; sed affixio in subiecto præstita ab vnione hypostatica essentialitèr petit ipsam vnionē: ergo affixio in subiecto præstita ab vnione hypostatica est supernaturalis quoad substantiam. Consequentia est legitima iuxtà replicam ipsius contra nos factā, & contra veritatem; nam vnio hypostatica in opinione Authoris, contra quem arguo, est modus, de cuius ratione essentiali est esse subiecto affixum, vt fatetur *disp.* 11. *num.* 70. Maior est ipsius *cit. num. anteced.* & omnium Theologorū communitèr. Minor probatur: nam vnio hypostatica non potest esse subiecto affixa, quin sit talis vnio: ergo, &c. Probatur cōsequentia: ex eo præcisè, quod personalitas creata non possit terminare alienā naturam, nisi media vnione personalitatis creatæ cum aliena natura, infert Ill. Godoy *num.* 48. *cit.* quod terminatio alienæ naturæ præstita à personalitate creata vnionem illam essentialitèr petit; atqui iuxtà concessa, & veritatē vnio hypostatica non potest esse affixa subiecto, quin sit talis vnio: ergo, &c.

123 *Formatur retorsio in omniū opinione.*

Formatur etiam retorsio in omniū sententia: vnio hypostatica est supernaturalis quoad substantiam; sed vnire præstitum ab vnione hypostatica essentialitèr ipsam petit: ergo vnire præstitum ab vnione hypostatica est supernaturale quoad substantiā. Consequentia est legitima iuxtà replicam Ill. Godoy contra nos factam, & contra veritatem; nam vnio hypostatica in omniū opinione est vnio, de cuius ratione essentiali est vnire. Maior probatione non indiget. Minor autē probatur proportione servata, sicut probata manet minor retorsionis eformatæ *numero antecedenti.*

124 *2. & 3. retorsio confirmantur per 1.*

Secunda, & tertia retorsio confirmantur per primā: ideò namquè reanimatio corporis ab anima rationali præstita est quoad substantiam naturalis, licèt vnionē supernaturalem essentialitèr petat, quia vnione præsuppósita, anima rationalis habet ab intrinsico vim reanimativam corporis, vt sibi connaturalē; atqui præsuppósita vnione humanitatis ad Verbum, & præsuppósita vnione Inminis gloriæ cum intellectu creato, & gratia habitualis cum natura intellectuali creata, humanitas habet ab intrinsico vim constitutivam hominis, vt sibi connaturalem, quod fatetur Ill. Godoy *num.* 103. lumen gloriæ habet ab intrinsico vim informativā intellectus creati, & inhæsivam subiecto, vt sibi connaturalē; gratiaque habitualis habet ab intrinsico vim informativā naturæ intellectualis creatæ, & illi inhæsivā, vt sibi connaturalem, quod docet Ill. God. *num.* 96. ergo constitutio Verbi in esse hominis, præstita ab humanitate, informatioque, & inhærentia præstita à lumine gloriæ, & gratia habituali est quoad substantiam naturalis, licèt vnionem supernaturalem essentialitèr petant.

125 *Confirm. 4 retorsio.*

Confirmatur etiam quarta retorsio: ideò reanimatio corporis ab anima rationali præstita est quoad substantiam naturalis, licèt vnionem supernaturalē essentialitèr petat, quia vnione præsuppósita, anima rationalis habet ab intrinsico vim reanimativam corporis, vt sibi connaturalem; atqui suppósita productione vnionis hypostaticæ, vnio hypostatica habet ab intrinsico vim inhæsivam subiecto, vt sibi connaturalē, dato, quod sit accidens, & permisso, quod sit modus, habet ab intrinsico vim affixivā subiecto, vt sibi connaturalem, & deniquè absque controversia habet ab intrinsico vim vnitivā, & sibi connaturalē: ergo inhæsio, affixio, & passiva vnio

præs-

præstitæ ab vnione hypostica sunt naturales quoad substantiam, licèt productionē vnionis hypostaticæ essentialitèr petant. Sussumo nunc, & nostra doctrina demonstratur: atqui supposita vnione personalitatis creatæ cum natura aliena, personalitas creata habet ab intrinsico vim terminativam naturæ creatæ, vt sibi connaturalem, vt innegabile videtur, tum ob rationē formalem personalitatis, & tum ob paritates tot retorsionum: ergo terminatio naturæ alienæ præstita à personalitate creata erit naturalis quoad substantiam, licèt vnionem supernaturalem essentialitèr petat.

Demonstratur nostra doctrina.

126 *Respond. 1. ad replicā positam numer. 103. infirma.*

Sic igitur retorsa replica Ill. Godoy posita *num.* 109. ad ipsam in forma potest primo responderi negando maiorem, scilicèt, quod vnio personalitatis creatæ cum natura aliena est supernaturalis quoad substantiam, vt diximus *à n.* 41. *vsque ad n.* 44. per ibique dicta patet ad probationes. Quod si (vt diximus *n.* 45.) hoc non placuerit, alitèr prædictę replicę occurimus.

127 *Respond. 2.*

Respondeo secundo: permissa, vel concessa maiori, negando minorem; nam terminatio alienæ naturæ præstita à personalitate creata, quæ est effectus formalis, & naturalis personalitatis creatæ, vt asseruimus, non exigit essentialitèr supernaturalē vnionem, nec personalitas illam ab intrinsico exigit, provt formalitèr constitutiva naturæ in esse personæ, sed provt vnibilis cum natura aliena, quæ vnio nō est à personalitate, vt à causa formali, nec effectus formalis illius; vndè nunquā ex nostra doctrina sequitur, dari effectum formalē intrinsicè naturalem exigentem aliquid supernaturale quoad substantiā. Ex qua doctrina sic potest minor distingui: terminatio alienæ naturæ præstita à personalitate creata, provt formalitèr constitutiva naturæ in esse personæ, vnionē supernaturalem essentialitèr exigit nego minorem; præstita à personalitate creata, provt est vnibilis cum natura aliena concedo, vel omitto minorem, & nego consequentiam.

128 *Stabilitur solutio.*

Et certè hæc est doctrina, quam ad litteram adducit Ill. God. *num.* 103. & quam subscripsimus *num.* 114. & vt optimam pro solutione replicæ, quam contra nos facit, approbavimus *num.* 114. Quod vt meliùs appareat, hac demonstro paritate: ita necessaria est vnio supernaturalis humanitatis cum Verbo, vt humanitas constituat Verbum in esse hominis, ac est necessaria vnio supernaturalis personalitatis creatæ cum natura aliena, vt illam in esse personæ constituat; atqui ex necessitate vnionis supernaturalis humanitatis cum Verbo non infertur, quod humanitas, vt formalitèr constitutiva Verbi in esse hominis, exigat essentialitèr illā vnionē: ergo ex necessitate vnionis supernaturalis personalitatis creatæ cum natura aliena non infertur, quod personalitas creata, vt formalitèr est constitutiva naturæ alienæ in esse personæ, exigat essentialitèr vnionem prædictā. Consequentia est vi paritatis legittma. Maior ex terminis apparet. Minor est Ill. Godoy *cit.*

129 *Respond. 3.*

Respondeo tertio alitèr distinguēdo minorem: terminatio alienæ naturæ præstita à personalitate creata exigit essentialitèr vnionem supernaturalē, vt quid præsuppositū, vel conditio concedo minorē; vt principiū effectivum, vel formale terminationis nego minorē, & consequentiam, nam vt talis terminatio esset quoad substantiam supernaturalis, debebat exigere aliquid supernaturale, vt principium effectivum, vel formale ipsius, in quo supernaturalitas posita est, quin sufficiat essentialitèr exigere aliquid supernaturale, vt quid præsuppositum, vel conditio, vti terminationē alienæ naturæ præstitam à personalitate creata exigere vnionē supernaturalem, est indubitatū apud omnes.

130 *Firmatur solutio exemplis.*

Hæc solutio mihi certa videtur, & ab illa quidem abstinuissem, si illam exemplis notorijs firmatam non aspicerē. Firmatur itaquè solutio exemplis: ideò namquè reanimatio corporis ab anima rationali præstita & cōstitutio Verbi in esse hominis præstita ab humanitate, non sunt supernaturales quoad substantiam, licèt vnionē supernaturalem essentialitèr exigant, quia illam non exigunt, vt principiū effectivum, vel formale reanimationis, & constitutionis, sed solum vt quid præsuppositum, vel conditio ad reanimationē, & constitutionem; atqui sic se habet terminatio alienæ

naturæ præstita à personalitate creata, vt sine dubio supposuimus: ergo non est supernaturalis quoad substantiam, licèt vnionem supernaturalem essentialitèr exigat. Idem ostenditur exemplis de lumine gloriæ, & gratia habituali satis tactis.

131 *Ostenditur falsitas, quã habet in replica Ill. Godoy.*

Atquè hinc se se apperit: falsum esse absolutè, quod habet Ill. Godoy in replica, scilicèt, *minor continet solutionis doctrinam*, supponendo: nos in solutione asserere, quod terminatio alienæ naturæ, præstita à personalitate creata, essentialitèr exigit vnionem supernaturalẽ; nam falsum est, hoc nos asserere; tantum enim asserimus: vnionem personalitatis creatæ cũ natura aliena esse necessariã, vt personalitas creata terminet talem naturã, vt constat ex nostra responsione, quæ posita est *num.* 108. & contra quam procedit replica Ill. Godoy. Ex hoc autẽ, quod ad terminationẽ alienæ naturæ, præstitam à personalitate creata, sit necessaria vnio supernaturalis, nullo modo infertur, quod illam essentialitèr exigat talis terminatio, vt stabilitum manet *num.* 128. falsum igitur est absolutè, quod Ill. Godoy habet in replica. Et quando aliquomodo sit verum, verus sensus declaratus est tertia responsione data *num.* 129. & exemplis firmata *num.* 130.

132 *Respondeo 2. ad arg.*

Solutis iam, & retorsis replicis omnibus, quas habet Ill. Godoy contra responsionem, quam suo argumento principali dedimus, alitèr nunc secundo respondeo negando maiorem, ad cuius probationẽ concessa maiori nego minorẽ, & ad probationem distinguo maiorem: subsistentia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita intensivè, est infinita in ratione subsistentiæ concedo maiorẽ; subsistentia gaudens vi terminativa infinita extensivè, est infinita in ratione subsistentiæ nego maiorem; distinguoque minorẽ: subsistentia personæ potentis de se subsistere in naturis infinitis necessario gauderet vi terminativa, & sustentativa infinita extensivè concedo minorem; intensivè nego minorem, & consequentiam.

133 *Explicatur solutio.*

Itaquè, vt subsistentia sit infinita in ratione subsistentiæ, opportet, quod ex vi intensiva, & naturali exigat naturam infinitã sustentare; ideo namque subsistentia Dei absoluta est infinita in ratione subsistentiæ, quia ex vi propria sustentat naturam infinitam; non verò, quia sustentare potest omnes naturas creatas; cum ergo subsistentia creata non exigat sustentare naturam infinitã, non gaudet intensivè vi terminativa infinita, ideòque non est infinita in ratione subsistentiæ, licèt sit extensivè infinita, quia gaudet vi terminativa infinita extensivè, vtpotè, potens in infinitis naturis subsistere, si Deus eã cum illis vniret.

134 *Respondeo ad paritatem.*

Et iuxtà hanc solutionem ad paritatem de virtute effectiva nego consequentiam. Disparitas est: nam virtus effectiva potens quantum est de se ineffectus syncathorematicè infinitos, est virtus gaudens vi effectiva intensivè infinitorum effectuũ; ideòque esset infinita in ratione virtutis effectivæ. Ast subsistentia gaudens vi terminativa infinitarum naturarũ, non gaudet vi terminativa intensivè illarum, sed extensivè tantum; vndè infinita in ratione subsistentiæ non est.

135 *Respondeo 3. ad arg.*

Respondeo tertio ad prædictũ argumentum negando maiorẽ, ad cuius probationem concessa maiori nego minorem, & ad huius probationem concessa maiori distinguo minorem: subsistentia personæ potentis de se per maiorem vim terminativam subsistere in naturis infinitis, quã in vna, vel duabus, necessario gaudet vi terminativa, & sustentativa infinita concedo minorẽ; potentis de se subsistere in infinitis naturis per eandem vim terminativam, per quam potens est in vna subsistere nego minorẽ, & consequentiã; nam vt subsistentia in infinitis naturis subsistens esset infinita in ratione subsistentiæ, debebat subsistere in illis per maiorem vim terminativam, per quam subsistit in vna, quod non habet subsistentia; per eadẽ enim vim, per quam subsistit, & potens est subsistere in vna natura, potest in infinitis, si Divina voluntate infinitis applicaret.

136 *Solutio est Scoti.*

Hæc solutio est valdè conformis doctrinæ Magistri Subtilis, qui *in 1. dist. 2. quæst. 1.* ex productione plurium, & plurium effectuũ arguit infinitam virtutem in causa, quando effectus producendi exigunt aliam, & aliam perfectionẽ in causa. Item: *in 2. dist. 3.*

quæst.

quæst. 10. § *ista opinio*, vbi ait, quod vbi pluralitas numeralis requirit maiorē perfectionem, ibi infinita pluralitas infinitā requirit perfectionem, v.g. si posse portare simul plura pondera concludit maiorem virtutē, posse simul portare infinita, sivè no tot, quin plura, virtutem concludit infinitam. Vndè è contra etiam est verum: non enim arguitur virtus infinita in causa, quando eadem virtus sufficit ad infinitos effectus, vt ad infinitos homines producendos, quia eadem virtus Francisci v. g. sufficit. Nec perfectio infinita arguitur, quando pluralitas numeralis non requirit maiorē perfectionem; nam si ad portandū simul plura pondera non requiritur maior virtus, quam ad portandum pondus vnius libræ, tunc ex portatione simultanea infinitorū ponderū nō argueretur virtus infinita portativa.

137 *Responsio ad paritatē*

Ex qua Scoti doctrina, & apparet solutio, & claret disparitas ad probationē de virtute effectiva; ideò namque virtus effectiva potens, quantum est de se, in effectus syncathegorematicè infinitos, necessario est infinita in ratione virtutis effectivæ, quia effectus producendi exigunt aliā, & aliam perfectionem in causa (de his enim loquitur III. Godoy; alioquin de virtute effectiva distingueremus, sicut de subsistentia diximus) Item ideò est infinita, quia ibi pluralitas numerali arguit maiorē perfectionem. In subsistentia autem oppositū omninò evenit; nam neque effectus formales à subsistentia præstandi exigunt aliā, & aliam vim terminativam in subsistentia, nec pluralitas numeralis in terminatione naturarū arguit maiorem vim terminativā, vt manet dictū. Manet ergo ad paritatem disparitas.

138 *Retorqueo 1. argum*

His solutionibus ad argumentum III. Godoy datis, nunc restat illud retorquere. Retorqueo itaquè primo: persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistendo infinita. Sic III. Godoy, contra quē infero: ergo locus potens de se circunscribere duo corpora esset in locando infinitus. Falsitas consequentis est manifesta; alioquin idem locus non posset circunscribere duo corpora, quod est contra omnes Thomistas, vt diximus *num.* 21. Consequentia verò probatur: ideo persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistendo infinita, quia persona potens de se subsistere in duabus naturis, potest subsistere in infinitis sub conditione, quod essent, ex quo esse infinitam sequitur; atqui locus potens de se circunscribere duo corpora, potest circunscribere infinita: ergo locus potens de se circunscribere duo corpora est infinitus in locando. Consequētia est legitima. Maior est III. Godoy in argumento. Minor verò probatur eadem ratione, qua de personalitate ipse illam probat: nam vbi pluralitas differentiā non facit, nec illam infinitas faceret, si infinitas possibilis esset; ergo si pluralitas corporū non obstat, vt idem locus illa circunscribat, nec infinitas corporum obstaret, si possibilis esset, vt infinita circunscriberet, & consequentèr locus potens de se circunscribere duo corpora, est etiam de se potens circunscribere infinita.

139 *Retorqueo 2.*

Retorqueo secundo: persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistendo infinita iuxtà III. Godoy: ergo subiectum potens de se terminare duo accidentia esset in terminando infinitū: ergo obiectum potens de se terminare duas visiones esset infinitum in terminando. Vtrumque consequens est experimentalitèr falsum. Vtraque consequentia probatur: ideò persona potens de se subsistere in duabus naturis esset in subsistendo infinita, quia persona potens de se subsistere in duabus naturis, potest subsistere in infinitis, sub conditione, quod essent, ex quo sequitur esse infinitam; atqui subiectū potens de se terminare duo accidentia, & obiectū potens de se terminare duas visiones, potest terminare accidentia infinita, & infinitas visiones: ergo subiectum potens de se terminare duo accidentia esset in terminando infinitum: ergo & obiectum potens de se terminare duas visiones. Maior, & cōsequentia constant, vt proximè diximus. Minor probatur: vbi enim pluralitas differentiam non facit, nec illā infinitas faceret, si infinitas possibilis esset: ergo si pluralitas accidentiū, & visionum non obstat, vt idem subiectum, & obiectum illa terminent, nec

infinitas accidentiũ, & visionũ obstaret, si possibilis esset, vt infinita accidentia, infinitaque visiones terminarent subiectũ, & obiectum, & consequenter subiectũ potens de se terminare duo accidẽtia, & obiectũ potens de se terminare duas visiones, sunt etiã de se potentes, infinita terminare.

140 *Retorqueo 3.* Retorqueo tertio cum doctrina generali Thomistarũ asserentium: quod relatio terminatur ad relativum, & consequenter, quod vna relatio Paternitatis potest de se terminare plures, & infinitas Filiationes, qua doctrina supposita, sic retorsionem formo: subsistentia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita est infinita in ratione subsistentiæ: ergo Paternitas gaudens vi terminativa infinita est infinita in ratione terminantis. Atqui hoc est contra Ill. Godoy: ergo contra ipsum est, quod subsistẽtia gaudens vi terminativa, & sustentativa infinita sit infinita in ratione subsistentię Omnia ad hominem apparent vera.

§. VI.

Secundum argumentum Ill. Godoy diluitur.

141 *Arguit 2.* ARguit secundo Ill. Godoy *n.* 51. sola enim personalitas propria naturæ infinitę potest alienã terminare naturã; sed personalitas naturæ infinitæ propria necessario est infinita: ergo sola infinita personalitas id potest præstare; & consequenter persona creata non poterit alienã terminare naturã. Minor est certa de infinitate formali, vel saltim identica: nã licèt Scotus neget personalitati Divinæ, provt à natura distinctæ, formalẽ infinitatem, identicam non potest negare, quando quidem identificatur cum natura Divina, quæ infinita est per essentiam.

142 *Maiorem probat.* Consequentia probatione non indiget. Maior autẽ, in qua sola est difficultas, probatur: sola personalitas propria naturæ continẽtis eminentèr aliã naturã quoad omne id, quod in illa est perfectionis, potest alienam terminare naturam; sed sola natura infinita potest aliã hoc modo cõtinere: ergo, &c. Consequentia tenet. Minor est certa; quęvis enim natura creata, quia finita, & limitata est, ita intrà propriũ genus, & speciem continetur, vt non se extendat ad alia, nec genera, nec species, vel formali, vel eminentiali continentia, quo circa, nec rationale continere potest irrationale, aliquo ex prædictis modis, nec natura Angelica humanam, sed sit proprium Divinæ naturæ, quia infinita est per essentiam, aliarum rerum perfectiones eminentèr continere.

143 *Probatur maior.* Maior autem probatur: quævis nãquè personalitas essentialitèr cum propria natura adæquatur, & consequentèr illam non potest excedere: sicut nec potentia excedere potest obiectũ sibi adæquatũ, nec relatio suum adæquatum terminũ: sed si natura, cui propria est personalitas, non continet eminentèr aliam naturã à personalitate sibi propria terminabilẽ, personalitas huiusce modi naturam terminans, excedet propriam naturã: ergo sola personalitas propria naturę eminentèr illã continentis potest aliam à propria terminare naturam. Consequentia est bona. Minor constat: ideò namquè personalitas Divina, etsi terminet naturã creatam Divinam, cui propria est, non excedit, quia in natura Divina, quam primario terminat, continetur eminentèr natura creata, quã terminat secundario. Ideò etiam lumen gloriæ non exaedit suũ obiectum essentiale, nempè, Divinã essentiam, quamvis per illud cognoscantur creaturæ, quia creaturæ, ad quas secũdario extenditur, in Divina essentia, quæ est illius obiectũ primariũ, eminentèr continentur: ergo si personalitas aliqua terminaret secundario naturam non contentam eminentèr in natura primario terminata per illam, propriam naturam excederet.

144 *Maior ostenditur 1* Maior autem, cui inest tota difficultas, ostenditur. Primo: vt enim cũ D. Thoma *infrà quæst* 17. *art.* 2. cõmunitèr docent Thomistæ, subsistẽtia est vltimum, quod naturã creatam determinat, & complet ad existendum; sed existentia cuiusvis naturæ propria essentialitèr cum illa adæquatur, ita, vt vltrà illã, aut vltrà eius eminentiam, continentiamque eminentialem non valeat extendi, vt omnes, quos viderim, docent, vel quia identificatur cũ propria natura, vt extra Scholam D. Thomę communitèr circunfertur, vel quia est actus specificativus essentiæ,

& ſpecificatus ab illa, vt intra Scholā D. Thomæ docetur: ergo ſubſiſtentia vltimo ad illā determinans, & complens eſſentiā ad exiſtendum, cum natura ſibi propria adæquatur, talitèr, vt vltrà illā, vel vltrà eius continentiā eminentialē nullatenus valeat extēdi.

145 *Secundo.* Secundo probatur: ita enim cum natura ſubſtantiali comparatur ſubſiſtentia, ſicut cum accidentali modus inhærentiç confertur; ſed iſte cum natura accidentali, cuius modus eſt, adęquatur eſſentialitèr: ergo ſubſiſtentia eſſentialitèr adæquatur cum natura propria ſubſtantiali. *Confir.* Explicatur, & vrgetur: nam ſubſiſtentia eſſentialitèr conſiſtit in actuali exercitio terminādi, complendique naturā, & faciendi illā ſubſiſtere, non minus, quàm modus inhærentiæ in actuali exercitio inhærendi; relatio in actuali referendi exercitio, vnio in actuali exercitio vniendi, & exiſtentia in actuali exercitio exiſtendi; ſed hæc, quia in actuali exercitio conſiſtunt, adæquantur cum ſubiectis, quibus ſunt connaturalia inhærentia cum ſibi proprio accidenti, relatio cum proprio ſubiecto, vnio cum extremo, quod naturalitèr vnit; ac deniquè exiſtentia cū natura, quam connaturalitèr exiſtentē conſtituit: ergo paritèr: ſubſiſtētia adæquatur eſſentialitèr cū ſibi propria natura

146 *Probat. 3.* Deniquè maior probatur: ſicut enim relatio adæquatur cum termino illam ſpecificante, ita terminus adæquatur cum ſubiecto terminabili adæquatè ſpecificativo illius; ſed ſubſiſtentia propria alicuius naturæ adęquatè ſpecificatur ab illa, vt terminabili: ergo eſſentialitèr in terminando adæquatur cum illa. Maior cū conſequentia tenet. Minor probatur: nam ſubſiſtentia hominis, v. g. in ratione termini terminantis ſpecificatur à natura terminabili; ſed non ſpecificatur à natura creata, abſtrahēte à propria, & aliena natura: ergo ſpecificatur adæquatè à natura ſibi propria, & cui eſt connaturalis. Conſequentia cum maiori tenet.

Minor autem probatur: ab illo nāque, vt terminabili, ſpecificatur ſubſiſtentia, ad cuius ſpeciem reducitur: ſicut, ſi potentia reducenda foret ad ſpeciem obiecti, deberet reduci ad ſpeciem obiecti, illā ſpecificantis; non verò ad ſpeciem huius, vel illius obiecti, etiò vnū eſſet obiectum connaturale, & aliud obedientialitèr ab illa attingibile; ſed ſubſiſtentia hominis, v. g. non pertinet ad genus naturæ creatæ, abſtrahentis a propria, & aliena, ſed ad ſpeciē hominis reductivè tum; quia exiſtentia hominis ad hominis ſpeciē reducitur, non autem ad genus naturæ ſubſtantialis creatæ. tū etiam; quia ſubſiſtentia hominis, & ſubſiſtentia bruti diſtinguntur ſpecificè, quod cū reductione vtriuſque ad rationē generică naturæ ſubſtantialis creatæ ſtare non poteſt. tum deniquè: nā inhærentia accidentis determinatę ſpeciei non reducitur ad rationē accidentis cōmunem, ſed ad ſpeciem illius accidentis, quod modificat cōnaturalitèr: ergo ſubſiſtentia hominis, v. g. nō ſpecificatur à natura creata ſubſtantiali, abſtrahente à propria, & aliena, ſed adæquatè ſpecificatur à natura hominis ſibi propria, vt ab ipſa terminabili; & conſequentèr vltrà extendi in terminando non poteſt, idemque de quavis alia ſubſiſtentia creata dicendum eſt.

147 *Reſpondeo ad argum. & ad prob. maioris.* Hoc eſt argumentum, quod multa non vera continet, ideoque ad omnes illius propoſitiones ſygillatim reſpondendū eſt. Reſpondeo igitur ad illud negando maiorē ob dicta §. 3. *per tot.* Ad illius probationē nego etiam maiorē, quia falſum eſt, quod vt perſonalitas propria vnius naturæ alienā poſsit terminare naturam, ſit neceſſariū, quod natura, cui propria eſt perſonalitas, eminentèr contineat alienā naturam, quoad omne id, quod in illa eſt perfectionis; imò nec requiritur, quod perſonalitas eminentèr contineat aliā perſonalitatem quoad omne id, quod perſonalitas habet: ſed ſufficit, quod perſonalitas virtualitèr contineat perfectionē alterius, quantum requiritur ad terminandā naturam, illamque redere incōmunicabilē, quod ita aliena, ſicut propria, faceret. Hoc claret exemplis declaratis de ſubiecto reſpectu accidentiū; obiecti reſpectu viſionum, & Paternitatis reſpectu filiationum, ex quibus retorſio fiat contra Ill. Godoy.

148 *Retorqueo contra Ill. Godoy.* Et ne retorſio maneat informis, ſic retorqueo: ſola perſonalitas propria naturæ continentis eminentèr aliam

na-

naturā, quoad omne id, quod in illa est perfectionis, potest alienam terminare naturam: ergo solus locus proprius corporis continentis eminentèr aliud corpus quoad omne id, quod in illo est perfectionis, potest aliud corpus circunscribere, quod est falsum; nā vt locus proprius corporis circunscribat aliud corpus, sufficit, quod virtualitèr contineat aliū locū, quantū requiritur ad circunscribēdū.

149 *Ad probationem maioris respondetur.*

Ad probationem maioris positæ *n.* 143. respondeo distinguēdo maiorē: quævis personalitas essentialitèr quoad substantiam specificè cum propria natura adęquatur concedo maiorem; essentialitèr, in ratione termini, incōmunicabilitatis, & suplementi nego maiorē; distinguo similitèr minorem: si natura, cui propria est personalitas, non continet eminentèr aliā naturam à personalitate sibi propria terminabilē, personalitas huiuscemodi naturā terminans, excedet propriā naturā in ratione termini, incōmunicabitatis, & suplementi concedo minorem; in perfectione specifica nego minorem, cuius probationem eadem distinctione distinguo.

150 *Explicatur solutio.*

Verum itaquè est: quod quælibet personalitas essentialitèr, quoad suā naturam, seu specificè adæquatur cum propria natura; vndè, si personalitas Angelica terminaret naturā humanā, essentialitèr quoad suam naturā, seu specificè esset Angelica, sicut personalitas Verbi est essentialitèr quoad suā naturā, seu specificè Divina, licèt terminet naturā humanā; falsum autē est, quod quælibet personalitas essentiāliter in esse termini adæquetur cū propria natura. Et ratio est primo: nam licèt personalitas Divina, Angelica, & humana specie distinguantur; in ratione tamē termini omninò conveniūt: ergo nō implicat, quod vna suppleat vices alterius in essē termini.

151 *Quomodo adæquetur personalitas creata cū propria natura.*

Secundo: nam personalitas creata in esse termini adæquatur cū natura creata, sivè propria, sivè aliena, cum quælibet sit terminabilis ab illa. Vndè nunquā sequitur, quod personalitas creata terminans alienā naturā excedat suū terminū adæquatum; quia vel personalitas creata consideratur secundum suā naturā: seu specificè; vel in esse termini, & suplementi? Primo modo considerata, adęquatur cū propria natura, nec naturā propriā excedere potest; quia ad speciem naturæ propriè reductivè pertinet, quin adhuc reductivè pertinere possit ad speciē naturæ alienę, eo, quod personalitas sequitur speciem naturæ propriæ, non verò naturæ alienæ; in ordine tamen ad personandam alienam naturam, personalitas solū sequitur vices suppositi proprij, cuius locum tenet.

152 *Exemplū.*

Hoc claret in personalitate Verbi terminantis in Christo naturā humanā. Personalitas nāque Verbi quoad suam naturā, seu specificè est Divina; non verò est specificè humana, sed dicitur tantū humana terminativè, extrinsicè, secundū munus, vel suppletivè, cum supleat vices personalitatis humanæ; quare quoad suam naturā, seu specificè considerata ita adæquatur cum propria natura, vt nec illam excedat, nec excedere possit. Quod idem asserendū est de personalitate Angelica, si naturā humanā terminaret, scilicèt, quod secundū suam naturā, seu specificè esset Angelica; humana tamen esset solum terminativè, extrinsicè, secundū munus, vel suppletivè, eo, quod vices personalitatis humanæ suppleret, quod certè ratione proximè data videtur convinci, quin alia possit efficatior inveniri.

153 *Quomodo adæquetur personalitas cum natura creata à propria, & aliena præscindente.*

Personalitas autem creata secundo modo considerata, scilicèt, in esse termini, & suplementi, non adæquatur cum propria natura, sed cum natura creata, præscindente à propria, & aliena; vndè licèt in esse termini excedat propriā naturā; non tamen excedit suū terminum adæquatum, quia hic non comprehenditur sub propria natura, sed ad propriā, & alienā extenditur. Hoc etiam patet in personalitate Verbi, quæ in esse termini, & suplementi non adæquatur cum propria natura, sed cum natura, præscindente à propria, & aliena; vndè licèt in esse termini excedat propriā naturam, nō tamen excedit suū terminum adæquatū; quia hic non comprehenditur sub natura propria, seu Divina, sed ad Dinā, & creatā extenditur. Quod idem, proportione servata, de naturis creatis asserendum est de creata personalitate, quin ad hoc requiratur infinitas, vt constat ex vcusque dictis.

Exemplū.

154 *Prima maioris probatio relinquitur, & quare.*

Ad probationes autem maioris, vt suprà datæ distinctioni obstare possunt, prima relicta, quia vim contra nos non habet; negamus nãquè, quod subsistentia sit vltimũ, quod naturam creatã determinat, & cõplet ad existendũ, vt est omnibus notorium. Respondeo ad secundã maioris probationẽ distinguendo maiorẽ: ita cũ natura substantiali comparatur subsistentia, quoad suam naturã, & speciẽ, sicut cum accidentali modus inhærentiæ confertur concedo maiorẽ; ita cum natura substantiali comparatur subsistentia in esse termini, & suplementi, sicut cũ accidentali modus inhærentiæ confertur nego maiorẽ; & concessa minori distinguo similitèr consequens, ex quo patet disparitas: nã modus inhærentiæ essentialitèr cũ natura accidentali, cuius est modus, adæquatur omnimoda adæquatione; cæterũ subsistentia omnimoda adæquatione non adæquatur cum propria natura substantiali; quia non adæquatur cum illa in esse termini, & suplementi, vt manet dictum.

Respondeo

155 *Ad confirmat.*

Ad confirmationẽ; quid quid sit de minori, respondeo negando maiorẽ; nam subsistentia creata, de qua loquimur, est quid absolutũ, consequentèrque essentialitèr non consistit in actuali exercitio terminandi, complendique naturã, & faciendi illã subsistere; alioquin esset relatio, de cuius ratione essentiali ad differentiã cuiuscũque absoluti est, quod in actu consistat, vt in logica, agendo de constitutivo relationis, cõmunis docet sententia. Nec est ad rẽ paritas de existẽtia. Primo: quia falsum est, quod in actuali exercitio existendi consistat, nisi sit relativa. Secundo: quia existẽtia, vt Scotistæ docent, realitèr identificatur cum re, cuius est existentia; at subsistentia realitèr distinguitur à natura, vt docent omnes.

156 *Ad 3. probat. maioris respondeo.*

Ad vltimã maioris probationẽ respondeo negando maiorem, ad cuius probationẽ nego etiam minorẽ, & ad huius probationẽ nego etiam maiorẽ ob illam reduplicationẽ, scilicèt, *vt terminabili*, quia subsistentia in esse termini non adæquatur cũ propria natura, ad cuius speciem reducitur, & consequentèr subsistentia non specificatur ab illa, vt terminabili, ad cuius speciẽ reducitur; alioquin adæquaretur in esse termini cum propria natura, quod esse falsum, ostendimus *num.* 153. ex ibique dictis, simul cum dictis *num.* 151. & 152. apparet solutio.

157

Aliud itaquè est id, ad cuius speciẽ subsistentia reducitur, & aliud id, à quo subsistentia in esse termini specificatur, seu cum quo adęquatur. Id nãquè ad cuius speciem subsistentia reducitur, est natura propria, quia vt paulo suprà dicebamus, subsistentia ad speciem naturæ propriæ reductivè pertinet. Id autẽ, à quo subsistentia in esse termini specificatur, seu cum quo adæquatur, est natura creata, abstrahens à propria, & aliena; cum ad vtrãque in esse termini extendatur, vt dictum est suprà. Vndè non valet exemplum de potentia ab Ill. Godoy adductũ, quia in potentia distinguibilis non est duplex illa consideratio, quã in personalitate creata declaravimus *num.* 151. etsi ab aliquo distinguibilis fiat, idem in potentia reperiet, quod in personalitate creata invenimus.

158 *Retorqueo*

Deniquè retorqueo hanc vltimam probationẽ Ill. Godoy, suppositã doctrina, quam vt probabilẽ ipse supponit *n.* 105. scilicèt, posse accidens connaturale vni subiecto extraneũ informare. Quo supposito, sic retorsionem formo: accidens propriũ alicuius subiecti adæquatè specificatur ab illo: ergo adæquatur essentialitèr cum illo. Hæc est consequentia, quam ex antecedenti infert Ill. Godoy de subsistentia propria alicuius naturæ, ex qua sicut necessario sequitur, quod personalitas propria vnius naturæ nequeat alienam terminare; ita necessario sequitur, quod accidens propriũ alicuius subiecti nequeat extraneũ informare, quod est contra doctrinã suppositam. Antecedens autẽ probatur: accidens proprium alicuius subiecti specificatur à subiectio; sed nõ specificatur à subiecto, abstrahente à proprio, & alieno: ergo specificatur adæquatè à subiecto sibi proprio, & cui est connaturale. Consequentia cum maiori tenet.

159 *Minor probat. 1 ratione Ill. Godoy.*

Minor autem probatur primo eisdem terminis, quibus suam probat Ill. Godoy: ab illo namquè specificatur accidens, ad cuius speciem reducitur; sed accidens propriũ hominis,

v. g. non pertinet ad genus subiecti, abstrahentis à proprio, & alieno, sed ad speciē hominis reductivè; tū, quia existentia hominis ad hominis speciē reducitur; non autē ad genus naturæ substantialis creatæ; tum etiā, quia accidens propriū hominis, & accidens propriū bruti distinguntur specificè, quod cum reductione vtriusque ad rationē genericam naturę substantialis creatæ tare non potest. Tū etiam; quia inhærentia accidentis determinatæ speciei non reducitur ad rationē speciei cōmunem, sed ad speciem illius accidentis, quod modificat cōnaturalitèr: ergo accidens proprium hominis, v. g. non specificatur à subiecto, abstrahente à proprio, & alieno, sed adæquatè specificatur à subiecto proprio.

160 *Probatur 2 ratione Ill. Godoy.*

Probatur secundo dicta minor ratione tradita ab Ill. God. si accidens reductū foret ad speciem subiecti, deberet reduci ad speciē subiecti, illud specificantis; non verò ad speciē huius, vel illius subiecti, estò vnum esset subiectum connaturale, & aliud obedientiale: ergo accidens propriū alicuius subiecti non specificatur à subiecto, abstrahēte à proprio, & alieno. Probatur antecedens: si potentia reducenda foret ad speciē obiecti, deberet reduci ad speciem obiecti, illam specificantis; non verò ad speciem huius, vel illius obiecti, estò vnum esset obiectum connaturale, & aliud obedientialitèr ab illa attingibile: ergo, &c.

161 *Prob. 3.*

Tertio probatur eadem minor: accidens proprium hominis, v. g. est humanū: ergo specificatur ab homine: ergo non specificatur à subiecto, abstrahente à proprio, & alieno. Secunda consequentia ex prima infertur. Prima autem patet: nam quia subsistentia propria homininis est humana, specificatur ab homine: ergo si accidens propriū hominis est humanū, specificatur ab homine. Antecedens verò probatur: intellectus Angeli, illiusque voluntas sunt in opinione Ill. Godoy accidentia propria Angeli; in nostra sententia intellectio Angeli, illiusque volitio sunt accidentia propria illius; sed intellectus Angeli est Angelicus, similitèrque illius voluntas, & idem de intellectione, & volitione: ergo accidens propriuin hominis est humanum.

162 *Doctrina quædam Ill. Godoy.*

Ex hisque impugnandū venit, quod *num.* 105. ait Ill. Godoy, cuius verba transcribo: *Etsi quis* (inquit) *vellit defendere, posse accidens informare extraneum sibi subiectum, & formam substantialem alienam informare materiā, & cum hac nostram sententiā tueri, vtatur ratione vltima, qua prædictam sententiam monstravimus, & discrimen poterit constituere, consistens in eo, quod subsistentiæ essentialitèr cum natura propria adæquatur: ex quo sequitur, non posse vltrà illam extendi, nisi infinitæ naturæ sit propria, quæ naturam terminandam eminentèr contineat: ac proindè, nisi personalitas sit infinita non potest alienam terminare naturam; accidens autem, etsi propriū subiectum, vt terminum connaturalitèr adæquatum respiciat, non tamen illud respicit, vt terminum adæquatū essentialitèr; & ideò potest de potentia absoluta extraneum subiectū respiceve, in eo recipi, illique suum effectum formalem præstare, absque eo, quod proprium subiectum eminentèr extraneum contineat; & consequētèr absque eo, quod in ipso accidenti aliqua infinitas inferatur ex eo, quod possit extraneum informare subiectum; idemque est de forma substantiali respectu propriæ materiæ dicendum, quod, nempe, illam respicit, vt connaturalitèr sibi adæquatam, non autem vt sibi adæquatā essentialitèr; ideòque potest de potentia absoluta alienam informare materiam absque aliqua infinitate.*

163 *Doctrina Ill. Godoy impugnatur ad hom. contra ipsum.*

Hæc itaquè doctrinā ad hominem contra ipsum, eius ratione vtēdo, impugnatur: attenta vltima ratione Ill. Godoy, nullū est discrimen inter subsistentiā, & accidens: ergo attenta vltima ratione illius, falsum est, quod quis posset defendere: posse accidens informare extraneum sibi subiectum, tuendo, subsistentiā non posse terminare naturam alienā. Probatur antecedens: vltima ratio, qua Ill. Godoy defendit: non posse subsistentiā alienam terminare naturā, est, quia subsistentia essentialitèr cū natura propria adæquatur, ex quo sequitur, (ait ipse) non posse vltrà illā extendi, nisi infinitæ naturæ sit propria, quæ naturam terminandā eminentèr contineat; ac proindè nisi personalitas sit infinita, nō potest alienā terminare naturam; atqui attēta vltima ratione illius, accidens essentialitèr cum proprio subiecto adæquatur: ergo, &c. Probatur

minor: ideò iuxtà vltimam rationem illius ſubſiſtentia cũ natura propria adæquatur, quia adæquatè ſpecificatur ab illa; ſed attẽta vltima illius ratione, accidens adæquatè ſpecificatur à ſubiecto proprio: ergo, &c. Probatur minor: ideò iuxtà vltimam illius rationẽ ſubſiſtentia adæquatè ſpecifitur à natura ſibi propria, quia ad eius ſpeciẽ reducitur; ſed attenta vltima illius ratione, accidens reducitur ad ſpeciẽ ſubiecti ſibi proprij: ergo, &c. Maior, & conſequentia tenent. Minor verò conſtat paritatibus ab Ill. God. in vltima ratione adductis *n.* 55. quibus contra ipſum vſi ſumus *n.* 159. & 160. Vltrà quæ patet etiam ratione à nobis tradita *num.* 161.

164 *1. Corollarium iuxta propriam ſententiam*

Ex dictis infert primo Ill. Godoy *num.* 100. Angelos, cum corpora aſſumunt, non vniri hypoſtaticè cũ corporibus aſſumptis. Hoc corollarium ſtatuimus iuxtà propriã ſententiam, qua ſuſtinemus, perſonalitatẽ creatã in negatione conſiſtere, quam eſſe in Scoto probabiliorẽ, diximus *n.* 4. Ratio eſt: nam ad hoc, vt Angeli, cum corpora aſſumunt, vnirentur hypoſtaticè cum corporibus aſſumptis, neceſſarium erat, vt corpora aſſumpta per ſubſiſtentias Angelorum ſubſiſterent, quod implicare, ſuppoſita ſentẽtia de negativo, monſtravimus *num.* 4. & 5. idque oſtendit Ill. Godoy *num.* 5. 6. & 7. quare in hoc cum illo diſidium non habemus.

165 *Authorit. in oppoſitũ explicatur.*

Nec obſtat, Originem *tom. 2. in Ioan.* teſte Hyeronimo *Agæi* 1. docuiſſe, Baptiſtã, & Agæum fuiſſe Angelos incarnatos; tum, quia vel Origines in hoc ſuſtinendus non eſt, vel explicandus, fuiſſe per exagerationẽ locutus, illos Angelos incarnatos appellans proptèr vitæ puritatẽ. Et eodẽ modo accipiendi ſunt Hyeronimus *Daniel* 7 & Beda *Apocalyp.* 13. aſſerentes: Anti-Chriſtũ fore Dæmonem incarnatum, quod, ſcilicèt, Anti-Chriſtũ proptèr ſummam eius malitiã per exagerationẽ Dæmonem Incarnatum appellent Tertull. etiam *lib. de Carne Chriſti cap.* 4. & 6. vbi docet: Angelos perſonaliter aſſumpſiſſe corpora, cum apparebant hominibus, vel ſuſtinẽdus non eſt, vel explicandus, impropriè vſus nomine aſſumptionis perſonalis. Ac tandem quidam Hebræi aſſerentes: Iacob, Habraham, & Iſac, fuiſſe Angelos incarnatos, audiendi non ſunt. Sic Ill. God. *n.* 106. cuius doctrinæ aſſentio, opinionem ſuprà poſitam ſubſtinendo.

166 *Senſus corollarij iuxtà ſentent. in cuius ſuppoſitit. procedimus.*

Tenendo tamen opinionem de poſitivo, in cuius ſuppoſitione procedimus contra Ill. God. in diſputatione, nec corollarium illius ſtatuimus, nec illi oppoſitũ defendimus. Primo: quia ad neutrum aſſerendum eſt ratio. Secundo: quia ſolũ coniecturaliter ſciri poteſt. Tertio deniquè: quia ad Authoritates ſtando, nihil convincitur; optimè namquè explicantur, vt numero antecedenti explicatæ manent.

167 *2. Corollarium iuxta propriã, & ſuppoſitam ſententiam*

Secundo infert ex dictis Ill. Godoy *n.* 107. non ſolum perſonam creatam de facto exiſtentem, ſed nec etiam perſonam de potentia abſoluta creabilem, poſſe alienam terminare naturam. Quod corollarium cum ipſo ſtatuimus *n.* 164. ob rationes ibi citatas. Cæterum opinionẽ de poſitivo ſubſtinendo, oppoſitum aſſerimus, quod latè monſtravimus in diſcurſu diſputationis. Et hæc de iſta diſputatione applicanda litteræ Magiſtri *in 3. diſt. 1. §. 3. ad illa verba: Si verò quæritur, vtrum Pater, vel Spiritus Sanctus Incarnari potuerit?* &c.

¶ ♭ ¶

Hæc etiam de Primo tomo in 3. ſent. & Quarto noſtri operis, Correctioni Eccleſiæ ex corde ſubiecta. In laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Virginis Matris ſub titulo Immaculatæ Conceptionis, & Solitudinis, qua gaudeo, & ſub cuius præſidium confugio. Petri Apoſtolorum Principis, Parentum Auguſtini, & Franciſci, meique Præceptoris Subtilis, à quo, ſi quid devium à me aſſertum inveniatur, libentiſſimè retracto.

Finis Tom. 1. in 3. Sententiarum, & Quarti noſtri Operis.

IN-

INDEX LOCVPLENTISSIMVS RERUM NOTABILIUM,

QUÆ IN HOC PRIMO TOMO IN TERTIUM LIBRUM Sententiarum Scoti continentur.

D.*vel* Diſput.*Diſputationem ſignificat.* N.*vel* Num.*Numerum marginalem deſignat.*

A

ACCEPTATIO.

Sola Dei acceptatio nequit reddere ſatisfactionem condignam,*diſput.2.num.12.*

Sola acceptatio non eſt tota ratio meriti, nec ſatisfactionis,*diſput.2.num.24.*

Acceptatio Dei eſt complementum meriti, *diſput.4.num.16.*

ACTIO.

Actio non diſtinguitur realitèr ab effectu infieri,*diſput.11.num.2.*

Actio productiva termini ſubſtantialis eſt entitative accidens,& extrinſicè tantum denominatione ſumpta à termino , dicitur ſubſtantialis, *diſput.11.num.55.& 56.*

Actio productiva eſt diſtincta ab actione vnitiva,*diſput.12.num.3.*

ACTUS.

Actus ſupernaturales habentes Deum pro obiecto materiali,& formali non habent perfectionem ſimplicitèr infinitam,*diſput.1.num.26.*

In actibus datur prioritas , & poſterioritas, *diſput.8.num.127.*

Vnus actus dicitur prior alio,quando ex natura ſua illum petit præcedere.Ibidem.

ADAMUS.

Adamus in ſtatu innocentiæ eſſet membrum, non verò caput morale,*diſput.8 num.229.& 230.*

ADIECTIVUM.

Adiectivum immediatè cadit ſuprà ſubſtantivum,illudque determinat,ad vnitatem,vel pluralitatem,quomodo intelligatur,*diſp.16.n.180.*

ALIUS.

Alius ſumitur maſculinè,& neutralitèr, *diſput.10.num.77.*

Alius maſculinè refertur ad ſuppoſitum ; neutralitèr verò ad naturam Ibid.

APREHENSIO.

Aprehenſio eſt prior iuditio,*diſput.8.num.127.*

AUGMENTUM.

Augmentum Arithmeticum quid ſit, *diſput.1. num.88.diſput.2.num.38.*

Augmentum geometricum quid ſit,*d.2.n.38.*

AXIOMA.

Quando affirmatio eſt cauſa affirmationis,negatio eſt cauſa negationis *diſp.16.num.164.*

Oppoſitorum eadem eſt ratio,*diſp.16.n.192.*

Species ſunt ſicut numeri,*diſp.17.num.48.*

Vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionem,ibi infinita pluralitas infinitam requirit perfectionem,*diſp.17.num.136.*

Bonum ex integra cauſa , malum ex quocumque deffectu,*diſp.1.num.43.& 49.*

Quando ad aliquem effectum plura concurrunt , licet vnum ſit infinitum , ſi alia ſunt finita, effectus non eſt ſimplicitèr infinitus ,*diſp.1.n.43. cum ſequentibus.*

Repugnat perfectionem ſimplicitèr ſimplicem repugnare enti perfectiori,& non repugnare enti imperfectiori,*diſp.1.num.57.*

Deus punit citra condignum , quomodo intelligatur,*diſp.1.num.65.*

Offenſa creſcit ad dignitatem perſonæ offenſæ,quomodo intelligatur,*diſp.1.num.67.*

Vnum infinitum ſimplicitèr in aliquo genere non eſt maius alio,*diſp.1.num.32.& 79.*

Quod eſt reſtitutio in pecunijs,eſt ſatisfactio in honore,*diſp.2.num.35.& 36.*

Totum eſt maius ſua parte,*diſp.3.num.13.*

Ab obiecto,& potentia paritur notitia, *diſp.3. num.25.*

Quando aſcenſus,vel gradatio fit per res diver-

si ordinis, seu per additionem virtutis ad virtutem in eodem ordine, calculatur virtus infinita; non vero quando ascensus, vel gradatio fit per res diversi ordinis, seu non fit per gradum ad gradum eiusdem ordinis *disp.* 3. *num.* 70.

Actiones sunt suppositorum quomodo intelligatur, *disp.* 3. *num.* 97 *disp.* 13 *num.* 70

Quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione *disp.* 8 *num.* 128.

Ordinatè volens prius vult finem, & ex illo ea, quæ sunt fini proxima, *disp.* 8 *num.* 142.

Propter quod unum quodque est tale, & illud magis, *disp.* 8 *num.* 144.

Hoc principium: *Cum prioritate in uno genere stat posterioritas in alio*, ortum habuit ex prioritate, & posterioritate causæ finalis, & efficientis, *disput.* 8. *num.* 155 *disp.* 13 *num.* 34.

Sicut malum communiter dicitur malus malum, quam particulare, etsi particulare sit in se gravius, ita bonum generis magis stimatur, quam bonum speciale vnius, etiam hoc bonum speciale sit maius *disp.* 8. *num.* 221

Hoc axioma: *Nihil est in executione, quod non præcesserit in intentione*, quomodo intelligatur, *disput.* 8. *num.* 223.

Via deveniendi ad medium est declinare ad aliud extremum *disp.* 10 *num.* 25.

Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa, *disp.* 10. *num.* 79.

Finis est excellentior medijs, quando sit verum *disp.* 11. *num* 138.

Ordo executionis commensuratur in Divina voluntate cum temporanea rerum executione, quomodo sit verum *disp* 13 *num.* 62.

Hoc axioma: quod est causa alicuius, est causa illius, quod sequitur ad illud, quomodo sit verum, *disp* 13 *num* 131.

Persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia, quomodo intelligatur, *disput.* 15. *num* 4.

In cuius potestate non est agere, neque etiam est modus agendi, *disp.* 16 *num.* 35.

Quod minus dependet ab aliquo, maiorem pluralitatem admittit, quam quod magis dependet ab aliquo, *disp.* 16 *num.* 160. 162. & 163.

B

BEATITUDO.

Beatitudo debetur saltim de congruo vnioni hypostaticæ, *disp.* 11. *num.* 135.

Beatifica vnio vnit potentias Deo obiectivè, & accidentaliter. Ibid.

Beatitudo pertinet ad esse secundarium. Ibid.

Beatitudo quoad actum secundum est maior vnione hypostatica. Ibid.

Beatitudo est magis vtilis, quam vnio hypostatica, *disp.* 11. *num.* 137.

Beatitudo est finis vnionis hypostaticæ, *disp.* 11. *num.* 138.

C

CHARITAS.

Actus charitatis non habet perfectionem simpliciter infinitam *disp.* 1 *num.* 26.

CHRISTUS.

Operationes Christi sunt Theandricæ, & Dei vtiles *disp.* 3 *num.* 104 *disp.* 4. *num.* 24.

Christus satisfecit pro peccatis generis humani, *disp.* 4 *num.* 2.

Christus satisfecit pro peccatis hominum, non solum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam illis debitam, *disp.* 4 *num.* 3.

Christus satisfecit sufficienter, & superabundanter, *disp.* 4. *num.* 4.

Opera Christi habuerunt valorem, & dignitatem ad merendam de condigno Incarnationem Patris, & Spiritus Sancti, *disp.* 4 *num.* 23.

Christus veniret Adamo non peccante, *disp.* 8. *num.* 17. *cum sequentibus.*

Christo debet concedi quidquid est possibile, & cedit in excellentiam intrinsicam illius, *disp.* 8. *num.* 36 *disp* 13. *num* 79. 95 & 101.

Christus ordine intentionis prius fuit volitus quoad substantiam Incarnationis in genere causæ finalis quam res ordini naturalis, & pertinentes ad ordinem gratiæ, permissioque peccati, *disput* 8. *num.* 140.

Christus, vt passibilis, seu Redemptor, non fuit ordine intentionis prius volitus, quam res ordinis vniversi, & quam permissio peccati in genere causæ finalis, *disp.* 8 *num.* 149. *cum sequentibus.*

Christus, vt Redemptor, non fuit prius volitus, quam permissio peccati in genere causæ finalis, & posterius in genere causæ materialis, *disput.* 8. *num.* 153. *cum sequentibus.*

Solus Christus in statu innocentiæ esset caput morale gratiæ, & gloriæ, *disp.* 8. *num.* 229. & 230.

Christi passio supponit peccatum prævisum, *disput.* 8 *num.* 240.

Christus venit ob remedium omnium peccatorum, *disput.* 8 *num.* 254.

Christus, vt passibilis, principaliter venit ob remedium peccati originalis, *disp.* 8. *num.* 257

Christus, vt mortalis, non veniret propter peccata actualia, originali deficiente, *disp* 8 *num.* 258.

Christus veniret, vt passibilis, solo peccato originali existente, etsi actualia deficerent, *disp.* 8. *num.* 262. *cum sequentibus.*

Christus est compositus compositione sumpta pro constitutione ex pluribus realiter distinctis, *disput.* 10. *num.* 1.

Christus non est compositus compositione propria,& stricta,*disp.*10.*num.*8.*cum sequentibus.*

Christus est compositus compositione quadam admirabili, & ineffabili,*d.*10.*n.*48.*cum seqq.*

Christus est compositus compositione *huius ex his*,*disp.*10.*num.*54.*cum sequentibus.*

Christus est vnus, vnitate per se,quæ ad vnitatem numericam reducitur. Quod declaratur, *disput.*10 *num.*76.

Christus in recto non est duo neutraliter;benè verò in obliquo,*disput.*10.*num.*78.

Christus est vnus masculinè.Ibidem.

Quomodo Christus sit dicendus vnus absolutè,*disput.*10.*num.*80.

Quare Christus non sit duo,*disp.*16.*num.*174.

Christus per opera subsequentia Incarnationem non potuit illam mereri tanquam solutione anticipata, & per modum præmij, & solutionis,*disput.*13.*num.*75 *cum sequentibus.*

Christus meruit conservationem, seu continuationem suæ vnionis,*disp.*13 *num.*94.*&* 95.

Christus meruit circumstantias Incarnationis antecedentes,& concomitantes per accidens;nō verò meruit circumstantias per se,*disp.*13.*n* 100.

Christus meruit omnes circumstantias Incarnationem subsequentes,*disp.*13.*num.*103.

COGNITIO.

Cognitio Dei potest esse maior,& minor, *disp.* 1 *num.*50.

COMPOSITIO.

Compositio est duplex. Vna nec propria,nec stricta. Altera stricta,& propria,*disp.*10.*num* 2.

Compositio non propria, nec stricta est vnio tantum plurium distinctorum, quomodocumque se habeant.Ibidem.

Compositio propria,& stricta est vnio distinctorum se habentium,vt partes.Ibidem.

COMPOSITUM.

Compositum per accidens est compositum compositione *ex his*,*disp.*10.*num.*73.

Compositum integrale,& per aggregationem est compositum compositione *cum his*.Ibidem.

CONCRETUM.

Concretum aliud est substantiale, & aliud accidentale,*disp* 16.*num.*172.*&* 173.

In concretis accidentalibus vnitas,& pluralitas sumitur ex parte subiecti,*disp.*16.*num.*172.

In concretis substantialibus vnitas sumitur ex parte formæ; pluralitas autem ex parte formæ,& suppositi,*disp.*16.*num.*173.

Concretum substantiale differt ab accidentali in hoc,quod vnitas in accidentalibus sumitur ex parte subiecti; in substantialibus verò ex parte formæ.Et in hoc,quod accidentalia multiplicantur ad multiplicationem subiectorum duntaxat; substantialia verò ad multiplicationem formarum,& suppositorum,*disp.*16.*num.*175.

Ratio prædicti discriminis declaratur, *disp.*16. *num.*176.*&* 177.

CONNEXIO.

Connexio vnius cum alio est dependentia ab illo in existendo,*disp.*16.*num.*159.

CREATIO.

Virtus creativa repugnat creaturæ,*d.*13.*n.*125 *&* 126.

D

DEBITUM.

Debitum est duplex,scilicet,morale,& legale, *disput.*6 *num.*5.

Debitum morale est, quod oritur ex recta ratione,& in sola virtutis honestate fundatur.Ibid.

Debitum legale est, ex quo oritur obligatio reddendi æquale ex aliqua lege.Ibid.

DECRETUM.

Prioritas,& posterioritas Decretorum Dei sumitur ex habitudine, quam habent res in ordine ad voluntatē Divinā ordinantē vnum ad aliud, vel volentem,hoc esse propter aliud,*d.*8.*n.*127.

Ordo Divinorū Decretorū,*d.*8.*n.*151.*&* 152.

DISCURSUS.

Discursus est posterius iuditio, & aprehensione,*disput.*8 *num.*127.

DUO.

Duo masculinè, & neutraliter sumitur, *disput.* 10.*num.*77.

Duo masculinè refertur ad suppositum; neutraliter verò ad naturam.Ibidem.

E

ESSENTIA DIVINA.

Essentia Divina vnita per modum speciei gerit vices obiecti,*disput.*3.*num.*25.

F

FIDELITAS.

Fidelitas est pars potestativa iustitiæ,*d.*7.*n.*19.

FINIS.

Finis potest absolutè, & simpliciter consequi sine medio simpliciter non necessario,*d.*2.*n.*48.

Finis ordine intentionis est prior medijs;ordine verò executionis est posterior,*d.*8.*n.*128.

Finis *cuius gratia* dicitur ille, cuius gratia aliquid amatur,& fit,*disp.*8.*num.*166.

Finis adæquatè dividitur in finem *cui*, & finem *cuius gratia*,*disp.*8.*num.*171.

Adæquata causa finalis conflatur ex fine *cui*, & fine *cuius gratia*,*disp* 8.*num.*195.

Finis non semper est excellentior medijs,*disp.* 11.*num.*138.

FORMA.

Forma alia est physica, & methaphysica alia, *disput.*14.*num.*12.

For-

Forma physica est essentialis pars compositi, quid incompletum, & dependens à toto, & ab alia comparte, & consequentèr involuit imperfectionem, & potentialitatem physicam in subiecto, *disp.* 14. *num.* 12.

Forma methaphysica est, quæ sine physica informatione est methaphysicè constitutiva, in quo nulla est imperfectio. Ibidem.

G

GENERATIO.

Generatio tripliciter accipitur. Primo pro eductione formæ. Secundo pro vnione, & tertio pro productione compositi, quæ triplex acceptio explicatur, *disp.* 12. *num.* 4.

GLORIA.

Gloria debetur operibus Iustorum plusquam ex fidelitate, & gratitudine, *disp.* 7. *num.* 19.

Gloria confertur Iustis ex iustitia propriè dicta, *disput.* 7. *num.* 10.

GRATIA.

Gratia attribuitur Iustis ex pura fidelitate, *disp.* 7. *num.* 8.

Prima gratia sub merito cadere nequit, *disput.* 13. *num.* 15.

GRATITUDO.

Gratitudo est pars potestativa Iustitiæ, *d.* 7. *n.* 19

H

HUMANITAS.

Humanitas Christi non præcessit tempore Incarnationem *disp.* 13. *num* 65.

Humanitas Christi non meruit Incarnationem per opera elicita priùs tempore ad Incarnationem, *disp.* 13. *num.* 65.

Humanitas Christi pro priori naturæ ad Incarnationem non meruit substantiam Incarnationis, *disput.* 13. *num.* 66.

Humanitas Christi etiam si de facto tempore præcessisset Incarnationem, adhuc illam non meruisset. *disput.* 13. *num.* 67.

Humanitas Christi in illo priori naturæ ad Incarnationem potuit saltim de congruo mereri substantiam Incarnationis, *disput.* 13. *num.* 68.

Humanitas Christi, data hypotesi, quod vnionem hypostaticā tempore præcessisset, potuit mereri Incarnationē saltim de congruo, *d.* 13 *n.* 73

Humanitas non fuit immediatè vnita naturæ Divinæ, nec individuo Deitatis, vt communi tribus personis, sed personalitati, & personæ Verbi fuit immediatè vnita, & Deitati mediatè, *disp.* 15. *num.* 3.

I

INCARNATIO.

Incarnatio secundum substantiam attenditur, vt vnio hypostatica est, præscindendo à passibilitate, vel impassibilitate, *disput.* 8. *num.* 7.

Incarnatio secundum modum attenditur, vt in carne passibili, vel impassibili. Ibidem.

Incarnatio foret, etsi peccatum non esset, *disp.* 8. *num.* 17. *cum sequentibus.*

Incarnatio est summum bonum, *disp.* 8 *num.* 22.

Decretum Incarnationis quoad substantiam ordine intentionis præcessit prævisionem peccati ordine intentionis, *disp.* 8. *num.* 140. *cum seqq.*

Decretum Incarnationis quoad circunstantiā passibilitatis non præcessit prævisionem peccati in genere causæ finalis, *disp.* 8. *num.* 149. *cum seqq.*

Incarnatio est maius beneficium, quam passio, vel mors Christi, *disp.* 8. *num.* 227.

Incarnatio facta fuit ob remedium peccatorum, *disp.* 8. *num.* 254.

Incarnatio, vt passibilis, principalitèr facta est ob remedium peccati originalis, *disp.* 8. *num.* 257.

Deficiente peccato originali Incarnatio non foret propter peccata actualia, *disp.* 8 *num.* 258.

Incarnatio passibilis foret, solo peccato originali existente, etsi actualia deficerent, *disp.* 8. *num.* 262. *cum sequentibus.*

Incarnatio est vnio naturæ humanæ cum Verbo in vnitate suppositi, *disp.* 11. *n.* 13. *disp.* 14. *n.* 1.

Incarnatio est à tota Trinitate principalitèr effecta, *disp.* 11. *num.* 127.

Incarnatio, quæ est opus maximi amoris Divini attribuitur Spiritui Sancto, *disp.* 11 *num.* 127.

Incarnatio quadruplicitèr potest accipi. Primo, provt est communicatio personalitatis Divinæ. Secundo, provt est humana. Tertio, provt est vnitio. Et quarto, provt est productio compositi, *disput.* 12. *num.* 4.

Incarnatio non est motus, sed mutatio, ideòque versatur inter positivum, & negativū, *d.* 12. *n.* 30.

Patres antiqui non meruerunt de condigno Incarnationem, *disput.* 13 *num.* 1.

Incarnatio quoad substantiam, nec de potentia Dei absoluta potuit cadere sub merito condigno puræ creaturæ, *disput.* 13. *num.* 4.

Incarnationem quoad circunstantias meruerunt Patres de congruo, *disp.* 13. *num.* 8. *cum seqq.*

Incarnationem quoad circunstantias non meruerunt Patres de condigno, *disp.* 13. *num.* 12.

Patres potuerunt de potentia Dei absoluta mereri de congruo Incarnationem quoad substantiam, *disput.* 13. *num.* 13.

Patres nec meruerunt, nec mereri potuerunt Incarnationem quoad substantiam adhuc merito congruo, hoc ordine rerum supposito, *disp.* 13. *num.* 15. *cum sequentibus.*

Ad Incarnationem nulla præcessit dispositio, *disput.* 13. *num.* 134.

Incarnatio non est medium simpliciter necessarium ad condignam satisfactionem pro peccato, *disp.* 2. *num.* 48.

Incarnatio non est medium simpliciter necessarium ad reparandum hominem à peccato, supposito, quod illud Deus posset condonare. Ibid.

Incarnatio non est medium simpliciter necessarium ad merendum condignè remissionem peccati mortalis, Ibidem.

Incarnatio fuit absolutè necessaria, *disput.* 2. *num.* 118.

Incarnatio, adhuc supposita vniversi productione, non fuit absolutè necessaria. Ibidem.

Incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad reparandum hominem à peccato. Ibidem.

Incarnatio non fuit necessaria ad merendum condignè remissionem peccati mortalis. Ibid.

Incarnatio non fuit necessaria ad condignè satisfaciendum pro peccato veniali. Ibidem.

Incarnatio non fuit necessaria ad satisfaciendum condignè pro peccato generis humani, *disput.* 2. *num.* 119.

Supposito decreto de redimendo hominem per mortem Christi, Incarnatio fuit necessaria necessitate hypotetica, consequentiæ, infallibilitatis, immutabilitatis, & inevitabilitatis, *disput.* 2. *num.* 119.

Deus potuit incarnare, nullo existente peccato, *disp.* 8. *num.* 2.

Incarnatio de facto ordinata est in remedium peccati, *disp.* 8. *num.* 3.

Incarnatio habuit plura motiva partialia, *disput.* 8 *num.* 6.

Incarnatio dupliciter potest considerari. Et secundum substantiam, & secundum modum, *disput.* 8. *num.* 7.

INFERIVS.

Quod est inferioris ordinis potest elevari ad ordinem superiorem, *disp.* 1. *n.* 72.

Res inferioris ordinis nequeunt adæquare rem superioris ordinis, loquendo de physica perfectione, *disput.* 2. *num.* 73. & 74.

Res inferioris ordinis adæquare, imò, & excedere valent rem superioris ordinis in morali stimatione. Ibidem.

INFINITVM. INFINITAS.

Infinitum in qualibet linea est quo maius in tali linea, nuc dari, nec concipi potest. *d.* 1. *n.* 55.

Infinitas est perfectio simpliciter, *d.* 1. *n.* 57.

Vnum infinitum simpliciter in aliquo genere non est maius alio, *disp.* 1. *num.* 32. & 79.

Infinitas negativa explicatur, *disput.* 2. *num.* 91.

De ratione infiniti simpliciter in aliquo genere est, secum identificare omne possibile in illo genere, *disput.* 3. *num.* 49.

Infinitum est incomparabile, *disp.* 3. *num.* 52.

Infinitum nequit habere rationem partis. Ibid.

Vnum infinitum in ordine, & secundum quid potest esse maius alio, *disp.* 4. *num.* 31.

Infinitas est vnica ratio identificandi, *disput.* 11. *num.* 98.

INTELLECTIO.

Intellectio est prior volitione, *disput.* 8. *numer.* 127.

INTENTIO.

Intentio dupliciter sumitur. Primo provt distinguitur ab omni linea executiva, sivè interna, sivè externa. Secundo pro actu interno Divinæ voluntatis, vt distincto ab externo, qui externus dicitur executio, *disp.* 8. *num.* 223.

Intentio primo modo sumpta est de fine formaliter, & secundo modo capta continet in se internè quid quid executio exprimit externè. Ibidem.

INSTRVMENTVM.

Instrumentum attingit effectum causæ principalis per virtutem ab illâ derivatâ, *disp.* 13. *n.* 121.

Instrumentum physicum debet habere inchoatam virtutem ad effectum, *disp.* 13. *num.* 123.

IVDICIVM.

Iudicium est prius discursu, *disput.* 8. *num.* 127.

IVS.

Ius est duplex. Vnum est Ius ad rem, & aliud est Ius in re. Vtrumque declaratur, *disp.* 5. *num.* 5.

Ius, quod habet Iustitia propriè dicta, est Ius imperfectum, & secundum quid, *disp* 7. *num.* 42.

Ius, quod habet Iustitia stricta, & rigurosa, est Ius perfectum, & absolutum. Ibid.

IVSTITIA.

Iustitia est virtus, quæ ordinatur ad alterum, in quo distinguitur ab alijs virtutibus, *disp.* 6. *num.* 2.

Iustitia triplicitèr sumitur, nempè, communissimè, communitèr, & propriè, quæ acceptiones explicantur, *disp.* 6. *num.* 3.

Iustitia reddit debitum legale, *disp.* 6. *num.* 5.

Iustitia strictè capta est constans, & perpetua voluntas, ius suum vnicuique tribuendi, *d.* 6. *n.* 6.

Iustitia strictè accepta dividitur in legalem, commutativam, & distributivam, earumque diffinitiones. Ibidem.

Iustitia hominis erga Deum est diversæ rationis à iustitia inter ipsos homines versante, *disput.* 6. *num.* 22.

Iustitia, ex qua Christus satisfecit, propriùs vocatur iustitia vindicativa, seu punitiva, *disput.* 6. *numer.* 23.

Iustitia propriè dicta habet ius imperfectum, & secundum quid, *disp.* 7. *num.* 42.

Iustitia stricta, & rigurosa habet ius perfectum, & absolutum. Ibidem.

Iustitia, ex qua Deus acceptavit Christi satisfactionem, est iustitia propriè dicta, *disp.* 7. *num.* 3 *cum sequentibus.*

Iustitia, ex qua Deus acceptavit Christi satisfactionem, non est iustitia stricta, & rigurosa, *disput.* 7. *num.* 66. *cum sequentibus.*

Iustitia stricta, & rigurosa affert quadruplicem imperfectionem, *disp.* 7. *num.* 91.

MA-

M

MARIA.

Beatissima Virgo Maria meruit saltim de congruo Maternitatem Dei, *disput.* 13. *num.* 105.

Beatissima Virgo Maria non meruit de condigno Maternitatem Dei, *disp.* 13. *num.* 111.

Beatissima Virgo Maria non fuit, nec potuit esse causa principalis Incarnationis, *d.* 12. *n.* 116.

Beatissima Virgo Maria fuit elevata à Deo, tanquam instrumentum ad conjungendam hypostaticè humanitatē Verbo Divino, *d.* 13. *n.* 120.

Beatissima Virgo Maria, nec de potentia Dei absoluta potuit elevari à Deo, tanquam instrumentum physicum Incarnationis, *disput.* 13. *num.* 123. *cum sequentibus.*

MATERIA PRIMA.

Materia prima est eadem specificè in sublunaribus, & cœlestibus, *disp.* 17. *num.* 48.

Materia prima appetit naturaliter omnes formas, *disp.* 17. *num.* 49.

MEDIUM.

Quando medium non est simpliciter necessarium, potest finis absolutè, & simpliciter consequi sine illo, *disp.* 2. *num.* 48.

Medium est posterior fine ordine intentionis; ordine verò executionis est prior, *disp.* 8. *n.* 128.

MERITUM.

Meritum condignum est æquale in morali stimatione cum præmio, *disput.* 2. *num.* 56.

Meritum de congruo non est æquale in morali stimatione cum præmio. Ibidem.

Meritum dicit ordinem ad mercedem, *disput.* 4. *num.* 1.

Meritum respicit commodum eius, qui meretur. Ibidem.

Meritum potest à satisfactione separari. Ibid.

Meritum dicit duplicem relationem rationis. Vnam ad voluntatem Dei, vt acceptantis, & alteram ad bonum, pro quo acceptatur, *disp.* 4. *n.* 5.

Principium meriti nequit cadere sub merito, *disp.* 4. *num.* 21. *disp.* 13. *num.* 15.

Merita Iustorum à Deo remuneratur ex iustitia propriè dicta, *disp.* 7. *num.* 4.

Meritum de condigno inducit debitum ex iustitia propriè dicta, *disput.* 7. *num.* 21. *&* 22.

Meritum de congruo inducit debitum fidelitatis duntaxat. Ibidem.

MVTATIO.

Mutatio intrinsica est transitus de non esse intrinsico ad esse intrinsicum in ipso receptum, *disp.* 11. *num.* 82. *disp.* 14. *num.* 9.

Mutatio versatur inter positivum, & privativum, vel negativum ad differentiam motus, qui versatur inter terminos positivos, *disp.* 12. *num.* 30.

Mutatio est actus entis in potentia secundum quod in potentia, *disput.* 14. *num.* 8.

Mutatio stricta est transitus de non esse ad esse intrinsicum ratione potentiæ passivæ, vel receptivæ, *disp.* 14. *num.* 13.

Mutatio largè sumitur pro dependentia ab aliqua causa secundum rationem intrinsicā. Ibid.

N

NATURA.

Quælibet natura substantialis est terminabilis personalitate Verbi, *disp.* 13. *num.* 136.

Natura creata potest terminari mediatè à tribus Divinis personis, *disput.* 16. *num.* 4.

Natura creata nequit simul immediatè terminari triplici personalitate Divina, *disp.* 16. *num.* 17.

Natura creata habet vnicam communicabilitatem, *disp.* 16. *num.* 8. *&* 40.

Natura Divina habet triplicem communicabilitatem. Ibidem.

Natura Divina dependet à personalitatibus in existendo, *disp.* 16. *num.* 159.

O

OBEDIENTIA.

Obedientia est virtus, quæ respicit alterum, *disp.* 7. *num.* 15.

Obedientia non servat æqualitatem, *disp.* 7. *num.* 16.

OBIECTUM.

Obiectum voluntatis est duplex. Vnum motivum, seu principale, & aliud impulsivum, *disput.* 8. *num.* 5.

Obiectum motivum est, quod per se movet voluntatem ad agendum, & est priùs intentū. Ibid.

Obiectum impulsiuum est, quod voluntatem iam motam quasi impellit, vt quod iam volebat, velit, & celeriùs. Ibidem.

In obiectis vnum concipitur priùs alio, quando vnum est causa alterius, vel quando ex natura rei vnum est priùs alio; vel quando ex ordinatione voluntatis præcedit, *disput.* 8. *num.* 127.

OCULVS.

Oculus corporeus nequit elevari ad videndū Deum, *disp.* 13. *num.* 124.

OFENSA.

Offensa alia est purè realis, & alia personalis, *disp.* 2. *num.* 29.

Offensa purè realis dicitur absolutè iniustitia, constituitque inæqualitatem in bonis externis. Ibidem.

Offensa purè realis non crescit ex dignitate personæ. Ibidem.

Offensa personalis absolutè significatur nomine offensæ, & iniuriæ. Ibidem.

Offensa personalis consistit in contemptu, & irreverentia personæ. Ibidem.

Offensa personalis crescit ex dignitate personæ offensæ, *disp.* 1. *num* 67. *disp.* 2. *num.* 29

Offensæ gravitas non sumitur præcisè ex persona offensa, sed etiam ex cognitione, & deliberatione, & connatu *disp.* 2. *num.* 92.

Offensa est inferioris ordinis respectu Christi satisfactionis, *disp.* 3 *num.* 69. *cum sequentibus.*

ORDO.

Ordo est duplex, scilicèt, intentionis, & executionis, ex quibus ordo intentionis est prior, *disput.* 8. *num.* 128.

Ordo est quadruplex, scilicèt, ordo naturæ gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostaticæ, *d.* 8. *n.* 129.

P

PACTUM.

Pactum sub conditione operis onerosi, & condigni inducit in promittente obligationem ex iustitia propriè dicta, ad impleta conditione ad implendi rem promissam, *disp.* 7. *num.* 9. & 14.

PASSIBILITAS.

Passibilitas est duplex Vna, quæ est subiectio ad corruptionem. Alia est, quæ est passio determinata, *disp.* 8. *num.* 9.

Passibilitas, quæ est subiectio ad corruptionē, est intrinsica passio cuiuscumque naturæ humanæ; quæ verò est determinata passio, est extrinsica naturæ. *Ibidem.*

PECCATUM.

Peccatum non est simpliciter infinitum, *disput.* 1. *num.* 3. *cum sequentibus.*

Peccatum est offensa Dei cogniti, *disp.* 1. *n.* 50.

Peccatum mortale meretur pœnam extensivè infinitam; non verò intensivè, *disput.* 1. *num.* 63.

Peccato per se correspondet pœna secundum intensionem iuxtà iustitiam distributivam, *disput.* 1. *num.* 63.

Peccatum mortale condignè punitur pœna damni; non verò pœna sensus, *disp.* 1. *num.* 65.

Peccatum crescit ex vilitate personæ, *d.* 1. *n.* 78.

Peccatum originale ratione gravitatis, ex persona offensa sumptæ, inspectæ secundum se, non est dignum pœna infinitæ intensionis, nec omni pœna possibili, *disp.* 1. *num.* 93.

Peccatum est propria, & specialis iniuria Dei, & contra iustitiam, *disput.* 2. *num.* 27. & 40. *disput.* *num.* 20.

Peccatum in ratione offensæ est infinitum secundum quid, quod idem est, ac negativè, *disp.* 2. *num.* 91.

Peccatum in ratione offensę habet infinitatem secundum quid formaliter. Ibidem.

Peccator ex iustitia tenetur ad satisfaciendum pro peccato, *disp.* 6. *num.* 20.

Peccatum est summum malum, *disp.* 8. *num.* 22.

Peccatum actuale est intensivè maius, quam originale, & originale est extensivè maius, quam actuale, *disp.* 8. *num.* 220.

Peccata actualia essent, etiam deficiente originali, *disp.* 8. *num.* 255.

PÆNA.

Pœna damni est privatio beatitudinis formalis, *disp.* 1. *num.* 63.

Pœna sensus est cruciatus. Ibidem.

Pœna damni est finita. Ibidem.

Pœna sensus est infinita extensivè; non verò intensivè. Ibidem.

Pœna extensivè infinita non correspondet peccato mortali ex propria natura, sed ex ordinatione Divina. Ibid.

PÆNITENTIA.

Pœnitentia est bonum occasionatum, & quarè, *disp.* 8. *num.* 30.

PERSONA. PERSONALITAS.

Personalitas Verbi substituit vices personalitatis creatæ in subsistendo, & in valorando operationes Christi, *disp.* 3. *num.* 23. & 24. *d.* 4. *n.* 19.

Persona est rationalis naturæ individua substantia, *disput.* 10 *num.* 70. *disp.* 15. *num.* 29.

Personalitas Verbi terminat humanitatem in illo instanti, in quo terminaretur à propria, *disput.* 13. *num.* 134.

Personalitas Christi est relativa; personalitates verò aliorum hominum sunt absolutæ, *d.* 15. *n.* 11.

Quælibet Divina persona potuit assumere naturam humanam, *disput.* 16 *num.* 1.

Tres Divinæ personę nequeunt terminare eandem numero naturam creatam, *disput.* 16. *num.* 10. *cum sequentibus.*

Vna Divina persona potest simul plures naturas assumere, *disput.* 16. *num.* 166. *cum sequentibus.*

Data hypotesi, quod vna Divina persona plures assumeret humanitates, esset tantum vnus homo, *disp.* 16. *num.* 178. *cum sequentibus.*

Casu, quo plures personæ assumerent vnam humanitatem, essent vnus homo, *disp.* 16. *n.* 195.

Personalitas creata in negativo consistens nequit adhuc de potentia Dei absoluta terminare alienam naturam, *disput.* 17. *num* 4. & 5.

Dato, quod personalitas creata in positivo consistat, potest de potentia Dei absoluta alienam terminare naturam, *disput.* 17. *n.* 15. *cum seqq.*

PIETAS.

Pietas est virtus, quæ respicit alterum, *d* 7. *n.* 15.

Pietas non servat æqualitatem, *disp.* 7. *num.* 16.

POTENTIA.

Potentia obedientialis activa non est à naturali distincta, *disp.* 13. *num.* 128.

Potentia obedientialis mensuratur ex Omnipotentia Dei, & ex capacitate naturæ. Ibidem.

Potentia obedientialis est in ordine ad illa, quæ sunt supernaturalia, & excedunt facultatem naturæ, *disp.* 17. *n.* 100.

PRI-

PRIVATIO.

Privatio est carentia formæ in subiecto apto nato ad illam habendam, *disp.* 12. *num.* 31.

R

RELATIO.

Relatio transcendentalis realitèr identificatur cum extremo, cuius est relatio, *disput.* 11. *num.* 58.

Relatio transcendentalis non potest adesse, & abesse absque corruptione extremi, cuius fuerit relatio. Ibidem.

Relatio transcendentalis incipit, & desinit cum extremo, cuius est relatio. Ibidem.

Relatio prædicamentalis distinguitur realitèr ab extremis. Ibidem.

Relatio prædicamentalis potest adesse, & abesse absque extremorum corruptione. Ibidem.

Relatio intrinsecus adveniens non producitur, sed resultat positis extremis in rerum natura, *disp.* 11. *num* 64.

Relatio prædicamentalis præcipuè distinguitur à transcendentali, quia hæc realitèr identificatur cum extremo, cuius est relatio; illa verò realitèr ab extremis distinguitur, *disp* 11. *num.* 73.

Ad relationem intrinsicus advenientem non datur per se motus; benè verò ad relationem extrinsecus advenientem, & hæc est illarum differentia, *disp.* 11. *num.* 76.

RELIGIO.

Religio respicit, tanquam finem proprium, & formale motivum, cultum Deo debitum, *disput.* 6. *num.* 15.

Religio est virtus, quæ respicit alterum, *disput.* 7. *num.* 15.

Religio non servat æqualitatem, *d.* 7. *n.* 16.

RESTITUTIO.

Restitutio est redditio pecuniæ ablatæ, *disput.* 2. *num.* 35.

S

SACRAMENTA.

Sacramenta non essent vi præsentis decreti, Adamo non peccante, *disp.* 8. *num.* 240.

Sacramenta habent suam efficatiam à passione Christi. Ibidem.

Primum motivum institutionis Sacramentorum est à peccato dependens. Ibidem.

Sacramenta non sunt physica instrumenta ad producendam gratiam, *disput.* 13. *num.* 129.

SATISFACTIO.

Satisfactio in communi secundū nominis proprietatem significat compensationem debiti, *disput.* 2. *num.* 1.

Satisfactio sic accepta convenire potest compensationi gratitudinis, & iustitiæ. Ibidem.

Satisfactio in communi est redditio voluntaria æquivalentiæ alias indebiti. Ibidem.

Explicatur diffinitio satisfactionis, *disp.* 2. *n.* 2.

Satisfactio est triplex. Vna ex toto rigore iustitiæ. Alia condigna; & alia de congruo, *d.* 2. *n.* 3.

Purus homo actu naturali elicito, sine auxilio ordinis naturalis, imò & cum tali auxilio, nec perfectè, nec imperfectè potest de potentia ordinaria satisfacere pro suo, vel alieno peccato, *disput.* 2. *num.* 5.

De potentia Dei absoluta potest purus homo actu merè naturali imperfectè satisfacere pro suo, vel alieno peccato; non verò perfectè, *disp.* 2. *num.* 7. *cum sequentibus.*

Potest purus homo cum auxilio supernaturali condignè satisfacere pro peccato veniali, *disput.* 2. *num.* 13.

Purus homo cum auxilio supernaturali potest satisfacere imperfectè pro peccato mortali, *disput.* 2. *num.* 18.

Purus homo nequit de facto mereri alteri de condigno auxilia, nequè gratiam habitualem, *disp.* 2. *num.* 19.

Potest purus homo mereri alteri de congruo primam gratiam, & iustificationem. Ibidem.

Purus homo nequit adhuc de potentia absoluta, exhibere satisfactionem omninò æquivalentem satisfactioni Christi. Ibidem.

Non potest pura creatura, quantacumque gratia exornata, exhibere pro suo peccato mortali condignam satisfactionem, *disput.* 2. *num.* 21.

Pura creatura potest condignè satisfacere pro culpa mortali aliena, *disp.* 1. *num* 22. *cum seqq.*

Nulla pura creatura potest satisfacere pro peccatis superabundantèr, *disp* 2. *num.* 25.

Satisfactio condigna, & æqualis non requirit æqualitatem inter personam offensam, & personam satisfacientem, *disp.* 2. *num.* 60. *cum sequentibus.*

Satisfactio à pura creatura exhibita non est infinita secundum quid formalitèr; benè verò æquivalentèr, *disput.* 2. *num.* 91.

Satisfactio non sumitur præcisè ex persona satisfaciente, sed etiam ex multitudine actuum, & intensione illorum, *disput.* 2. *num.* 92.

Satisfactio Christi est infinita extensivè, *d.* 3. *n.* 1.

Satisfactio Christi non est valoris simplicitèr infiniti, *disput.* 3. *num.* 2.

Satisfactio Christi est infinita infinitate ordinis, & negativa, *disp.* 3. *num.* 57.

Satisfactio Christi comparativè ad offensam est superioris ordinis, *disput.* 3. *num.* 69. *cum seqq.*

Satisfactio dicit ordinem ad iniuriam compensandam, *disput.* 4. *num.* 1.

Satisfactio respicit honorem, & recompensationem eius, cui fit, & offertur. Ibidem.

Satisfactio potest à merito separari. Ibidem.

Satisfactio dicit duplicem relationem rationis. Vnam ad debitum, pro quo fit, & alteram ad personā, cui fit, *d.* 4. *n.* 5.

Satisfactio, vt dicit relationem ad debitum, est satisfactio in actu primo, *disp. 4. num. 8.*

Satisfactio, vt dicit relationem ad personam, seu creditorem, est satisfactio in actu secundo, *disput. 4 num. 8.*

Satisfactio Christi ex se, secluſa acceptatione, in actu primo fuit condigna, *disp. 4. n. 10. cum seqq.*

Satisfactio Christi fuit ab intrinseco, & ex natura sua, omni acceptatione secluſa, superabundans, *disp. 4. num 28 cum sequentibus.*

Satisfactio Christi habet maiorem infinitatem extrinsicè ex circunstantia personæ operantis, quam peccatum ex circunstantia personæ offensæ, *disp. 4. num. 50.*

Conditiones ad satisfactionem ex toto rigore iustitiæ requisitæ declarantur *d 5. n. 3. vsque ad n. 8.*

Satisfactio Christi non fuit ex toto rigore iustitiæ, *disp. 5. num. 10. cum sequentibus.*

Non omnes actus satisfactorij Christi eliciti fuerunt à virtute iustitiæ, *disp. 6. num. 7.*

Actus Christi satisfactorij ab alijs virtutibus distinctis à virtute iustitiæ processerunt saltim imperativè *disp. 6. num. 8.*

Satisfactio Christi fuit actus veræ, & propriæ iustitiæ, *disp 6. num. 12. cum sequentibus.*

Satisfactio Christi processit à virtute speciali, quæ ad iustitiam commutativam reducitur, *disp. 6. num 21.*

Virtus iustitiæ, ex qua Christus satisfecit, est diversæ speciei à iustitia commutativa humana, *disp. 6. num. 22.*

Satisfactio Christi acceptata fuit à Deo ex iustitia propriè dicta, distincta à fidelitate, & gratitudine, quæ est iustitia latè, & metaphoricè dicta, *disp 7. num 3 cum sequentibus.*

Satisfactio Christi non fuit à Deo acceptata ex iustitia stricta, & rigorosa, *disp. 7. num 66. cum seqq.*

SCIENTIA.

Scientia simplicis intelligentiæ est necessaria, & prior scientia visionis, *disp. 8 num 127.*

Prioritas, & posterioritas scientiæ simplicis intelligentiæ sumitur à causalitate rerum, & connaturali dependentia earum, Ibid.

Prioritas & posterioritas scientiæ visionis sumitur ex habitudine, quam habent res in ordine ad voluntatem Divinam ordinantem vnum ad aliud, vel volentem hoc esse propter illud. Ibid.

SUBSISTENTIA.

Subsistentia Dei absoluta non potest terminare immediatè vnionem hypostaticam in natura humana, *disp. 15. num. 13.*

Datur in Deo subsistentia absoluta, *d. 15. n 16.*

Subsistentia Dei absoluta potest de potentia Dei immediatè terminare humanitatem, *disp. 15. num. 17.*

Differentia inter subsistentiam Dei absolutam, & subsistentiam creatam, *disp. 15. num. 42.*

Subsistentia Dei absoluta potest creaturis communicari, quin per identitatem, vel per informationem communicetur, ad differentiam omnium aliorum Dei prædicatorum absolutorum, *disput. 15. num. 56.*

T

TERMINUS.

Terminus alius est *qui*, & alius *quo*, *disp. 12. n. 2.*

Terminus *qui* est terminus totalis. Ibid.

Terminus *quo* est terminus formalis. Ibid.

Terminus *quo* generationis sumptæ pro eductione est relatio passiva formæ eductæ; sumptæ verò pro vnitione est vnio; & sumptæ pro productione compositi est forma vnita, *disp. 12. n. 4.*

Terminus *qui* generationis sumptæ pro eductione est forma educta; sumptæ pro vnione est forma vnita; & sumptæ pro productione compositi est totum compositum productum. Ibid.

Terminus formalis *quo* Incarnationis, provt est communicatio personalitatis Divinæ est personalitas Verbi; & provt est humanatio est humanitas, & provt est vnitio est vnio, *disput. 12. numer. 5. & 12. cum sequentibus.*

Terminus formalis *quo* Incarnationis sumptæ pro productione totius compositi, scilicet, Christi, est humanitas vnita personalitati Verbi, & personalitas Verbi vnita humanitati, *disp. 12. num. 6.*

Terminus *qui* Incarnationis, provt est communicatio personalitatis Divinæ est ipsa persona; provt est humanatio est homo; provt est vnitio est humanitas Verbo vnita, vel personalitas humanitati vnita, *disput. 12. num. 5.*

Terminus *qui* Incarnationis sumptæ pro productione totius compositi est homo factus Verbum, & Verbum factum homo *disp. 12 num. 8.*

Terminus formalis *quo* actionis non semper producitur per talem actionem, *disp. 12. num. 10.*

V

VERBUM.

Verbum carnem assumeret, Adamo non peccante, *disp. 8. num. 17. cum seqq.*

Verbum non vnitur cum humanitate vnione ex parte Verbi realitèr ab illo distincta, & in illo intrinsicè recepta, *disp. 11. num. 82.*

Verbum vnitur humanitati per vnionem rationis terminatam ad humanitatem, *d. 11. n. 83.*

Verbum Divinum potest assumere quamcumque naturam subſtantialem, *disput. 13 num. 136.*

Verbum per Incarnationem non est intrinsicè mutatum, *disput. 14 num. 6.*

Ratio autem cur Verbum per Incarnationem non est intrinsicè mutatum est simplicitas, & infinitas illius, *disp. 14. num. 7. & 8.*

Ver-

Verbum est subiectum methaphysicum humanitatis, *disp.* 14. *num.* 12.

Verbum solum carnem assumpsit, de quo sunt congruentiæ & declarantur, *disp.* 15. *num.* 1.

Verbum terminavit humanitatem ratione proprietatis relativæ, *disp.* 15. *num.* 3.

Casu, quo Verbum Divinum assumeret naturam Angelicam, & humanam esset communicatio idiomatum inter has naturas, *d.* 16. *n.* 199.

VISIO.

Visio supernaturalis non habet perfectionem simpliciter infinitam, *disp.* 1. *num.* 26.

VIRTUS.

Quælibet virtus reddit debitum morale, *disp.* 6 *num.* 5.

Quælibet virtus exerceri potest ex motivo satisfaciendi Deo, *disp.* 6. *num.* 9.

Vna virtus potest esse materia respectu alterius Ibidem.

Virtus omnis, quæ inclinat ad reddendum alteri debitum, est iustitia communiter dicta, *disp.* 7. *num.* 16.

VNITAS. VNUS.

Vnitatis genera declarantur, *disp.* 10. *num.* 75.

Vnus potest sumi masculinè, & neutraliter, *disp.* 10. *num.* 77.

Vnus masculinè refertur ad suppositum, & neutraliter ad naturam. Ibidem.

VNIO.

Vnio sumitur activè, & passivè *disp.* 11 *num.* 1.

Vnio activè sumpta dicitur vnitio, & est, qua extrema dicuntur efficienter vnita. Ibidem.

Vnio passivè accepta est effectus vnitionis, & est nexus, à qua extrema sunt fundamentaliter, & formaliter vnita. Ibidem.

Vnio alia est *in qua*, & alia *qua*, *disp.* 11. *num.* 3.

Vnio *in qua* est compositum, si extrema se habent, vt actus, & potentia; si autem non sic se habent, vnio *in qua* est subiectum. Ibidem.

Vnio *qua* est forma, à qua extrema sunt, & denominantur formaliter vnita. Ibidem.

Vnio humanitatis ad Verbum realiter ab ipsa, & à Verbo distinguitur, *disp.* 11. *num.* 5. *cum seqq.*

Vnio humanitatis ad Verbum non est modus substantialis, *disp.* 11 *num.* 50.

Quod vnio vniat extrema, quæ sint substantiæ, non tollit, quod vnio sit accidens, *d.* 11. *n.* 55. 56.

Vnio humanitatis ad Verbum non est relatio transcendentalis Verbi, vt sustentantis humanitatem, *disp.* 11. *num.* 59.

Vnio humanitatis ad Verbum est accidens, *disp.* 11. *num.* 60.

Vnio humanitatis ad Verbum est supernaturalis, *disp.* 11 *num* 63.

Vnio humanitatis ad Verbum est relatio extrinsecus adveniens, *disp.* 11 *num.* 64.

Vnio humanitatis ad Verbum pertinet ad prædicamentum passionis, *disp.* 11. *num.* 65.

Vnio non est de essentia compositi, sed solum est conditio simpliciter necessaria ad eius constitutionem, & conservationem, *disp.* 11 *num* 66.

Vnio humanitatis ad Verbum fundatur suprà potentiam passivam humanitatis, *disp.* 11. *n.* 77.

Inter Verbum, & humanitatem est vnica vnio realis, *disp.* 11. *num.* 83. *cum sequentibus.*

Vnio essentialiter est nexus duorum, *d.* 11. *n.* 88

Vnio considerari potest, vt est accidens, & vt est vnio. Vt est accidens, petit vni in hærere. Vt est vnio petit afficere intrinsicè duo extrema, *disput.* 11. *num.* 90.

Vnio hypostatica est opus maximum omnium miravilium, *disp.* 11 *num.* 128.

Vnio hypostatica nequit à creatura principaliter effici Ibidem.

Vnio hypostatica non est omnium maxima in ratione vnionis, *disp.* 11. *num.* 131.

Vnio hypostatica est omnium maxima in ratione boni, & beneficij, *disp.* 11. *num.* 133.

Vnioni hypostaticæ debetur, saltim de congruo, gratia, beatitudo, & omnia dona supernaturalia, *disp.* 11. *num.* 135.

Vnio hypostatica de facto facta fuit, absque vlla prævia dispositione ad ipsam vnionem ordinata, *disp.* 11. *num.* 141.

Vnio hypostatica potuit fieri mediante gratia, *disp.* 11. *num.* 143.

FINIS.

PROVINCIAL Y ARCHIVO DE LA PROVINCIA FRANCISCANA PALENCIA

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

1.109